




MANUALE

ORDINANDORUM.

LIBER

NON ORDINANDIS SOLUM, SED ET ORDINATIS, PRAESERTIM SACERDOTIBUS, UTILISSIMUS.




EDITIO RATISBONENSIS PRIMA.

CUM APPROBATIONE REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI ORDINARII RATISBONENSIS.

RATISBONAE.

TYPIS AC SUMPTIBUS GEORGII JOSEPHI MANZ.

MDCCCLXII.



EDITOR RATISBONENSIS LECTORI.

Manuale Ordinandorum, quod Ratisbonensibus typis prima vice nunc profertur excusum, in multis catholici orbis provinciis innumerabilium prope sacerdotum et clericorum manibus teritur, ac in Seminariis communi usu adhibetur. Quae res animum excitavit, ut perutilem hunc librum, qui in Galliis jam duodecies editus fuit, in Germaniam quoque inveheremus ac vero etiam ulterius propagaremus, quam gallica lingua sese extendit. Nam quum Manuale nostrum in Galliis ortum suum habuerit, nonnulla, v. g. ritus consecrationis episcopi, methodus orationis mentalis etc., in vulgari isto idiomate inserta fuerunt, atque alia etiam adjecta, quae pro consuetudinibus illic vigentibus opportuna existimabantur. Resecanda aut castiganda haec erant, omniaque ad latinam linguam, quae liturgicorum nostrorum librorum propria est, ac ad sinceros et approbatos sanctae Romanae Ecclesiae ritus legesque redigenda.

Quod ut feliciter obtineremus, mirifice profuit authentica Decretorum S. Rituum Congregationis Collectio, quam Gardellinius primum adornavit; profuerunt Juris Pontificii Analecta, quae hisce annis Romae prodeuntia, novissima istiusmodi decreta evulgare consueverunt. Quapropter rubricas tam ex Pontificali quam ex Missali Romano verbotenus descriptas, authenticis illis Decretis, apte dispositis, illustrare curavimus. Omnem porro adhibuimus operam, ne ullum eorum, quod ad rem faceret, omitteremus; et ut verba ipsius Congregationis ab aliis, vel ex dubiorum tenore depromptis vel ad contextum patefaciendum interjectis, apprime dignoscerentur, illa cursivis, ut vocant, characteribus repraesentare sategimus. Ne vero liber nimis excresceret, hos nobis posuimus fines, ut nonnisi ea Decreta notaremus, quae tum directe ad rubricarum in Manuali descriptarum intelligentiam inservirent, tum ad rectam caeremoniarum observantiam spectarent, de qua noster hic liber, praeter supremum et principalem suum scopum, potissimum sollicitus est.

Nec alia desunt Ratisbonensis hujus editionis commoda. Ut ordinandi ad Presbyteratum, in ipsa sua ordinatione Pontifici concelebrantes, hoc libro facilius uti possint, adjecimus Praefationes per totum annum occurrentes. Ex Rubricis Generalibus Missalis

plura ad juste exercendos ritus pertinentia adoptavimus. Ritum celebrandae Missae solemnis, pariter ex Missali Romano depromptum, pro pleniori instructione addidimus. Preces probatas et indulgentiis ditatas, sive ante sive post Missam recitandas, auximus. Pluribus in partibus aptiorem rerum seriem ordinemque disposuimus. Et alia id genus multa.

Quapropter nostram hanc editionem accuratiorem et locupletiorem merito dicimus, atque venerabili clero studiosissime commendamus.

LIBRI SYNOPSIS.

Exhibet libellus hic quidquid pro suscipiendis Ordinibus, et pro susceptis laudabiliter et fideliter exercendis, tibi, pie Lector, opportunum est atque perutile.

Hae autem sunt hujusce Manualis partes.

In prima parte praemittitur Confirmationis ritus; interdum enim sacro Chrismate ungit Pontifex aliquos ex iis qui prima Tonsura mox initiabuntur. Deinde habes seriem omnium sacrarum Ordinationum, sicque potes facile ad Ordines suscipiendos te rite disponere; et iis susceptis, ea in memoriam revocare quae, pro illis digne exercendis dat Pontifex monita, adeo sancta, justa, gravia, praeclara et apposita ad promovendum, necnon suscitandum ac fovendum clericalem spiritum, ut

nemo umquam ea satis legere et meditari possit. Subjunctae sunt Missae, a Sacerdotibus recens ordinatis, Pontifici concelebrantibus, recitandae; singulae seorsim dispositae, ut facilius et utilius iis utantur Ordinati. Accedit ritus Consecrationis Episcopi, ad augendam reverentiam summo huic sacerdotii gradui debitam, et ad praedicandum populo superhumanam ejusdem dignitatem omnino accomodatus.

In secunda tractatur breviter de Sacrificio Missae, et de requisitis ad dignam ejus celebrationem. Cum enim, ut notat Conventus Melodunensis, *Ecclesia catholica augustius habeat nihil sacrificio altaris*, et sacerdotes huic incumbentes, *eam functionem gerant*, (inquit Concilium Mediolanense tertium), *qua nulla major et sanctior excogitari potest;* consequens est, ut, quantum fieri poterit, *munde et recte et legitime,* sicut loquitur s. Irenaeus, illam peragere curent; *ne,* ut aiebat S. P. Clemens XI, *inter homines et Deum positi ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter immodesteque suo munere fungantur, Deum magis irritent.* Quae porro illum in finem

scire debent et praestare, tradet ista secunda pars, ex pio Cardinali Bona, magna ex parte, excerpta.

Tertia et quinta continent cum ante Missam, tum post Missam, varias praeparationes et gratiarum actiones: item praeparationis ante Missam pro singulis hebdomadae diebus, et post Missam gratiarum actionis exercitia; quae quidem, ad devotionem acuendam, et ad fructuose expendendum tempus quod sacrum praecedit ac subsequitur, non mediocri possunt esse adjumento.

Utrique quarta pars interponitur, Ordo videlicet et Ritus servandus in celebratione Missae; cui opportunum visum est annectere Summarium Caeremoniarum Missae privatae, necnon Rubricas de Defectibus circa Missam occurrentibus; ut, juxta Concilium Tridentinum, ritus illi, quorum multi ex apostolica traditione descendunt, maximi habeantur momenti; quippe quorum ope majestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

In sexta parte subjiciuntur pii effectus, variis Sacerdotum desideriis, ingenio et pietati accommodati; velut exempli causa in Litaniis devotissimis, diversisque Orationibus, quibus haec pars coronatur.

In septima parte traduntur compendiosae *Meditationes* de variis argumentis, statui clericali convenientibus; nimirum de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, de statu sacerdotali, de nonnullis Christi titulis et virtutibus, de praecipuis Dei beneficiis, de hominum novissimis finibus, necnon pro solemnioribus Festis, quae tenerae pietati excitandae, excitatae vero nutriendae ac fovendae, aptiores esse videbantur, ita ut quisque eas legendo et meditando cum Psalmista conclamet: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* (Ps. XXXVIII.)

Octava tandem suppetet agendorum Regulam, methodum Orationis mentalis, et Exercitium diurnum, seu Preces matutinas ac vespertinas. Primam quidem, ut in ea vivas perfectione, ad quam tenentur sacrorum ministri; alteram vero, ut caveas illusionem, nec tempus inaniter teras; postremum denique,

ut commodius satisfacias communi omnium christianorum obligationi.

His igitur et aliis, pie et amantissime Lector, utere sollicite ac diligenter; et illius qui te haec ad manum habere curavit, coram Deo, praesertim *ad altare,* identidem *memineris.*

INDEX.

MANUALIS PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

Variae ad Missam Praeparationes.

PARS QUARTA.

Ordo et Ritus servandus in celebratione Missae.

PARS QUINTA.

Variae Gratiarum Actiones post Missam.

PARS SEXTA.

Litaniae Precesque ante vel post Sacrum.

PARS SEPTIMA.

PARS OCTAVA.

Pag.

INDEX PSALMORUM IN HOC LIBRO DESCRIPTORUM.

INDEX CANTICORUM ET HYMNORUM IN HOC LIBRO DESCRIPTORUM.

INDEX LITANIARUM.

Ceteras vide in Indice sup. pag. XIV.

MANUALIS ORDINANDORUM

PARS PRIMA.

DE CONFIRMANDIS.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Pontifex infantes, pueros, vel alios sacri baptismatis unda perfusos, confirmare volens, paratus supra rochettum, vel, si sit Regularis, supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra, accedit ad faldistorium ante medium altaris, aut in alio convenienti loco sibi paratum; et in eo sedens, renibus altari, et facie populo versis, baculum pastoralem in sinistra tenens, populum coram se stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus episcopus, Confirmationis ordinarius minister est.

Nullus confirmatus debet reconfirmari.

Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus, nec pater aut mater, maritus aut uxor.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut fidei christianae rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.

Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.

Hoc Sacramento contrahitur spiritualis cognatio, impediens matrimonium contrahendum, et dirimens jam contractum; quae cognatio confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egreditur.

Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio episcopi.

Confirmandi deberent esse jejuni.

Confirmato debet ligari frons, et sic manere quousque chrisma desiccetur vel extergatur. Proinde unusquisque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput.

Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex, post omnium confirmationem, dabit.

Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dexteris. Adulti vero seu alii majores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui. Et ideo neque masculi foeminis patrini, neque foeminae masculis matrinae esse deberent.

Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus; deinde, deposita mitra, surgit, et stans versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis genua flectentibus, et manus ante pectus junctas tenentibus, dicit:

Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. ℟. Amen.

Deinde, signans se manu dextera a fronte ad pectus signo crucis, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc, extensis versus confirmandos manibus, dicit:

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de coelis. ℟. Amen.

Spiritum sapientiae et intellectus. ℟. Amen.

Spiritum consilii et fortitudinis. ℟. Amen.

Spiritum scientiae et pietatis. ℟. Amen.

Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo cru†cis Christi, in vitam propitiatus aeternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Pontifex, sedens super faldistorium praedictum, vel etiam, si multitudo confirmandorum id exegerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex stans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos; et uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt et confirmantur, et sic usque in finem. Et Pontifex inquirit sigillatim de nomine cujuslibet confirmandi, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus chrismate intincta, dicit:

N. signo te signo cru†cis; *quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius; deinde prosequitur:* et confirmo te chrismate salutis. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. ℟. Amen.

Deinde leviter eum in maxilla caedit, dicens: Pax tecum.

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim.

Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii. Interim, dum lavat manus, cantatur sequens Antiphona, vel legitur a ministris: quod etiam in similibus servari debet.

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Gloria Patri etc. ℟. Sicut erat etc. *Deinde repetitur Antiphona:* Confirma hoc, Deus etc.

Qua repetita, Pontifex, deposita mitra, surgit et stans versus ad altare, junctis ante pectus manibus, dicit:

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde, junctis adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit:

Oremus.

Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores caeteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum frontes sacro chrismate delinivimus, et signo sanctae crucis signavimus, idem Spiritus sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivis et regnas, Deus, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde dicit: Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.

Et vertens se ad confirmatos, faciens super eos signum crucis, dicit:

Bene✝dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona

Jerusalem omnibus diebus vitae vestrae, et habeatis vitam aeternam. ℟. Amen.

Expedita itaque confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis et matrinis annuntiat quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala et faciant bona, et doceant eos Credo in Deum, *et* Pater noster, *et* Ave Maria, *quoniam ad hoc sunt obligati.*

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE CONFIRMATIONE UNIUS.

1. *Si hoc Sacramentum minus solemniter conferatur, Pontifex supra rochettum, vel, si sit Regularis, supra superpelliceum, stola alba et mitra simplici paratus, accedit ad faldistorium ante medium altaris, si sit in aliqua capella, aut in alio convenienti loco sibi paratum; et sedens, brevi sermone alloquitur adstantes et confirmandum; quo facto, lavat manus, deinde, deposita mitra, surgit etc. ut p. 2.*

2. Confirmato *qui non habet vittam, stuppa aut gossipio frons tergendus est.*

EX DECRETIS S. RITUUM CONGREGATIONIS.

1. *Juxta Pontificale, dum frontem chrismate inungit, dicere debet* episcopus: „Signo te signo crucis," *signum super frontem ipsam pollice producens; quo facto manu extensa versus confirmatum incipit:* „In nomine Patris etc.," ter signum crucis efformans more solito. 7. Mai. 1853 in u. Grosset. ad 2.

2. *Potest* confirmandus tempore Confirmationis, quando episcopus dicit: „N. signo te signo crucis etc.," praeter nomen suum baptismale aliud nomen Sancti sibi imponi curare. Ibid. ad 9.

3. *Sufficit* in Confirmatione, si patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi. 20. Sept. 1749 in u. Jaurin. ad 8.

4. *Licuit et licet in casu* episcopo P., observari facere caeremoniam candelae accensae in Confirmatione conferenda, utpote ab ecclesia receptam, fidei protestativam et meritorium. 15. Mai. 1745 in u. Portugallen.

NOTAE.

1. Juxta Instructionem Cardinalis Vicarii Urbis d. 22. Mai. 1722 (Ferraris „Biblioth.“ v. „Confirmatio“) et 2. Jun. 1851 (Correspondance de Rome a. 1851. p. 293 sqq.) ab officio patrini etiam prohibentur: qui confirmando in sacro baptismo patrinus fuit; Religiosi; clerici in sacris constituti, nisi licentiam Ordinarii obtinuerint; qui praecepto Communionis paschalis non satisfecit. — Convenit ut patrinus sit confirmando major aetate, neque minor quatuordecim annis. — Nullus confirmandus accedat minor septem annis, absque speciali Ordinarii licentia; nullus fronte sordida aut capillis defluis et male compositis; nulla nisi modestis vestibus induta. — Juxta Ferraris (loc. cit. art. III, n. 11) patrinus in Confirmatione non debet esse, nisi unus solus, vel una sola.

2. S. Congregatio Concilii d. 12. Jul. 1819 non esse probandum dixit usum Fesulanae ecclesiae, quo in publica sacramenti Confirmationis administratione episcopus virum atque mulierem eligebat, qui, quaeve patrini, matrinaeve pro omnibus confirmandis munere fungerentur; tollerandum tamen permisit in casu necessitatis ab episcopo judicandae ad formam Pontificalis Romani (Ferraris l. cit. in add. SS. Congregg. decretis).

3. Alicubi mos est, ut mox post collatum Confirmationis sacramentum frons confirmati abluatur ab aliquo ex assignatis sacerdotibus spongia (bombacio) vel alio linteo; alibi exspectatur, donec sit exsiccatum chrisma; et alibi circumfertur vitta seu pannus linteus aliquibus diebus. In hoc est servanda cujusque loci consuetudo (Ferraris loc. cit. n. 30). Probatur haec sententia a rubrica Pontificalis de Confirmatione Unius.

DE ORDINIBUS CONFERENDIS.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis, ac in ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.

Nullus ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur. Sciant tamen episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur.

Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos, non saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

Ad minores ordines promovendi bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur,

testimonium habeant. Hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum episcopum quamprimum transmittat.

Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo magis expedire videretur, conferantur, ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinae pondus, possint edoceri; ac in unoquoque munere, juxta praescriptum episcopi, se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis, cum aetate, vitae meritum et doctrina major accrescat. Quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum, ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas, aut ecclesiae utilitas, judicio episcopi, aliud exposcat.

Subdiaconi et diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris et iis quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi; qui sperent, Deo auctore, se continere posse: ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant; sciantque maxime decere,

si saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram communionem perceperint. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur.

Duo sacri ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur.

Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; et hi sint, qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur, ministraverint; sed etiam ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur; atque ita pietate et castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint exspectari.

Illegitimi sine dispensatione apostolica ad sacros ordines promoveri non possunt, ad minores tamen possunt ex dispensatione sui episcopi Ordinarii: neque etiam furiosi, amentes, servi, homicidae, irregulares, insigni corporis vitio deformes, aut manci ordinari possunt.

Examinentur de ordine, in quo sunt constituti, et quando, et a quo illum receperunt.

Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines non promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem

obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum: eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem, vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint.

Advertat diligenter Pontifex, cum ordines confert, ne in expressione formarum, vel collatione instrumentorum ipsorum ordinum deficiat; frequenter Pontificale respiciat, et mature procedat. Moneat ordinandos, quod instrumenta, in quorum traditione character imprimitur, tangant. Secretas morose dicat, ut ordinati ad sacerdotium possint illas cum eo dicere; debent enim ex consuetudine concelebrare, et etiam verba consecrationis proferre.

Tempora ordinationum sunt: sabbata in omnibus quatuor temporibus, sabbatum ante dominicam de Passione, et sabbatum sanctum.

Clericatus, seu prima tonsura, quocumque die, hora et loco conferri potest.

Minores vero ordines possunt dari singulis dominicis, et festivis diebus duplicibus ex praecepto, ubicumque, in mane tamen.

Ordinandi omnes debent in ecclesia se praesentare cum tonsura, habitu, et paramentis ordini suo convenientibus, et candelis in manu accensis. Et cum a notario episcopi nominati fuerint, respondeant: Adsum, *et accedant ad locum ordinationis, secundum ordinem descriptionis.*

Advertat quoque Pontifex, quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque ordinem promovendus, illum admoneat et alloquatur, non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari.

In sabbatis quatuor temporum, in quibus fiunt ordinationes generales, Tonsurae fieri debent post Kyrie eleison. *Deinde, dicta prima lectione, ordinantur Ostiarii; post secundam lectionem, Lectores; post tertiam, Exorcistae; post quartam, Acolythi; post quintam, Subdiaconi; finita epistola, Diaconi. Et demum ante ultimum versum tractus, vel, infra Octavam Pentecostes, ante ultimum versum Sequentiae, ordinantur Presbyteri.*

Si ordinationes fiant in sabbato ante dominicam de Passione, quia unica tantum dicitur lectio, Tonsurae debent fieri immediate post Introitum; omnes minores ordines post Kyrie eleison; *Subdiaconi immediate post collectam; Diaconi post epistolam; Presbyteri ante ultimum versum Tractus.*

Idem servetur, quandocumque dantur ordines sacri extra tempora, ex dispensatione apostolica. Quod si fiat inter Pascha et Pentecosten, Presbyteri ordinantur ante ultimum versum; si inter Pentecosten et Septuagesimam, ordinantur ante versum Alleluia. *Et antequam ad collationem ordinum procedatur, legitur mandatum apostolicum, sive supplicatio, cujus vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi; quibus lectis, dicit Pontifex:* Deo gratias; *et ad ordinationem procedit.*

Si vero sabbato sancto ordinationes fiant, officium incipitur a prima prophetia, et continuatur prout in ordinario, usque ad Litanias inclusive: in quibus, dicto Ut omnibus fidelibus etc., *surgit ab accubitu Pontifex, et conversus ad ordinandos, eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur. Deinde perficiuntur Litaniae, et Pontifex facit Confessionem, et dicto* Kyrie eleison *pro Missa, ordinat ad primam Tonsuram. Tum dicit* Gloria in excelsis Deo etc.; *quo dicto, ordinat ad quatuor minores ordines. Deinde dicit orationem ordinariam, cum alia pro ordinandis; quibus dictis, ordinat ad Subdiaconatum. Tum dicitur epistola,*

et, ea dicta, ordinat Diaconos. Dicitur deinde Alleluia *cum suo versu, et prima pars Tractus; quibus dictis, ordinat Presbyteros; post quorum ordinationem dicitur versus, Tractus, Evangelium et alia, prout in ordinario.*

Quando autem Pontifex extra Missarum solemnia est promoturus aliquos ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores ordines, sufficit quod habeat stolam supra rochetum, vel supra superpelliceum (si sit Regularis) et mitram simplicem. Cum autem est celebraturus pro sacris ordinibus conferendis, habere debet sandalia et omnia paramenta pontificalia, et dicere psalmum Quam dilecta etc.

Ordinationes sacrorum ordinum, statutis a jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis, praesentibusque ad id ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur.

Cum igitur ordinationes faciendae sunt, per sacristam, seu alium ad quem spectat, praeparantur omnia quae necessaria sunt pro Missa pontificali. Et demum cum tempus ordinationis instat, hora competenti, Pontifex cappa magna indutus, capellano illam post eum deferente, venit ad ecclesiam, ubi ordinationes fieri debent: et accedens ante altare, genuflexus ibidem aliquamdiu orat. Deinde vadit ad sedem, ubi paramenta capere consuevit; vel, si non sit in ecclesia sua, ad faldistorium, ad cornu epistolae sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta pontificalia coloris tempori convenientis, et mitram simplicem, dicens psalmum Quam dilecta etc.

Pontifex sic paratus, baculum pastoralem in sinistra tenens, accedit ad gradus altaris, ubi, depositis baculo et mitra, facta altari reverentia cum profunda capitis inclinatione, facit cum ministris Confessionem: interim cantatur a choro

Introitus et Kyrie eleison. *Finita Confessione, Pontifex ascendit ad altare, illud in medio osculatur, et textum Evangelii ad sinistram, incensat altare more solito, resumit mitram, et revertitur ad sedem, seu ad faldistorium, ad cornu epistolae, ubi, deposita mitra, et versa facie ad altare, oblato sibi per ministrum libro, ex eo legit Introitum et* Kyrie eleison. *Quibus dictis, sedet cum mitra, donec perficiatur a choro ultimum* Kyrie eleison. *Quo finito, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium, ante medium altaris sibi praeparatum accedit, et in illo sedet, renibus altari versis. Tum Archidiaconus vocat omnes ordinandos, dicens:* Accedant omnes qui ordinandi sunt. *Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis, et in modum coronae dispositis, Archidiaconus publice interrogat omnes, si sint aliqui qui forte non sint confirmati: quia non debent ad ordinationem accedere, nisi prius confirmentur. Et si aliqui confirmandi erunt, tunc depositis Pontifex annulis et chirothecis, lavat manus, reassumit annulos, et confirmat, prout habetur supra, fol. 2; vel si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicit per unum ex suis, sub his verbis:*

Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N., Dei et apostolicae Sedis gratia episcopus N., sub excommunicationis poena praecipit, et mandat omnibus et singulis pro suscipiendis ordinibus hic praesentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias a jure, vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus, sive ex aliena dioecesi oriundus, sine licentia sui episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos ordines accedere: et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita, et benedictione Pontificis accepta.

Demum ad ordinationem procedat.

EX DECRETIS S. CONGREGATIONIS RITUUM.

1. *Canonici tenentur ministrare, assistere et inservire archiepiscopo Ordinationes tam intra quam extra ecclesiam cathedralem celebranti, dummodo in Cathedrali tot canonici et ministri remaneant, qui satis sint ad divina officia celebranda.* 7. Jul. 1612 in u. Elboren., et 16. Sept. 1645 in u. Grosset. — *Ad praefatam* autem *assistentiam tenentur canonici praedicti, quando solemniter in cantu inter divina officia fiunt Ordinationes; si vero fiant privatim, tres tantum ex ipsis debent episcopo inservire.* 7 Dec. 1658 in u. Civit. Ducal. — Ad dubium: an canonici cathedralis ecclesiae possint compelli assistere et inservire episcopo Ordinationes habenti in palatii episcopalis sacello? *dispositio S. Concilii Tridentini Sess. XXIII. de Reform. cap. VIII.*[1] *omnino servanda est.* 9. Jun. 1696 in u. Sarnen. — Episcopo vero extra civitatem Ordinationes et alias functiones exercenti canonici ecclesiae cathedralis *non tenentur* assistere 23. Mart. 1686 in u. Nolan. ad 3.

2. *Quando episcopus facit Ordinationes generales, vel alias functiones episcopales, si illas solemniter cum Missa cantata celebret, idem ordo servandus est et iidem assistentes episcopo inservire et ministrare debent, qui in Missis solemnibus ministrare solent. Si vero episcopus dictas functiones sine Missa solemni facere voluerit, quia etiam tunc erit omnibus paramentis pontificalibus indutus, conveniens est, ut iidem, vel illis impeditis saltem duo alii canonici* ecclesiae cathedralis *parati assistant, praeter Archidiaconum qui vocat ordinandos, et Presbyterum qui de libro serviat*[2], *et alios presbyteros, qui juxta*

---

[1]) Haec dispositio eadem est, quam verbotenus continet rubrica Pontificalis — supra pag. 12. ad §. „Ordinationes sacrorum ordinum etc.“

[2]) Hic Presbyter nullus alius est, nisi Presbyter assistens,

formam Pontificalis in Ordinationibus requiruntur. Alii vero canonici ad publicas Ordinationes, quae sine Missa cantata fiunt, in habitu canonicali assistere poterunt. 19. Mai. 1607 in u. Placent. ad 2; 17. Jun. 1606 in u. Barbast.

3. Ad quaestionem: quomodo in Missa Ordinationis lecta sine cantu duo canonici assistentes et archidiaconus parati esse debeant, et utrum interesse etiam debeat presbyter assistens in pluviali, *servetur Caeremoniale Episcoporum lib. I., cap. VII*[1]. 6. Sept. 1834 in u. Pis.

4. Episcopus *suffraganeus non debet uti baculo pastorali, nisi quando tenuerit Ordinationes, vel alias functiones fecerit, in quibus juxta regulas libri Pontificalis eo uti debet et necesse est. In Ordinationibus*[2] *clericorum Dignitates et canonici tenentur assistere episcopo suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti, et ex eis sacra sumere debent paramenta tot dignitates et canonici, quot necessarii erunt juxta rubricas Pontificalis et formam actus,*

---

de quo in Caerem. Epist. lib. I, c. VII; ubi describitur modus, quo „de libro servire" debet. Ceterum adest minister clericus, qui proprie librum sustinet.

1) Hic agitur de munere Presbyteri assistentis, „qui debet esse dignior ex presbyteris, tam canonicis quam dignitatibus; nec refert, quo nomine nuncupetur, an archidiaconus, an archipresbyter." Ejusmodi Presbyter assistens semper suo munere fungi debet, quando Episcopus pontificaliter paratus Missam celebrat. Quum vero, juxta decretum d. 19. Mai. 1607 superius relatum, duos canonicos diaconorum assistentium munus agentes, paratos esse conveniat, idcirco etiam Presbyterum assistentem de quo ibidem et absque dubio etiam in citato decreto d. 7. Dec. 1658 sermo, paratum accedere aequum est. Idem censerem de Archidiacono; nihil vero impedire videtur, quominus Archidiaconus simul munus Presbyteri assistentis gerat. Parantur vero amictu supra rochettum et Presbyter assistens pluviali, diaconi assistentes dalmaticis. — Si vero Ordinatio privatim in aliquo sacello, non publice in ecclesia peragitur, nulla ratio jubere videtur, quod tres canonici parati assistant.

2) Intelliguntur Ordinationes publicae et solemnes.

quem dictus episcopus suffraganeus exercet. 1. Sept. 1607 in u. Brachar.

5. In Ordinatione solemniter facienda, accedente episcopo a sede ad altare pro Ordinibus conferendis, *convenientius ei ministratur per diaconum evangelii et subdiaconum, quia ipsi sunt qui ministrant, alii vero diaconi solummodo dicuntur assistentes.* 19. April. 1681 in u. Cesenat. ad 5.

6. *In Ordinatione privata possunt accendi quatuor cerei in altari, ut in rubrica* (pro Ordinatione unius Subdiaconi), *sed in ecclesia et publica Ordinatione septem, ut in Missa pontificali.* 21. Nov. 1831 in u. Mars. ad 8.

7. *Non* licet (sine gravi causa) sacras generales Ordinationes extra cathedralem ecclesiam peragere. 16. Sept. 1747 in u. Avenion. ad 2. In Ordinatione generali *servetur Pontificale cum Missa solemni in altari majori, praesente clero.* 6. Sept. 1698 in u. Velitern. ad 3.

8. *Non licet pluribus episcopis in eadem ecclesia et eodem tempore Ordines conferre, et abusus* contrarius est *eliminandus.* 30. Mart. 1675 in u. Neap.

9. *Non licet* episcopo (gravi aegritudine laboranti), alio sacerdote Missae sacrificium celebrante, Ordines sacros conferre. 23. Sept. 1837 in u. Nemaus. — Et in hoc *nihil indulgendum* est, etsi alter episcopus ultra tercenta milliaria distaret. 8. Jun. 1658 et 24. Jan. 1660 in u. Uratislar.

10. Missa ad Ordines celebrandos, etiamsi Ordinationes non sint generales, sed particulares, in temporibus debet esse *de feria; extra tempora, de festo currenti.* 28. Sept. 1675 in u. Compostell. ad 7. — *In Ordinum collatione diebus a jure statutis dicatur semper Missa de feria occurrente, non autem de Sancto, qui forte diebus illis occurreret.* Quod decretum etiam comprehendit casum, quo Missa privatim et sine cantu ab episcopo Ordines conferente dictis diebus celebretur. *Neque toleranda,*

sed abolenda est consuetudo celebrandi Missam de Sancto occurrente, non autem de feria, dum episcopus praedictis diebus privatim sacras habet Ordinationes. 11. Febr. 1764 in u. Fesul. ad 1, 2; — 21. Mart. 1744 in u. Bergom. ad 2; 11. Jul. 1739 in u. Neriton. ad 3.

11. *In Ordinationibus quae fiunt sabbato quatuor temporum, tametsi occurrat aliquod festum duplex, Missa celebrari debet de feria cum oratione pro ordinandis, et reliquis suffragiis, sine commemoratione Sancti currentis. Missa prout jacet, ac si non esset festum duplex, est celebranda.* 26. Jan. 1658 in u. Conchen; 27. Aug. 1707 in u. Brachar. ad 1.

12. Occurrente festo semiduplici vel duplici cujuscumque classis aut solemnitatis in sabbato quatuor temporum, aut ante dominicam Passionis, *Missa pro explenda generali Ordinatione est dicenda de tempore, non omissa tamen, juxta rubricarum dispositionem, illa de festo occurrente.* Et si Ordinatio habetur in Cathedrali vel Collegiata, ubi canuntur duae Missae, de festo et de feria, *Ordinatio habenda est in Missa de feria.* 30. Jan. 1731 in u. Astoric. ad 1—4.

13. *Non* licet episcopo (pro lubitu) die sabbati sancti Ordines conferre, Sacrum privatim peragendo in proprii palatii sacello vel alibi. 18. Mart. 1702 in u. Mazar. Quod si indultum aut necesse fuerit, *pro collatione sacrorum Ordinum in sabbato sancto Missa incipienda est a prophetiis.* 21. Mart. 1744 in u. Bergom. ad 1; 28. Jul. 1821 in u. Dub. ad 2.

14. Si episcopo detur facultas conferendi Ordines sacros diebus festivis, potest illos conferre in diebus Apostolorum, ceterisque per apostolicam sedem abrogatis. Pariter hisce diebus, *sed mane tantum,* licet conferre etiam Ordines minores. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 1; 18. Febr. 1843 in u. Anicien.

15. Quum conferuntur ordines sacri extra tempora, omnino legendum est *juxta Pontificale Romanum*

Breve Apostolicum facultatem hanc tribuens. 23. Mai. 1835 in u. Quebec. ad 5.

16. Rubrica Pontificalis: „Minores ordines possunt conferri in Dominicis et festis duplicibus[1]," quoad ultima verba ita intelligenda est: *Minores ordines conferri possunt in festis de praecepto, vel in festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem.* 16. Mart. 1833 in u. Claremont.; 23. Mai. 1835 in u. Quebec. ad 4; 7. Dec. 1844 in u. Sen.

17. Ad quaestionem: utrum minores ordines post meridiem feriae VI. ante sabbatum Ordinum conferri possint, *servanda est resolutio S. Congregationis Concilii, quae sub die 13. Aprilis 1720 in Portallegren. simili dubio respondit: Affirmative quoad primam Tonsuram; et quoad ceteros minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire, ut episcopus se conformet Pontificali Romano tit. de min. Ordinibus.* 11. Mart. 1820 in u. Civitaten. ad 11.

18. In quaestione: cui competat jus vocandi ordinandos in solemnibus Ordinationibus, *rubricae Pontificalis servandae sunt.* 29. Mart. 1659 in u. Mazzar.

19. Etiam quando unus in episcopali sacello ordinatur, palam interdicere debet episcopus per unum ex suis, sicut habetur in Pontificali Romano: „Ne quis accedat irregularis." 25. Sept. 1852 in u. Venet. ad 4.

NOTAE.

1. Non possunt eodem die conferri ordines minores et subdiaconatus, nisi adsit consuetudo, quae est probanda per episcopum. S. Congr. Concil. in Calagurit.

---

[1]) Cf. cap. *de eo* 3. de temp. ordinat.: „Licitum est episcopis, dominicis et aliis festis diebus unum aut duos ad minores ordines promovere. Sed ad subdiaconatum nisi in quatuor temp., aut sabb. sancto, vel in sabb. ante Dom. de Passione nulli episcoporum praeterquam Romano Pontifici (aut ex indulto ejusdem) licet." Glossa ibid.: Non solum unum aut duos possunt episcopi ad minores ordines promovere dictis diebus, sed etiam plures, dummodo *non tot* ordinentur, quod videatur esse *generalis ordinatio.*

28. April. 1694. 7. Mai, 1707. 21. Febr. 1728. (Ferraris „Biblioth." ad v. „Ordo," art. II. n. 17).

2. Anni aetatis a Tridentino concilio et Pontificali pro tribus sacris ordinibus requisiti sufficiunt incepti (Ferraris l. c. n. 79).

3. Regulares ordinantur ad titulum paupertatis, quam solemniter vovent Religiosi, ideoque debent esse professi (ibid. n. 83, 101 sqq.; vide in ord. subdiac.).

DE CLERICO FACIENDO.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia, quocumque die, hora et loco.

Pro clericis ordinandis, parentur forfices pro incidendis capillis, et bacile pro illis imponendis. Et quilibet ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera.

Et vocantur omnes tonsurandi nominatim et sigillatim per notarium, et quilibet respondet: Adsum.

Quibus ante altare, coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit:

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

Oremus, fratres carissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento ac saeculari desiderio corda eorum defendat: ut sicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutis

tribuat eis incrementa, et ab omni caecitate spirituali et humana oculos eorum aperiat, et lumen eis aeternae gratiae concedat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Post haec, sedente Pontifice, schola inchoat, et prosequitur Antiphonam et Psalmum, 8. ton.

Ant. Tu es, Domine, qui restitues hereditatem meam mihi.

Psalmus 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te:* dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus:* mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum:* postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus:* nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur tota Antiphona: Tu es, Domine etc.

Incepto Psalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, et in bacile deponit; et quilibet, cum tondetur, dicit:

Dominus pars hereditatis meae, et calicis mei: tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex, et stans versus ad illos, dicit:

Oremus.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, et eos

sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum schola inchoat et prosequitur Antiphonam sequentem. Qua incepta, Pontifex sedet cum mitra.

Ant. 7. ton. Hi accipient benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde: * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum: * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri, et Filio etc.

Sicut erat in principio etc.

Deinde repetitur tota Antiphona: Hi accipient etc.

Qua finita, surgit sine mitra Pontifex, et ad altare conversus, dicit: Oremus.

Et ministri dicunt: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox ad tonsos genuflexos versus, Pontifex dicit:

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos bene✝dicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacrae religionis imponimus; ut, te largiente, et devoti in Ecclesia tua persistere, et vitam percipere mereantur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manu superpelliceum, dicit singulis:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Et mox imponit illud cuilibet, repetendo Induat te etc., *immittens usque ad scapulas, et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum; sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur; si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, sine mitra surgit Pontifex, et versus ad illos, dicit:*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute saecularis habitus hos famulos tuos emunda; ut, dum ignominiam saecularis habitus deponunt, tua semper in aevum gratia perfruantur; ut sicut similitudinem coronae tuae eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute hereditatem subsequi mereantur aeternam in cordibus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde sedet cum mitra Pontifex, et alloquitur eos sub his verbis:

Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis; cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, et habitu honesto, bonisque moribus atque operibus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum sanctum suum. ℟. Amen.

Tum suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE UNO TONSURANDO.

1. *Si extra Missarum solemnia minus solemniter Tonsura conferatur, Pontifex super rochettum, vel (si sit Regularis) supra superpelliceum stola alba et mitra simplici paratus, accedens ad faldistorium ante medium altaris, si sit in capella, vel in loco convenienti sibi paratum, sedet.*

Vel si ante immediate, vel post Missam privatim celebratam conferatur, Pontifex, deposita planeta vel ea indutus, et mitra, accedens ad faldistorium ante medium altaris positum sedet.

Vel denique si Tonsuram tantum in privatae Missae celebratione, cum mitra, aut etiam cum aliquo ex majoribus ordinibus intra Missarum solemnia pontificaliter paratus conferat episcopus, in Missa de sabbato ante dominicam Passionis et in aliis Missis, in quibus non dicitur Gloria in excelsis, *post Introitum Tonsura conferri debet. In Missis vero de quatuor temporibus, de sabbato sancto, et in aliis Missis, in quibus dicitur* Gloria in excelsis, *dicto* Kyrie eleison, *ad Tonsuram proceditur.*

Pontifice igitur sedente in faldistorio, vocatur tonsurandus nominatim, et respondens: Adsum, *accedit: tum facto profunda reverentia Pontifici, genuflectit coram illo.*

Deinde surgit Pontifex etc. ut supra p. 19.

2. *Antiphonam* Tu es Domine, *et Psalm.* 15, *Ant.* Hic accipiet benedictionem, *et Ps.* 23, *schola seu ministri inchoant et prosequuntur.*

3. Pontifex, cum capillos tonsurus est, *gremiali* cingitur.

4. *Si Tonsura* non *intra Missarum solemnia recipiatur,* non est necessaria *candela,* quae offeratur.

5. In fine jubet eum Pontifex Psalmos poenitentiales etc. dicere, ut infra post Ordinationem presbyteri.

EX DECRETIS S. RITUUM CONGREGATIONIS.

1. ***Rochettum non est vestis sacra adhibenda in administratione Sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam Tonsuram et minores Ordines necessario superpelliceo utendum.*** 10. Jan. 1852 in u. Cenoman. ad 5.

2. Antequam tonsurandi nominatim vocentur a notario, *juxta morem generalem* archidiaconus eos invitare *potest* dicens: „Accedant qui promovendi sunt ad Tonsuram.“ 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 2.

3. Verba: „Dominus pars etc.“ in collatione primae Tonsurae *proferat* etiam episcopus *juxta morem.* Ibid. ad 3.

4. Archidiaconus quum completa Ordinatione ordinatis suggerere debeat, ut recedant ad loca sua, utatur verbis: *„Ad loca vestra“ vel similibus.* Ibid. ad 4.

5. *Non licet, immo omnino prohibendum* est, quod archidiaconus alterve imponat superpelliceum clericis ordinatis ad primam Tonsuram in primo ingressu pro exercendo eorum munere. 15. Sept. 1640 et 23. Mart. 1641 in u. Castellanet.

6. Tonsura non est conferenda tondendo comam fictam. 23. Sept. 1846 in u. Rom.

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Quatuor minores ordines dari possunt extra Missarum solemnia diebus dominicis, et festivis duplicibus, sed in mane tantum.

Ordinandi omnes ad quatuor minores ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu dextera.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE MIN. ORDIN. UNI CONFEREND.

1. *Si extra Missarum solemnia minus solemniter conferantur, Pontifex supra rochettum, vel (si sit Regularis) super superpelliceum, stola alba et mitra paratus, accedens ad faldistorium ante medium altaris sibi paratum, sedet.*

Vel si ante immediate vel post Missam privatim celebratam conferantur, Pontifex sine vel cum planeta, et mitra accedens ad faldistorium sedet.

Vel denique si minores tantum ordines in privata Missae celebratione, cum mitra, aut etiam cum aliquo ex majoribus ordinibus inter Missarum solemnia pontificaliter paratus conferat episcopus, in Missa de sabbato ante dominicam Passionis, et in aliis Missis, in quibus non dicitur Gloria in excelsis, *post* Kyrie eleison *omnes minores ordines conferantur. In Missis vero de sabbato sancto, et in aliis Missis, in quibus dicitur* Gloria in excelsis, *eo dicto ad quatuor minores ordines proceditur. In Missis autem de quatuor temporibus, dicta prima lectione ordinatur Ostiarius, post secundam lectionem Lector, post tertiam Exorcista, post quartam Acolythus.*

2. Si ordines minores extra Missam recipiantur, *candela pro offertorio* non est necessaria.

DE ORDINATIONE OSTIARIORUM.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Pro Ostiariis ordinandis parentur claves Ecclesiae.

***P**ontifex, clericis ordinatis, surgit, et cum mitra ad sedem, seu ad faldistorium ad cornu epistolae revertitur; ubi, deposita mitra, et ad altare conversus, oblato sibi libro, cantat primam*

Collectam; deinde sedet, reassumit mitram, et cantatur prima Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui, sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus finitis, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium ante medium altaris sibi praeparatum proficiscitur, et in illo sedet, renibus altari versis. Archidiaconus vocat ordinandos, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum.

Et mox notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet: Adsum.

Omnibus in superpelliceis, cum candelis in manibus, coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos, dicens:

Suscepturi, filii carissimi, officium Ostiariorium, videte quae in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam et sacrarium, et librum aperire ei qui praedicat. Providete igitur ne, per negligentiam vestram, illarum rerum, quae intra ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Studete etiam ut, sicut materialibus clavibus ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo, ut divina verba quae audierint, corde retineant, et opere compleant: quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

Hae admonitiones non fiunt Cardinalibus, neque electis Episcopis.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus claves Ecclesiae, quas successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente:

Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.

Post haec Archidiaconus, sive alius Archi-

diaconi vice fungens, ducit eos ad ostium Ecclesiae et facit illos claudere et aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare; deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram Pontifice genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex, versus ad ipsos ordinatos, dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene✝dicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est; ut sit eis fidelissima cura in domo Dei, diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum mitra deposita, stans Pontifex, et conversus ad altare, dicit: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et statim versus ad illos genuflexos, stans sine mitra, dicit:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene✝dicere dignare hos famulos tuos in officium Ostiariorum, ut inter janitores ecclesiae tuo pareant obsequio, et inter electos tuos partem tuae mereantur habere mercedis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE OSTIAR. UNI CONFEREND.

1. *Dum Pontifex cum mitra ante medium altaris in faldistorio sibi parato sedet, renibus altari versis, Archidiaconus aut alius minister vocat ordinandum, dicens:* Accedat etc. *Mox Notarius appellat eum nomine suo, qui respondens:* Adsum,

accedit, et facta profunda inclinatione genuflectit coram eo. Tum Pontifex illum admonet, etc. ut supra p. 26.

Idem modus inchoandi Ordinationem servatur etiam in tribus sequentibus minoribus ordinibus.

2. *Claves Ecclesiae,* Ordinationis videlicet instrumentum, a Pontifice *in aliqua pelvicula* positae ordinando traduntur.

3. Traditis ordinando clavibus, *Archidiaconus vel alius vices ejus tenens, ducit eum ad ostium Ecclesiae aut Capellae, et facit eum claudere et aperire: tradit etiam illi funem campanarum, faciens eum campanas, aut in illarum defectu campanulam pulsare. Deinde reducit illum* etc. ut supra p. 27.

EX DECRETIS S. CONGREGATIONIS RITUUM.

1. *Quamvis una clavis esse possit materia sufficiens pro Ordinatione ostiarii, servanda tamen est rubrica, quae praecipit claves esse tradendas, quae sive argenteae sint sive ferreae, sive ligneae, dummodo aptae sint ad aperiendum, constituunt materiam remotam hujus ordinis.* Ordinandi ostiarii debent singuli successive tangere claves, sed sufficit plures simul tangere, et super duos vel tres aut quatuor simul tangentes materiam proferre formam Ordinationis, *dummodo qui simul ordinantur ostiarii, tangant manu dextera claves, dum episcopus profert formulam:* „Sic agite etc.“ 11. Mart. 1820 in u. Civitaten. ad 7.

2. Archidiaconus *tenetur*, quando habentur Ordinationes clericorum, *per semetipsum onus explere ducendi* ad portam ecclesiae promotos ad Ostiariatum. 14. Nov. 1676 in u. Bitunt. ad 4.

3. Quando Ostiarius, archidiacono comitante, claudit et aperit fores ecclesiae, *non est stricte necessa-*

rium, ut claudat et aperiat etiam cum clavi, praesertim si in foribus oratorii, ubi confertur ordo, non adsit clavis. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 5.

DE ORDINATIONE LECTORUM.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Pro Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum.

Ostiariis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium a parte epistolae. Interim cantatur primum Graduale, vel primum Alleluia, *si sit infra Octavam Pentecostes: et Pontifex, sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit dictum Graduale, vel* Alleluia. *Quibus dictis, surgit, deposita mitra, et versus ad altare, cantat secundam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui, sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante medium altaris positum, ubi sedet cum mitra, et Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo:*

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum.

Et mox nominantur per notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Electi, filii carissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite, et implete. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis aeternae. Lectorem siquidem oportet legere ea quae (*vel* ei qui) praedicat, et lectiones cantare, et benedicere panem, et omnes fructus novos. Studete

igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras, distincte et aperte, ad intelligentiam et aedificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum, incuria vestra, ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, et opere compleatis; quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque, dum legitis, in alto loco ecclesiae stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini, figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, coelestis vitae formam praebeatis; quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens:

Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

Quibus expeditis, et illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra, versus ad eos, dicit:

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in ordinem Lectorum dignatur assumere, bene✝dictionem suam clementer effundat, quatenus distincte legant quae in ecclesia Dei legenda sunt, et eadem operibus impleant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare, dicit: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Deinde conversus ad ordinandos genuflexos, dicit, sine mitra:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene✝dicere dignare hos famulos tuos in officium Lecto-

rum; ut assiduitate lectionum instructi sint, atque ordinati, et agenda dicant, et dicta opere impleant; ut in utroque sanctae Ecclesiae exemplo sanctitati suae consulant. Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

Postea, suggerente Archidiacono, redeunt ordinati ad loca sua.

DE
ORDINATIONE EXORCISTARUM.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Pro Exorcistis ordinandis paretur liber exorcismorum, cujus loco dari potest Pontificale, vel Missale.

Lectoribus ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit secundum Graduale, vel secundum Alleluia, *si sit infra octavam Pentecostes. Interim cantatur a choro ipsum Graduale, vel* Alleluia. *Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et, versus ad altare, cantat tertiam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, revertitur ad faldistorium ante altare, et sedet cum mitra. Exorcistae vero vocantur per Archidiaconum, modo consueto, dicens:*

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum.

Et ipsi singulatim nominantur per notarium, ut prius dictum est. Quibus coram Pontifice, cum

candelis in manibus, genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Ordinandi, filii carissimi, in officium Exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam etenim oportet abjicere daemones, et dicere populo, ut qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos; et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus sancti et verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Studete igitur, ut, sicut a corporibus aliorum daemones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc enim recte in aliis daemonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superabitis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum sanctum.

Post haec, Pontifex accipit et tradit omnibus librum in quo scripti sunt exorcismi; cujus loco tradi potest Pontificale, vel Missale; quem manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:

Accipite, et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.

Postea vero, omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos suos bene†dicere dignetur in officium Exorcistarum, ut sint spirituales imperatores ad abjiciendos daemones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum conversus ad altare, deposita mitra, dicit Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox, conversus ad ordinatos genuflexos, dicit:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: bene✝dicere dignare hos famulos tuos in officium Exorcistarum, ut, per impositionem manuum et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos coercendi; ut probabiles sint medici Ecclesiae tuae, gratia curationum, virtuteque coelesti confirmati. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

Post haec, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE

ORDINATIONE ACOLYTHORUM.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Pro Acolythis ordinandis parentur candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro vino, pro Sacramento.

***E**xorcistis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit tertium Graduale, vel tertium* Alleluia, *si sit infra octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel* Alleluia. *Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quartam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem*

ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante altare, ubi sedet cum mitra: Acolythi vero vocantur per Archidiaconum.

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum.

Et mox nominantur per notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice, cum candelis in manibus, genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Suscepturi, filii carissimi, officium Acolythorum, pensate quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre, luminaria ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus praeferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiae praebeatis. Sed sicut veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est. Et sicut apostolus Paulus ait: In medio nationis pravae et perversae, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes. Sint ergo lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abjiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Quae sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat, subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. Estote igitur solliciti in omni justitia, bonitate et veritate, ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis, et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium, per castam vitam, et bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.

Post haec, Pontifex accipit, et tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente:

Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini. ℟. Amen.

Tunc accipit et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus:

Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. ℟. Amen.

Postea, eis genuflexis permanentibus, Pontifex, stans cum mitra, versus ad eos, dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene✝dicere dignetur in ordine Acolythorum; quatenus lumen visibile manibus praeferentes, lumen quoque spirituale moribus praebeant: adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, ad altare se convertens, deposita mitra, stans, dicit: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox Pontifex, conversus ad eosdem genuflexos, dicit:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, et apostolos ejus, in hunc mundum lumen claritatis tuae misisti; quique, ut mortis nostrae antiquum aboleres chirographum, gloriosissimae illum crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti: bene✝dicere dignare hos famulos tuos in officium Acolythorum; ut ad accendendum lumen Ecclesiae tuae, et ad suggerendum vinum et aquam, ad conficiendum Sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia, sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiae tuae, ut illuminati vultu

splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accenderentur lucernae in tabernaculo testimonii, bene✝dicere dignare hos famulos tuos, ut sint Acolythi in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti, bene✝dicere dignare hos famulos tuos, quos in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes et lumine scientiae illustres, et pietatis tuae rore irriges, ut ita acceptum ministerium, te auxiliante, peragant, qualiter ad aeternam remunerationem pervenire mereantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post haec suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE ORDINATIONE UNIUS ACOLYTHI.

Post ultimam orationem super Acolytho ordinato, *Pontifex accepta mitra sedet, et ad minores ordines ordinatum sic alloquitur:* „Fili dilectissime, diligenter considera Ordines[1] etc.“ (ut infra post ordinat. presbyteri); deinde: „Dic semel etc.“ (ut ibid.).

EX DECRETIS S. CONGREGATIONIS RITUUM.

1. Instrumentum „bugia“ (palmatoria) de candela serviens episcopis ad librum, *non* potest esse materia ordinis Acolythorum loco candelabri seu ceroferarii. 8. Jun. 1709 in u. Brachar. ad 5.

[1]) Si unum solummodo minorem ordinem susceperit, haec allocutio post hujus ordinis collationem fit, et dicitur „Ordinem.“ Si vero Ordinatio fuerit inter Missam, eadem allocutio post benedictionem in fine Missae dicenda est, ut infra.

2. „Amen“ quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae, vel sacrorum indumentorum in Ordinatione, *juxta consuetudinem* dicendum est *ab Ordinando*. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 6.

DE

SACRIS ORDINIBUS IN GENERE.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Sacri et majores ordines sunt subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, ad quos ordinati omnes debent communicare; ideo parentur pro eorum numero hostiae parvae consecrandae.

DE ORDINATIONE SUBDIACONI.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Pro ordinatione Subdiaconorum parentur calix vacuus, cum patena superposita, urceoli cum manutergio, et liber epistolarum.

Acolythis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit quartum Graduale, vel quartum Alleluia, *si sit infra octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel* Alleluia. *Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quintam Collectam.*

Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quinta Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit

Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad sedem suam ante medium altaris; et Archidiaconus, versus ad ordinandos, dicit:

Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi.

Et notarius unumquemque illorum vocat, dicens:

N. ad titulum ecclesiae N.

N. ad titulum patrimonii sui.

Frater N. professus ordinis N. ad titulum paupertatis.

Et sic de aliis; et quilibet vocatus dicit: Adsmu, *et accedit versus episcopum.*

Debet autem quilibet ordinandorum in Subdiaconum indutus esse amictu, non tamen super caput, alba et cingulo, habere manipulum in manu sinistra, tunicellam super brachio sinistro, et candelam in manu dextera.

Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis competenti spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos (nisi omnes sint Religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur), dicens:

Filii dilectissimi, ad sacrum subdiaconatus ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad saecularia vota transire. Quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit; atque in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite.

Illis tunc accedentibus, et coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocat ceteros ordinandos, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.

Quibus accedentibus, Archidiaconus ordinat eos, videlicet, diaconandos paratos amictu, alba, cingulo et manipulo, stolam in manu sinistra, dalmaticam super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera tenentes, contra cornu epistolae altaris, faciebus altari versis; et presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola in modum diaconi, planetam super brachium sinistrum, mappulam albam manu sinistra, et candelam dextera tenentes contra faciem Pontificis, ac medium altaris, faciebus similiter altari versis. Quibus sic ordinatis, Pontifex mitram in capite tenens, procumbit super faldistorium, in superiori gradu, sive plano altaris paratum, et omnes ordinandi in locis super tapetia prosternunt se; ministri vero, et alii adstantes, genuflectunt; et schola inchoat Litanias, choro respondente, vel si officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, ministris et capellanis respondentibus:

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.

Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomaee, ora.
Sancte Matthaee, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddaee, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.

Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cecilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato, lib.
Ab ira tua, lib.
A subitanea et improvisa morte, lib.
Ab insidiis diaboli, lib.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, lib.
A spiritu fornicationis, lib.
A fulgure et tempestate, lib.
A flagello terraemotus, lib.
A peste, fame, et bello, lib.
A morte perpetua, lib.
Per mysterium sanctae incarnationis tuae, lib.
Per adventum tuum, lib.
Per nativitatem tuam, lib.
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum, lib.
Per crucem et passionem tuam, lib.
Per mortem et sepulturam tuam, lib.
Per sanctam resurrectionem tuam, lib.
Per admirabilem ascensionem tuam, lib.
Per adventum Spiritus sancti paracliti, lib.
In die judicii, lib.

Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rog.
Ut nobis indulgeas, te rog.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rog.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, te rog.
Ut Domnum Apostolicum, et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rog.
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, te rog.
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris, te rog.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, te rog.
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas, te rog.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias, te rog.
Ut fructus terrae dare et conservare digneris, te rog.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rog.

Surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, et se ad ordinandos vertens, et baculum pastoralem in sinistra manu tenens, ordinandis prostratis manentibus, dicit:

Ut hos electos bene✝dicere digneris. ℟. Te rog.

Secundo dicit:

Ut hos electos bene✝dicere, et sancti✝ficare digneris, ℟. Te rogamus, audi nos.

Tertio dicit:

Ut hos electos bene✝dicere, sancti✝ficare, et conse✝crare digneris. ℟. Te rog.

Tum iterum super faldistorium procumbit, schola perficiente Litanias:

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Quibus finitis, Pontifex surgens cum mitra, sedet super faldistorium, ante medium altaris, et Archidiaconus dicit alta voce:

Recedant in partem, qui ordinandi sunt diaconi et presbyteri.

Quibus ad aliquem locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre possint, transeuntibus, ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice, per ordinem, in modum coronae genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Adepturi, filii dilectissimi, officium subdiaconatus, sedulo attendite, quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre. Oblationes quae veniunt in altare, panes propositionis vocantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altare poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallae quae sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallae. Ubi autem corporales pallae lotae fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipsaque lotionis aqua in baptisterium debet vergi.

Studete itaque, ut ista visibilia ministeria, quae diximus, nitide et diligentissime complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctae Ecclesiae ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet, stans ante thronum, in quo, et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cujus altaris pallae et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait psalmista: Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis praecinctum zona aurea, id est, sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, praebenda est a vobis aqua coelestis doctrinae, qua purificati, ad ornamentum altaris, et cultum divini sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis, et Ecclesiae Dei, hoc est, corpori Christi digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus, omne quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiae est. Et ideo, si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodo vigiles; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti. Quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:

Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.

Et Archidiaconus accipit et tradit eis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio, quae omnia similiter tangere debent.

Postea surgit Pontifex, et versus ad populum, stans cum mitra, dicit:

Oremus Deum ac Dominum nostrum, fratres carissimi, ut super hos servos suos, quos ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene†dictionem suam et gratiam; ut in conspectu ejus fideliter servientes, praedestinata sanctis praemia consequantur, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum, deposita mitra, conversus ad altare, Pontifex dicit: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox Pontifex, versus ad ordinandos genuflexos, dicit, sine mitra:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene†dicere dignare hos famulos tuos, quos ad subdiaconatus officium eligere dignatus es; ut eos in sacrario tuo sancto strenuos, sollicitosque coelestis militiae instituas excubitores, sanctisque altaribus tuis fideliter subministrent; et requiescat super eos Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis; et repleas eos Spiritu timoris tui; et eos in ministerio divino confirmes; ut obedientes facto, ac dicto parentes, tuam gratiam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex sedens, accepta mitra, amictum qui in collo ordinandorum jacet, imponit super caput singulis, dicens:

Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus†sancti. ℟. Amen.

Tum immittit manipulum in sinistrum brachium cuilibet, dicens:

Accipe manipulum, per quem designantur fructus

bonorum operum. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝sancti. ℟. Amen.

Post haec, induit quemlibet tunica, et, si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens postremum totaliter induit, dicens cuilibet:

Tunica jucunditatis, et indumento laetitiae induat te Dominus. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝ sancti. ℟. Amen.

Postea accipit et tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextera ipsum simul tangentibus, dicens:

Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝ sancti. ℟. Amen.

Omnibus expeditis, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua; unus tamen de noviter ordinatis, tunica indutus, dicet Epistolam suo tempore.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE ORDINATIONE UNIUS SUBDIACONI.

1. *Pontifex ritu pontificali paratus, ut subdiaconatus ordinem conferat, in Missis de quatuor temporibus dicta quinta Lectione in cornu epistolae*[1], *in Missis vero et sabbatis ante dominicam Passionis aut Resurrectionis Domini, aut in Missis de festivo die duplici, vel de Dominica, dicta Collecta cum Oratione pro ordinandis sub una conclusione, et factis Commemorationibus, si quae sint faciendae, accepta mitra, accedit ad faldistorium ante medium altaris sibi paratum, et sedet. — Tum Archidiaconus aut illius locum tenens, vocat ordinandum, et dicit:* Accedat etc.

---

[1]) Supponit rubrica heic Missam pontificalem sine cantu, quia Ordinatio unius minus solemniter fieri solet.

Deinde notarius sub una ex triplici formula convenienti, eum vocat, dicens: N. ad titulum etc. *Ordinandus vero, quisquis sit, respondet:* Adsum, *et accedit versus episcopum, quem profunda reverentia salutat. Debet autem quilibet* etc. ut supra p. 38.

2. Ordinandus habeat *tunicellam albi coloris.* Quem colorem etiam pro dalmatica Diaconi, et planeta Presbyteri ordinandi rubrica Pontificalis pro Ordinatione unius postulat.

3. De modo, quo candela ad offertorium Pontifici tradenda, Pax ab eodem accipienda, Communio sumenda, et post Benedictionem pensum Nocturni suscipiendum est, vide infra, quae habentur in Ordinatione Presbyteri.

EX DECRETIS S. CONGREGATIONIS RITUUM.

1. Quum ordinandi ad Litanias Sanctorum se prosternunt, tenentur secum in brachiis sacra paramenta deferre, neque possunt ea in partem relinquere et postea reassumere. 7. Sept. 1850 in u. Veron. ad 20.

2. Quum Pontificale Romanum, antequam dicantur Litaniae, subdiaconandos collocet coram Pontifice genuflexos, et postea diaconandos contra cornu epistolae, presbyterandos vero contra faciem Pontificis ad medium altaris, *possunt* his accedentibus presbyteris *subdiaconandi statui contra cornu evangelii.* Rursus, quum legatur ibidem in Pontificali: „Omnes ordinandi prosternunt se," vox *omnes* intelligitur *tam de presbyteris et diaconis, quam de subdiaconis.* 19. April. 1681 in u. Cesenat. ad 4.

3. In Litaniis Sanctorum recitari debent preces pro arcendo flagello terraemotus, peste, fame et bello, *et ponendae sunt post versum: „A fulgure et tempestate."* 11. Sept. 1847 in u. Veron. ad 1.

4. *In Ordinatione subdiaconorum* sufficit quod simul tangant plures calicem cum patena, *siquidem juxta Pontificalis rubricam super duos vel tres simul manu dextera tangentes calicem cum patena*

potest ab episcopo proferri forma: „Videte etc." 11. Mart. 1820 in u. Civitaten. ad 7.

5. Quum in sacra ordinatione episcopus imponit ordinando amictum in capite, idem amictus *post impositionem dimittendus* est *super scapulas*. 11. Sept. 1847 in u. Veron. ad 2.

6. In Missa in qua uni tantum confertur ordo subdiaconatus aut diaconatus[1], *non* debet promotus subdiaconus cantare epistolam et diaconus evangelium, ut fit in Ordinationibus generalibus. 27. Aug. 1707 in u. Brachar. ad 3.

7. Si Missa Ordinationis non fiat in cantu, subdiaconus et diaconus *legant* epistolam et evangelium, *dum episcopus legit*. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 9.

8. Quando Ordines conferuntur sine cantu, Subdiaconus ex noviter ordinatis, postquam epistolam legerit, *non* debet deosculari manum episcopi stantis ad altare. 25. Sept. 1852 in u. Venet. ad 5.

9. Ad quaestionem, an in Ordinatione generali quae fit sabbato sancto, facienda sit monitio promovendis ad subdiaconatum ante Litanias, *servetur Pontificalis hujus diei rubrica*[2], quae ejusmodi monitionem non dicit ante Litanias ponendam. 28. Julii 1821 in u. Dubior. ad 4. In privata etiam ordinatione, quae fit sabbato sancto, unius tantum subdiaconi, monitio facienda est, servata Pontificalis rubrica, non secus ac in ordinatione generali. Ibid. ad 5.

DE ORDINATIONE DIACONI.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Subdiaconis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato

---

[1]) Videtur sermo esse de Ordinatione privata vel in Missa sine cantu. — [2]) Cf. supr. pag. 11.

sibi libro et candela, legit hymnum Benedictus es, *vel* Alleluia, *cum versu* Benedictus es, *si sit infra octavam Pentecostes. Interim cantatur a choro dictus hymnus, vel* Alleluia, *cum suo versu, ut supra. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et, versus ad altare, dicit in competenti tono:* Gloria in excelsis Deo, *si sit infra octavam Pentecostes, quod dum a choro perficitur, sedet cum mitra. Quo finito, deposita mitra, surgit, et versus ad populum dicit:* Pax vobis, *vel* Dominus vobiscum, *si* Gloria in excelsis Deo *non sit dicendum: et conversus ad altare, cantat Orationem Missae diei, cum Oratione pro ordinatis et ordinandis, sub uno* Per Dominum nostrum, *videlicet: Oratio.*

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi; ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Dominum etc.

Finita Oratione, sedet Pontifex, reassumpta mitra, et oblato sibi libro et candela, legit Epistolam. Interim per unum ex subdiaconis noviter ordinatis cantatur Epistola. Qua finita, surgit Pontifex, et accedit ad faldistorium ante altare cum mitra, et ibi sedet. Promovendi vero ad ordinem diaconatus per Archidiaconum vocantur, dicendo:

Accedant qui ordinandi sunt ad diaconatum.

Et mox singulatim nominantur per notarium, nulla tamen facta mentione de titulo. Eis igitur amictu, alba, cingulo et manipulo paratis, ac stolam in sinistra manu et candelam in dextera, ac dalmaticam super brachium sinistrum tenentibus, et in modum coronae coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus, offerens illos Pontifici, dicit:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes Subdiaconos ad onus diaconii ordinetis.

Pontifex interrogat, dicens: Scis illos dignos esse?
Respondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.

Et Pontifex dicit: Deo gratias.

Et ad eorum ordinationem procedit. In primis Pontifex cum mitra sedens, clero et populo annuntiat, dicens:

Auxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus hos praesentes Subdiaconos in ordinem diaconii. Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum, cum fiducia exeat, et dicat; verumtamen memor sit conditionis suae.

Et facta aliquali mora, Pontifex, convertens sermonem suum ad ordinandos, admonet eos, dicens:

Provehendi, filii dilectissimi, ad leviticum ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum ecclesiae ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare. Sane in veteri lege ex duodecim una tribus Levi electa est, quae speciali devotione tabernaculo Dei, ejusque sacrificiis, ritu perpetuo deserviret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus, nisi ex ejus stirpe, ad divinum illum cultum atque officium ministraturus assurgeret; adeo ut grandi quodam privilegio haereditatis, et tribus Domini esse mereretur, et dici. Quorum hodie, filii dilectissimi, et nomen et officium tenetis, quia in ministerium tabernaculi testimonii, id est, Ecclesiae Dei, eligimini in levitico officio, quae semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat; unde ait Apostolus: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus. Quam Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum portare, et munire debetis ornatu sancto, praedicatu divino, exemplo perfecto.

Levi quippe interpretatur additus, sive assumptus. Et vos, filii dilectissimi, qui ab haereditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam; estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; ut digne addamini ad numerum ecclesiastici gradus; ut haereditas et tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri et cooperatores estis Corporis et Sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogitate beatum Stephanum, merito praecipuae castitatis ab apostolis ad officium istud electum. Curate, ut quibus evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Habete pedes vestros calceatos sanctorum exemplis, in praeparatione evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam. ℟. Amen.

Deinde, si non sint ordinati subdiaconi, ordinandi omnes prosternunt se ubi genuflectebant, et Pontifice ante faldistorium suum genuflectente, dicuntur Litaniae, et ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout supra pag. 39 in ordinatione subdiaconi dictum est. Post haec, ordinandis ab accubitu surgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex, sedens in faldistorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur clerum et populum, dicens:

Commune votum, communis oratio prosequatur, ut hi, totius Ecclesiae prece, qui ad diaconatus ministerium praeparantur, leviticae bene✝dictionis ordine clarescant, et spirituali conversatione praefulgentes, gratia sanctificationis eluceant: praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde, surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad ordinandos, dicit, alta voce legendo:

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium diaconatus dignatur assumere, benedictionis suae gratiam clementer effundat, eisque consecrationis indultae propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat, ut quae nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio; et quos sacris mysteriis exsequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua bene✝dictione sanctificet et confirmet. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus.

Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit:

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum dator, ordinumque distributor, atque officiorum dispositor, qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis, per verbum, virtutem, sapientiamque tuam, Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam videlicet tuam, coelestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere, dilatarique largiris; sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operationibus domus tuae fidelibus excubiis permanentes, haereditatem benedictionis aeternae sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quaesumus Domine, placatus intende, quos tuis sacris

altaribus servituros in officium diaconatus suppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini sensus et summae rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem, Domine, quae nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum, tu scrutator es cordium; tu horum vitam coelesti poteris examinare judicio, quo semper praevales, et admissa purgare, et ea quae sunt agenda, concedere.

Hic solus Pontifex, manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, et nullus alius, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, dicens singulis:

Accipe Spiritum sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. In nomine Domini.

Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manum dexteram, usque in finem Praefationis.

Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi, septiformis gratiae tuae munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis; auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas, et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat; et bonum conscientiae testimonium praeferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus possit audiri.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec, Pontifex, sedens cum mitra, cui-

libet ordinando ante se genuflexo stolam, quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis:

Accipe stolam ✝ candidam de manu Dei, adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Faciens supra quemlibet eorum signum crucis, et ministri reflectent capita stolae, et alligent sub brachio dextero.

Post haec Pontifex, accipiens dalmaticam, induit ea quemlibet successive usque ad humeros, et sic fit usque ad ultimum, quem ea totaliter induit; et hoc, si una tantum sit dalmatica; si vero quilibet suam habet, tunc singulos sua totaliter induit, dicens cuilibet:

Induat te Dominus indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumdet te semper. In nomine Domini. ℟. Amen.

Postremo Pontifex accipit, et tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens:

Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. ℟. Amen.

Quo facto, Pontifex, stans ad altare conversus, dicit sine mitra: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et vertens se ad ordinatos, dicit:

Exaudi, Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos Spiritum tuae bene✝dictionis emitte; ut coelesti munere ditati, et tuae majestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum praebere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater fidei, spei et gratiae, et profectuum remunerator, qui in coelestibus et terrenis angelorum ministeriis ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuae diffundis effectum, hos quoque famulos tuos spirituali dignare illustrare affectu; ut tuis obsequiis expediti, sanctis altaribus tuis ministri puri accrescant; et indulgentia tua puriores, eorum gradu, quos apostoli tui in septenarium numerum, beato Stephano duce ac praevio, Spiritu sancto auctore, elegerunt, digni existant, et virtutibus universis quibus tibi servire oportet, instructi, tibi complaceant. Per Dominum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde, cum tempus fuerit, aliquis de noviter ordinatis, dalmatica indutus, dicit Evangelium. Ordinati autem statim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE ORDINATIONE UNIUS DIACONI.

1. *Pontifex ritu pontificali paratus, ut Ordinationem diaconatus conferat, . . . dicta Oratione pro ordinando* Exaudi etc. *cum Oratione diei sub uno* Per Dominum, *et factis aliis commemorationibus, si quae sint faciendae, legit Epistolam; qua finita, accipit mitram et accedens ad faldistorium ante medium altaris paratum, sedet. Interim promovendus ad ordinem diaconatus per Archidiaconum aut illius locum tenentem vocatur, dicendo:* Accedat etc. *Mox ordinandus per notarium nominatus accedit, et facta Pontifici profunda reverentia, genuflectit. Tum Archidiaconus* etc. ut supra, pag. 49.

2. De candela offerenda, de Pace et Communione accipienda, et de penso Nocturni imponendo vide infra quae leguntur in Ordinatione Presbyteri.

EX DECRETIS S. CONGREGATIONIS RITUUM.

1. *Archidiaconus Cathedralis assistens episcopo habenti Ordinationem generalem ministrare debet capite detecto, praecipue quando suas facit instantias, recitando illa verba juxta Pontificale Romanum, videlicet:* „Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia;" *non autem cum bireto.* 28. Febr. 1671 in u. Muran.

2. Quando Ordines conferuntur sine cantu, Diaconus ex noviter ordinatis, antequam Evangelium legat, *non* debet dicto „Munda cor meum" benedictionem petere et manum episcopi stantis ad altare deosculari, ut fit in Missis cantatis a simplici sacerdote; et *ab episcopo* post Evangelium hujus Missae lectae *osculandum est suum Missale,* hoc est, quo ipse usus est, non quo usus est Diaconus in evangelii lectione. 25. Sept. 1852 in u. Venet. ad 5.

DE ORDINATIONE PRESBYTERI.

EX PONTIFICALI ROMANO.

Pro ordinatione Presbyterorum parentur oleum catechumenorum, calix cum vino et aqua, patena, et hostia desuper posita, medulla panis, et bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas singuli ad suas mappulas extergunt.

Diaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum in sede sua, vel in faldistorio, in plano juxta cornu epistolae accedit, et cantatur Tractus, usque ad ultimum versum exclusive; quod si sit infra octavam Pentecostes, Tractus et Sequentia, usque ad ultimum versum exclusive. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipsum Tractum et Sequentiam, usque ad ultimum versum exclusive. Deinde Pontifex

cum mitra revertitur ante altare, ubi sedet super faldistorium.

Tunc Archidiaconus vocat ordinandos voce intelligibili, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem presbyteratus.

Et mox nominatim leguntur per notarium, prout supra dictum est, nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc illi, more diaconorum parati amictu, alba, cingulo, stola et manipulo, tenentes planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextera candelas, ac mappulas albas pro ligandis et lavandis manibus, ad Pontificem accedunt, et coram eo in modum coronae se disponunt. Tunc Archidiaconus praesentat ordinandos Pontifici, dicens:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes diaconos ad onus presbyterii ordinetis.

Et Pontifex interrogat, dicens:

Scis illos dignos esse?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.

Pontifex dicit: Deo gratias.

Et annuntiat clero et populo, dicens:

Quoniam, fratres carissimi, rectori navis, et navigio deferendis eadem est, vel securitatis ratio, vel communis timoris, par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a patribus institutum, ut de electione illorum qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: quia de vita et conversatione praesentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat

ordinato, cui assensum praebuerit ordinando. Horum siquidem diaconorum in presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata, et Deo placita existit, et digna (ut arbitror) ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis; et his testimonium sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum, cum fiducia exeat, et dicat; verumtamen memor sit conditionis suae.

Postea Pontifex, facta aliqua mora, convertens sermonem suum ad ordinandos, admonet eos, dicens:

Consecrandi, filii dilectissimi, in presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exsequi studeatis. Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut coelestis sapientia, probi mores et diuturna justitiae observatio ad id electos commendent. Unde Dominus praecipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israel in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus sancti dona divideret, suggessit: quos tu nosti, quod senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris et senibus signati estis, si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes, probi et maturi in scientia similiter et opere eritis. Sub eodem quoque mysterio, et eadem figura, in novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in praedicationem misit, ut doceret verbo simul et facto, ministros Ecclesiae suae fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis, ut in adjutorium Moysi et duodecim Apostolorum, episcoporum

videlicet catholicorum, qui per Moysen et Apostolos figurantur, digne, per gratiam Dei, eligi valeatis. Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur; cum alii in ea pontifices, alii minoris ordinis sacerdotes, diaconi, et subdiaconi, diversorum ordinum viri consecrantur; et ex multis, et alternae dignitatis membris unum corpus Christi efficitur. Itaque, filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castae et sanctae vitae integritatem. Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est, familiam Dei; quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. ℟. Amen.

Si non sint factae ordinationes subdiaconorum vel diaconorum, dicuntur Litaniae, ut supra in ordinatione subdiaconorum dictum est, pag. 39. Post haec surgunt omnes, et ordinandis coram Pontifice binis et binis successive genuflectentibus, Pontifex, stans ante faldistorium suum cum mitra, et nulla oratione, nulloque cantu praemissis, imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes sacerdotes qui adsunt, quorum tres aut plures planetis, vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto, tam Pontifex quam sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra dicit:

Oremus. fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyte-

rii munus elegit, coelestia dona multiplicet; et quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pontifex, deposita mitra, conversus ad altare, dicit: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox conversus ad ordinandos, dicit:

Exaudi nos, quaesumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos bene✠dictionem sancti Spiritus, et gratiae sacerdotalis infunde virtutem; ut quos tuae pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus.

Tum extensis manibus ante pectus dicit:

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum auctor, et distributor omnium dignitatum; per quem proficiunt universa; per quem cuncta firmantur; amplificatis semper in melius naturae rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et sacerdotales gradus, atque officia levitarum, sacramentis mysticis instituta creverunt; ut, cum pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum, sequentis ordinis viros, et secundae dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes, Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti; ut ad hostias salutàres, et frequentioris officii

sacramenta ministerium sufficeret sacerdotum. Hac providentia, Domine, apostolis Filii tui doctores fidei comites addisti, quibus illi orbem totum secundis praedicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, quaesumus, haec adjumenta largire; qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent. Sint providi cooperatores ordinis nostri; eluceat in eis totius forma justitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeternae beatitudinis praemia consequantur.

Quod sequitur, legat submissa voce, ita tamen, quod a circumstantibus audiri possit.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Pontifex sedet, accepta mitra, et reflectit orarium, sive stolam ab humero sinistro cujuslibet, capiens partem quae retro pendet, et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus in modum crucis, singulis dicens:

Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.

Postea imponit cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, a parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens:

Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, et opus perfectum. ℟. Deo gratias.

Surgit Pontifex sine mitra, et omnibus genua flectentibus, dicit:

Deus sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, plenaque benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos, quos ad presbyterii honorem dedicamus, munus tuae bene✝dictionis infunde; ut gravitate actuum et censura vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit; ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, caeterasque virtutes in se ostendant; exemplo praebeant; admonitione confirment; ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant; et in obsequium plebis tuae, panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment; et inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die justi et aeterni judicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto pleni resurgant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, sine mitra, ante altare conversus, flexis genibus, incipit alta voce, schola prosequente, hymnum:

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Surgit Pontifex, et facit ut in fine hymni habetur; interim schola prosequitur hymnum, qui, si propter ordinandorum multitudinem necesse fuerit, repetatur, omisso primo versu.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. ℟. Amen.

Dicto primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio cum mitra; et depositis chirothecis, et annulo pontificali reassumpto, ponitur ei gremiale, sive mappula super gremium, et singuli ordinandi successive coram eo genua flectunt; et Pontifex cum oleo catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas, in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit:

Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas, per istam unctionem, et nostram bene✝dictionem. ℟. Amen.

Pontifex producit manu dextera signum crucis super manus illius quem ordinat, et prosequitur:

Ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur: in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Et quilibet ordinandus respondet: Amen.

Tum Pontifex claudit seu jungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram, alligat: et mox unusquisque ad ordinem suum redit, et sic clausas et alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis et consecrätis, Pontifex pollicem mica panis tergit; tum tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente:

Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. ℟. Amen.

His peractis, Pontifex lavat manus cum medulla panis, et aqua lotionis hujusmodi projicitur in sacrarium. Deinde cum mitra revertitur ad sedem suam, vel ad faldistorium in cornu epistolae, in plano sibi paratum, ubi sèdet cum mitra. Et chorus cantat ultimum versum Tractus vel Sequentiae, sive Alleluia. *Interim accedunt duo capellani ante Pontificem cum libro et candela, qui ex eo legit dictum ultimum versum Tractus vel Sequentiae, sive* Alleluia. *Legit etiam secreto* Munda cor meum, *atque Evangelium.*

Interea unus ex diaconis noviter ordinatis accedit ad altare cum textu Evangelii ante pectus, et dicit: Munda cor meum etc., *et cantat Evangelium. Interim parantur per ministros hostiae super altare, pro numero ordinatorum in ordinibus sacris, qui*

omnes communicare debent; et proceditur in Missa ordine solito. Interea dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, et aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis, quibus ligatae erant; et aqua ablutionis hujusmodi projiciatur in sacrarium.

Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedens accipit offertorium ab omnibus ordinatis, qui omnes accedunt bini et bini ad Pontificem; coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur ejus manum, primo presbyteri, tum diaconi successive, et alii suo ordine.

Accepto singulorum offertorio, Pontifex lavat manus, et surgit sine mitra, ac tollitur faldistorium, et prosequitur Missam.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeant libros coram se, dicentes:

Suscipe, sancte Pater etc., *et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex: qui tamen bene advertat, quod Secretas morose dicat, et aliquantulum alte, ita ut ordinati sacerdotes possint secum omnia dicere: et praesertim verba consecrationis, quae dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.*

Secreta pro ordinatis, quae dicitur cum Secreta Missae diei, sub uno Per Dominum etc. *habetur infra.*

Cum Pontifex dixerit orationem Domine Jesu Christe, qui etc., *osculatur altare, et dat primo ex singulis ordinatis cujuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, pacem, dicens:* Pax tecum.

Cui ille respondet: Et cum spiritu tuo.

Et quilibet illorum dat sequenti sui ordinis secum ordinato, et ille alteri, et sic usque ad

ultimum continuatur. Si autem ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum Sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare presbyteri, deinde diaconi, tandem subdiaconi; quibus ordinate dispositis et genuflexis, Pontifex, facta reverentia Sacramento, et aliquantulum versus cornu evangelii se retrahens, ad eos se convertit, et singuli ex diaconis et subdiaconis tantum dicunt submissa voce: Confiteor Deo etc. *Et si officium fiat in cantu, unus de noviter ordinatis illud cantat.*

Et Pontifex stans, capite detecto, versus ad eos, dicit intelligibili voce, nisi officium fiat in cantu:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et manu dextera signum crucis super eos communiter producit.

Presbyteri ante Communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici; propterea si non sunt alii ordinati, confessio et absolutio praedictae omittuntur.

Tunc accedunt ordinati ad supremum gradum altaris bini et bini. Pontifex vero ponit plures hostias consecratas super patenam, quam ori cujuslibet communicandi supponit, et singulos communicat, cuilibet dicens:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam.

Quilibet respondet: Amen.

Et priusquam Communionem sumat, manum Pontificis hostiam tenentem osculatur.

Unus ministrorum Pontificis stat juxta cornu epistolae altaris, calicem habens, non illum cum

quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant.

Omnibus communicatis, Pontifex extergit patenam super calicem suum, super eum digitos abluit, sumit ablutionem, accipit mitram, et lavat manus.

Pontifex, lotis manibus, mitra deposita, stans in cornu epistolae altaris, versus ad illud, inchoat in cantu, schola prosequente, Responsorium 8. ton., quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine Alleluia.

Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia cognovistis, quae operatus sum in medio vestri. Alleluia. * Accipite Spiritum sanctum in vobis Paraclitum. * Ille est, quem Pater mittet vobis. Alleluia.

℣. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. * Accipite etc.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Ille est, quem etc.

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad presbyteros ordinatos, qui, ante altare coram ipso stantes, profitentur fidem quam praedicaturi sunt, dicentes:

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad coelos; sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super

faldistorium ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet:

Accipe Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt.

Deinde explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicendo:

Stola innocentiae induat te Dominus.

Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit, et genuflexus ponit manus suas junctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius:

Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?

Et ille respondet: Promitto.

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut praefertur, dicit singulis presbyteris saecularibus: Promittis Pontifici Ordinario tuo etc.; *singulis vero Regularibus:* Promittis Praelato Ordinario tuo etc.

Promittis Pontifici (*vel* Praelato) Ordinario tuo, pro tempore existenti, reverentiam et obedientiam?

Et ille respondet: Promitto.

Tunc Pontifex, tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque, dicens: Pax Domini sit semper tecum.

Et ille respondet: Amen.

His expletis, et eis ad ordinem suum reversis, Pontifex, sedens cum mitra et baculo, admonet eos, dicens:

Quia res quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius Missae ordinem, atque hostiae consecrationem, ac fractionem, et communionem, ab aliis jam doctis sacer-

dotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis.

Pontifex surgit cum mitra et baculo, et presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit, dicens voce competenti:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝Sancti, descendat super vos, ut sitis benedicti in ordine sacerdotali, et offeratis placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec Pontifex, deposita mitra, et amoto faldistorio, convertitur ad altare, prosequitur Missam, et cantatur Communio; et dicitur Postcommunio pro ordinatis, ut infra, sub uno per Dominum *cum Postcommunione Missae diei.*

Deinde dicitur Benedicamus Domino, *vel* Ite, missa est, *prout tempus requirit; et per Pontificem* Placeat tibi, sancta Trinitas etc.

Quo dicto, Pontifex, accepta mitra et baculo pastorali, dat benedictionem solitam dicens:

Sit nomen Domini benedictum etc.

Tum sedet, et alloquitur ordinatos sub his verbis:

Filii dilectissimi, diligenter considerate ordinem per vos susceptum, ac onus humeris vestris impositum; studete sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possitis acquirere, quam ipse vobis per suam misericordiam concedere dignetur.

Singuli ad primam tonsuram, *vel* ad quatuor minores ordines promoti, dicite semel septem Psalmos poenitentiales, cum Litaniis, Versiculis et Orationibus; ad subdiaconatum, vel diaconatum, Nocturnum talis diei. Ad presbyteratum vero ordinati, post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet, unam de Spiritu sancto, aliam de beata Maria semper Virgine,

et tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate.

Quod illi devote suscipiunt, et respondent se facturos.

Tum Pontifex convertit se ad altare, et dicit, submissa voce:

Dominus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio, etc.

Signat altare et se, et revertitur ad sedem, vel ad faldistorium, ubi exuitur sacris vestibus. Ordinati etiam ad presbyteratum dicunt idem Evangelium, et in loco convenienti sacras vestes deponunt, et cum eis alii ordinati.

EX RUBRICIS PONTIFICALIS DE ORDINATIONE UNIUS PRESBYTERI.

1. *Pontifex ornatu pontificali indutus, ut ordinem presbyteratus conferat, in Missis de quatuor temporibus et in Dominicis ac festivis diebus a Dominica Septuagesimae usque ad Pascha exclusive, ante ultimum versum Tractus; in sabbato vero infra octavam Pentecostes, et in festis quae habent Sequentiam, ante ultimum Sequentiae versum; in Dominicis autem et festivis diebus per annum et per Adventum ante versum* Alleluia, *accipit mitram, et accedens ad faldistorium ante medium altaris sibi paratum, sedet.*

Interim ad ordinem presbyteratus promovendum paratum (ut supra p. 57) . . . . *Archidiaconus aut illius locum tenens, vocat, dicens:* Accedat etc. *Mox ordinandus per notarium nominatus accedit, et facta Pontifici profunda reverentia, genuflectit. Tum Archidiaconus praesentat* etc. ut supra p. 57.

2. Post Pontificem utramque manum super ordinandi caput imponunt *omnes presbyteri qui adsunt, quorum tres aut plures superpelliceo et stola parati esse debent.*

3. Hymnum „Veni Creator" a Pontifice inceptum *prosequuntur ministri cum adstantibus, et dicitur usque ad finem.*

4. Pontifex, traditis ordinando patena et calice, lotisque manibus iterum accipit *chirothecas et annulum.*

5. Pontifex lecto Offertorio sedet. *Mox ordinatus candelam accensam dextera sustinens, sinistra pectori admota, accedit; tum facta profunda reverentia genuflectit, et Pontificis manum dexteram, dum tradit candelam, osculatur; deinde surgit, et facta iterum reverentia paulum retrocedens genuflectit,* ut Missam cum Pontifice prosequatur.

6. *Ordinatus,* accepto pacis osculo a Pontifice, *facta profunda reverentia Pontifici, et genuflexione Ss. Sacramento,* redit ad locum suum.

7. Si praeter presbyterum alii ordinati fuerint, hi, dicto „Confiteor" et accepta absolutione a Pontifice, *accedunt ad supremum altaris gradum, ubi genuflexi mappulam recipiunt* (quam ministri hinc inde sustentant). *Pontifex vero versus ad altare, facit genuflexionem Ss. Sacramento; deinde surgens, sinistra patenam* (aut pixidem), *dextera vero Hostiam reverenter accipit, quam aliquantulum elevatam tenet super patenam, et conversus ad ordinatos in medio altaris dicit:* Ecce Agnus Dei etc. *Mox ter subjungit:* Domine, non sum dignus etc. *Tum accedens, ordinatis porrigit Ss. Sacramentum, faciens cum eo signum crucis super patenam, et simul dicens:* Corpus D. N. J. Ch. custodiat te etc. . . . (ut supra, pag. 66).

8. Post Communionem *unus ministrorum purificat presbyterum calice ad hoc destinato, vel eo potius, quem paulo ante tetigerat, ex quo vinum cum aqua paratum in purificationem exhaurit*[1].

---

[1]) Ubi generatim purificatio post communionem *non* est in usu, ejusmodi *consuetudo* retineri potest. S. Rit. Congr. 12. Aug. 1854 (ex Anal. Jur. Pontif. Ser. II. p. 2192). Profecto neque Romae haec purificatio amplius est in usu.

9. Responsorium „Jam non dicam etc.“ a Pontifice inchoatum, *ministri prosequuntur.*

EX DECRETIS S. CONGREGATIONIS RITUUM.

1. *Quaestioni* utrum canonici sacerdotes, praesentes in Ordinatione in habitu canonicali, manus impondituri super ordinandos ad presbyteratum, debeant accipere stolas, *provisum* est *per Pontificale Romanum de Ordinatione Presbyteri; iidemque sacerdotes canonici juxta praxim Archibasilicae Lateranensis* non debent, cappa vel mozzetta depositis, induere superpelliceum (ut accipiant stolam). 12. Sept. 1857 in u. Moulin. ad 4. II. (Ex Anal. Jur. Pont. Ser. III, p. 351).

2. *Verba Pontificalis Romani in ordinatione presbyteri:* „Idem faciunt post eum (episcopum) omnes sacerdotes,“ *intelligi possunt moraliter, juxta tamen locorum consuetudinem, servata rubrica quoad paramenta et stolas.* 28. Jul. 1821 in u. Dub. ad 6.

3. *In ordinatione presbyterorum praxis servanda est ecclesiae Romanae, quae manus ordinandis imponit in prima tantum oratione:* „Oremus, fratres carissimi etc.,“ et non amplius in sequenti oratione: „Exaudi nos etc.“ 18. Febr. 1843 in u. Anicien.

4. Extra tempus paschale ad conclusionem hymni: „Veni Creator Spiritus“ est *dicenda stropha: „Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio.“* 28. Jul. 1832 in u. Brixien. ad 4; 3. Aug. 1839 in u. Piscien. ad 11. Etiam intra Octavam Nativitatis Domini. 7. April. 1832 in u. Arimin. ad 2.

5. *In ordinatione presbyterorum* non pluribus simul, sed *cuilibet tradendus est calix cum vino et aqua, et patena cum hostia, et cuilibet formula repetenda est in singulari: „Accipe potestatem etc.“* 11. Mart. 1820 in u. Civitaten. ad 7.

6. Tolerari potest usus, ut una tantum candela accendatur, quae a singulis ordinatis episcopo offeratur post Offertorium. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 7.

Sufficit etiam, *ut unus ex ordinatis in quolibet Ordine accensum offerat cereum juxta consuetudinem.* 7. Dec. 1844 in u. Patav. ad 5.

7. Presbyteri ordinandi *tenentur solum ad „Suscipe, sancte Pater“* inchoare Missam cum celebrante et ordinante episcopo. 20. Sept. 1749 in u. Jaurin. ad 1.

8. Presbyteri ordinandi debent legere Missam *non* stantes, sed in terra genuflexi. Ibid. ad 2.

9. Presbyteri ordinandi *non* debent omnes illas, quas episcopus ordinans in Missa facit actiones, et ipsi facere, adeoque non debent cruces manu super oblata peragere etc. Ibid. ad 3.

10. Si Ordinatio presbyteri fiat in cantu, praefatio et alia quae cantantur ab episcopo, *sine cantu legenda* sunt ab Ordinatis[1]. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 11.

11. Diaconi et subdiaconi in sacra Ordinatione dicere debent „Confiteor“ *post Communionem presbyterorum.* 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 10.

12. In Communione quae confertur ab episcopo in ordinum collatione, verba: „Ecce Agnus Dei etc.,“ et „Domine, non sum dignus,“ etc. *quoad presbyteros tantum in Ordinatione habita sunt reticenda, in aliis vero casibus semper proferenda.* 11. Febr. 1702 in u. Lerien. ad 4; 7. Mai 1853 in u. Grosset. ad 3.

13. In Communione Ordinandorum, si communicentur etiam ordinati in Minoribus, episcopus debet uti forma: „Corpus D. N. J. Ch. custodiat te in vitam aeternam.“ 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 16.

14. *Non est necesse,* quod presbyteri ordinandi,

---

[1]) „Sanctus“ in Missa Ordinationis solemni cantandum videtur, quando Pontifex cum presbyteris idem Trisagion alta voce perfecit. Cantu finito, Pontifex prosequitur: „Te igitur.“ — „Agnus Dei“ a choro cantatur, dum Pontifex pacis osculum assistentibus, ordinatisque praebet. — *Communio* cantatur statim ac Pontifex sacerdotibus ordinatis Benedictionem particularem (cf. p. 69) dederit. Cantu finito, eamdem dicit Pontifex cum ordinatis presbyteris.

postquam sunt de Corpore Christi communicati, de illo calice, quem in Ordinatione sua tetigerunt, ablutionem sumant. 20. Sept. 1749 in u. Jaurin. ad 5.

15. Ad quaestionem, utrum episcopus in ordinatione Regularium in sua dioecesi degentium dicere debeat: „Promittis Ordinario tuo obedientiam etc.;“ vel potius: „Promittis mihi etc.“ *servetur clara dispositio Pontificalis Romani.* 22. Julii 1848 in u. Gandav.

16. In deosculatione quam injungit Pontificale episcopo post praestatam a presbytero ordinato in fine Missae obedientiam, *dextera vultus pars seu gena deosculanda est.* 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 17.

17. Ad quaestionem, an quoties episcopus sedens cum mitra admonensque ordinandos, debeat baculum in manu gestare, cum Pontificale solum loquatur in admonitione presbyterorum, *servetur Pontificale Romanum ut jacet.* 27. Aug. 1707 in u. Brachar. ad 4.

18. *Cum in Ordinationibus generalibus debeat episcopus benedicere solemniter,* archiepiscopus vero *habens ante se crucem,* ideo etiam in Missa pontificali non cantata, cum ministris tamen paratis, in qua conferuntur Ordines, debet archiepiscopus in fine benedicere populum cum cruce ante se; et *non* debet accipere mitram ad benedicendum. Haec tamen responsa sunt *citra approbationem Missae cum ministris*[1] *et non cantatae.* 27. Aug. 1707 in u. Brachar. ad 2.

19. *Verba Pontificalis Romani* „Nocturnum talis diei“ *intelliguntur de unico Nocturno feriali, vel de primo Dominicae, id est duodecim psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem episcopus ordinans designare potest vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio.* Quando

---

[1]) Hic non intelliguntur diaconi assistentes (cf. supra pag. 14), sed diaconus et subdiaconus Missae, ut vocant, quos, dalmatica et tunicella indutos, adhibere non licet in Missa lecta. S. Rit. Congr. 21. Jul. 1855 in u. Constantinop.

episcopus ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba Pontificalis sonant, *dicendus* est *Nocturnus ferialis ut supra, qui respondeat illi diei, in quo facta est sacra ordinatio.* 11. Aug. 1860 in u. Granat. ad d. 9. (Anal. Jur. Pont., Sér. V. p. 351).

20. Tres Missae, quas episcopus post ordinationem presbyterorum eisdem injungit, una de Spiritu sancto, altera de B. Maria V., et tertia pro defunctis, *non* possunt in diebus duplicibus minoribus celebrari, *sed in diebus a rubrica permissis*[1]. 11. April. 1840 in u. Barchinon. ad 5.

21. Ordinati ad presbyteratum evangelium in fine Missae dicant *una cum episcopo.* 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 12.

MONITA.

Cum experientia constet, novos sacerdotes in Missa suae ordinationis in varios defectus prolabi solitos esse, et multis difficultatibus idcirco implicari, quod variae Missae partes in variis Missalis partibus requirendae sint, nec continuae occurrant; operae pretium visum est, Missas cuilibet ordinationi proprias, ex Missali excerptas, in eorum gratiam et commodum typis hic mandare, ut una cum Pontifice, sicuti tenentur, singula Missae verba proferre et celebrare facilius possint.

Haec praeterea visum fuit eos commonere:

1° *Missam ordinationis, aliquot antea diebus, praevideant et perlegant, ne quo tempore dicenda erit, quidquam eos impediat aut retardet.*

---

[1]) **Has tres Missas possunt neopresbyteri offerre pro quibuscumque voluerint, stipendium accipiendo; et sufficit, quod pro episcopo ordinante orent (Ferraris Biblioth. v. Ordo Art. II. n. 115).**

2° *Ob reverentiam ordinationis, ornamenta munda et nitida sibi provideant, et quidem albi, quoad fieri poterit, coloris (cf. pag. 47).*

3° *Noverint actiones et caeremonias quas in Missa peragit Pontifex, sibi non esse peragendas; sed satis esse quod singula Missae verba attente et devote una cum illo recitent, incipiendo ab istis:* Suscipe, sancte Pater, etc. *Quae soli Missae solemni propria sunt, ab ordinatis omittuntur, ut benedictio incensi, oratio inter incensationem etc. Denique omittitur ab iisdem formula Benedictionis episcopalis:* Sit nomen Domini benedictum etc.

4° *Eamdem cum Pontifice habeant intentionem, utpote quia una cum ipso ex consuetudine offerunt et consecrant.*

5° *Flectant genua ab Offertorio usque ad finem Missae.*

6° *Attendant diligenter ita submissa voce omnia verba proferre, ut ab omnibus Pontifex audiatur; et ita simul cum eo pronuntient, ut nec praecedant, nec protrahant tardius, quod praecipue in verbis consecrationis observabunt.*

MISSAE

A SACERDOTIBUS RECENS ORDINATIS PONTIFICI CONCELEBRANTIBUS RECITANDAE.

JUXTA MISSALE ROMANUM.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS.

Dum Pontifex offert panem cum aliis particulis pro communione Ordinatorum.

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Dum mittit aquam in calicem.

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Dum offert calicem.

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae ma-

jestatis tuae, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Post oblationem calicis.

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Veni, Sanctificator omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Dum lavat manus.

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Post ablutionem manuum.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Jesu Christi Domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et istorum et omnium Sanctorum; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis

intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Dum Pontifex vertit se ad populum.

Orate, Fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Circumstantes respondent: Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque ecclesiae suae sanctae.

Pontifex et Ordinati dicunt: Amen.

Secreta.

Sacrificiis praesentibus, quaesumus Domine, placatus intende, ut et devotioni nostrae proficiant, et saluti.

Pro Ordinatis.

Tuis, quaesumus Domine, operare mysteriis: ut haec tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Aliae Secretae.

De sancta Maria.

In mentibus nostris, quaesumus Domine, verae fidei sacramenta confirma: ut qui conceptum de Virgine Deum verum et hominem confitemur, per ejus salutiferae resurrectionis potentiam, ad aeternam mereamur pervenire laetitiam.

Si dicitur ultimo loco, terminatur sic: Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Contra persecutores Ecclesiae.

Protege nos, Domine, tuis mysteriis servientes: ut divinis rebus inhaerentes, et corpore tibi famulemur, et mente. Per Dominum nostrum etc.

Vel pro Papa.

Oblatis, quaesumus Domine, placare muneribus: et famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, assidua protectione guberna. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli, coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua, Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis!

Canon.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata. In primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum: una cum famulo tuo Papa nostro N., et Antistite nostro N., et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum *(Orant aliquantulum, pro quibus orare inten-*

dunt; deinde prosequuntur cum Pontifice:) et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae; tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Communicantes et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui pridie quam pateretur, accepit Panem in sanctas ac venerabiles manus suas; et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes.

Verba Consecrationis distincte, attente et devote proferenda sunt simul cum Pontifice, ita ut ante Pontificem nec incipiantur nec absolvantur:

Hoc est enim Corpus meum.

4**

Post adorationem Hostiae.

Simili modo postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

Verba Consecrationis Calicis:

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Post adorationem Calicis.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae Passionis, nec non et ab inferis Resurrectionis, sed et in coelos gloriosae Ascensionis: offerimus praeclarae Majestati tuae de tuis donis ac datis, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitae aeternae, et Calicem salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris: et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae: ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti, et gratia repleamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro Defunctis.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. *(Orant aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendunt; deinde prosequuntur:)* Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad prima sequentia verba percutitur manu dextera pectus.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris, cum tuis sanctis apostolis et martyribus: cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis.

Dum Pontifex, facta genuflexione, signat cum Hostia super calicem:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere:

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et

nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem.

Chorus aut circumstantes respondent: Sed libera nos a malo.

Ordinati dicunt: Amen.

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea et omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

Dum Pontifex frangit Hostiam.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Dum immittit particulam Hostiae in calicem.

Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Dicendo Agnus Dei, *sese inclinant mediocriter, et ter percutiunt pectus.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Ad sequentes Orationes in inclinatione humerorum etiam perseverant.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare

digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hic Pontifex dat pacem primo ex singulis ordinatis cujuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, dicens: Pax tecum.

Ille respondet Pontifici: Et cum spiritu tuo.

Et quilibet illorum, facta profunda reverentia Pontifici, et genuflexione Ss. Sacramento, dat sequenti sui ordinis secum ordinato, et ille alteri, dicens: Pax tecum; *et sic usque ad ultimum continuatur, ut dictum est pag. 65 et 71.*

Recipitur autem pax admovendo genam sinistram sinistrae Pontificis, et eum complectendo; et simili modo datur sequenti.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus, et Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem; sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Antequam Pontifex accipiat ambas partes Hostiae.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Tum adhuc inclinati, corde humili percutiendo pectus, ter dicunt:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Dum Pontifex se signat cum Hostia, dicunt:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Dum Pontifex communicat se, devote cum ipso quiescunt aliquantulum in meditatione sanctissimi Sacramenti; deinde dicunt:

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Dum Pontifex signat se cum Calice:

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Dum Pontifex pretiosum Sanguinem sumit, piam ad Christum excitant mentem.

Post sumptionem Calicis, fit Communio sacerdotum (ut supra, pag. 66), ad quam non dicunt Confessionem, quia concelebrant Pontifici.

Dum Pontifex sumit purificationem, finita Communione:

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Dum abluit digitos.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Lecto a Pontifice Responsorio Jam non dicam etc., *novi presbyteri ante altare stantes coram ipso profitentur fidem quam praedicaturi sunt, voce mediocri et distincta dicentes:* Credo in Deum etc. *ut supra pag. 67.*

Deinde reliquae caeremoniae, ut ibid. pag. 68.

Accepta benedictione, redeunt ad locum pristinum et cum Pontifice prosequuntur Missam.

Communio.

Exultavit ut gigas ad currendam viam: a summo coelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Postcommunio.*

Quaesumus, Domine Deus noster: ut sacrosancta mysteria, quae pro reparationis nostrae munimine contulisti, et praesens nobis remedium esse facias, et futurum.

Pro Ordinatis.

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis: ut tuae redemptionis effectum, et mysteriis capiamus, et moribus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. *Aliae Postcommuniones.*

De sancta Maria.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus; per passionem ejus et crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Dominum. *Si dicatur ultimo loco.*

Contra persecutores Ecclesiae.

Quaesumus Domine Deus noster: ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subjacere periculis. Per Dominum nostrum etc.

Vel pro Papa.

Haec nos, quaesumus Domine, divini sacramenti perceptio protegat: et famulum tuum N. quem pastorem

Ecclesiae tuae praeesse voluisti, una cum commisso sibi grege salvet semper, et muniat. Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta: ut sacrificium, quod oculis tuae Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post datam a Pontifice benedictionem solemnem.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi, Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux; sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

℟. Deo gratias.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM QUADRAGESIMAE.

Ut in sabbato Quatuor Temporum Adventus, *pag. 77,* *exceptis quae sequuntur.*

Secreta.

Praesentibus sacrificiis, quaesumus Domine, jejunia nostra sanctifica, ut quod observantia nostra profitetur extrinsecus, interius operetur.

Pro Ordinatis.

Tuis, quaesumus Domine, operare mysteriis, ut haec tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Aliae Secretae.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut per hujus sacramenti virtutem, a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in praesenti, et gloriam in futuro.

Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus: tribue, quaesumus; ut intercedentibus omnibus Sanctis tuis, universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, et omnium fidelium nomina, beatae praedestinationis liber adscripta retineat. Per Dominum etc.

Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia: per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli, Coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes. Sanctus etc.

Communio.

Domine Deus meus, in te speravi: libera me ab omnibus persequentibus me, et eripe me.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Postcommunio.*

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, et vitia nostra curentur, et remedia nobis aeterna proveniant.

Pro Ordinatis.

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis, ut tuae redemptionis effectum, et mysteriis capiamus, et moribus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. *Aliae Postcommuniones.*

Mundet et muniat nos, quaesumus Domine, divini sacramenti munus oblatum: et intercedente beata Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus sanctis, a cunctis nos reddat et perversitatibus expiatos, et adversitatibus expeditos.

Purificent nos, quaesumus omnipotens et misericors Deus, sacramenta quae sumpsimus: et intercedentibus omnibus sanctis tuis, praesta: ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum: sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum. Per Dominum etc. ℟. Amen.

Super populum. Oremus.

Humiliate capita vestra Deo. *Oratio.*

Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet: quae eos et a tua voluntate numquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum etc. ℟. Amen.

SABBATO ANTE DOMINICAM PASSIONIS.

Ut in sabbato Quatuor Temporum Adventus, pag. 77, exceptis quae sequuntur.

Secreta.

Oblationibus nostris, quaesumus Domine, placare susceptis: et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.

Pro Ordinatis: Tuis, quaesumus Domine, etc. *ut supra pag. 89.*

Aliae Secretae et Praefatio, ut ibidem, in Sabbato praecedenti, pag. 89 et 90.

Communio.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit: super aquam refectionis educavit me.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Postcommunio.*

Tua nos, quaesumus Domine, sancta purificent, et operatione sua tibi placitos esse perficiant.

Pro Ordinatis: Quos tuis, Domine, etc. *pag. 90.* *Aliae Postcommuniones ut supra pag. 90 et 91.*

Super populum. Oremus.

Humiliate capita vestra Deo. *Oratio.*

Deus, qui sperantibus in te misereri potius eligis, quam irasci: da nobis digne flere mala quae fecimus; ut tuae consolationis gratiam invenire mereamur. Per Dominum etc. ℟. Amen.

SABBATO SANCTO.

Ut in sabbato Quatuor Temporum Adventus, pag. 77, exceptis quae sequuntur.

Secreta.

Suscipe, quaesumus Domine, preces populi tui, cum oblationibus hostiarum, ut Paschalibus initiata mysteriis, ad aeternitatis nobis medelam, te operante, proficiant.

Pro Ordinatis.

Tuis, quaesumus Domine, operare mysteriis, ut haec tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, Te quidem, Domine, omni tempore, sed in hac potissimum nocte gloriosius praedicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi: qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes: Sanctus etc. *ut supra pag. 80.*

Canon ibid. usque ad Communicantes, *quod habetur proprium, prout sequitur.*

Communicantes et noctem sacratissimam celebrantes Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem etc. *ut supra, pag. 81.*

Omisso Agnus Dei, *dicuntur orationes* Domine

Jesu Christe etc.; *sed non datur pacis osculum.*

Non dicitur Communio, sed ejus loco dicuntur Vesperae ut sequitur:

Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia.

Psalmus 116.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia.

Ad Magnif. *Antiphona.* Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati: venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulchrum. Alleluia.

Canticum beatae Mariae Virginis.

Magnificat anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Repetitur Antiph. Vespere autem sabbati etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Postcommunio.*

Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde, ut quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes.

Pro Ordinatis.

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis: ut tuae redemptionis effectum, et mysteriis capiamus, et moribus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Ite, Missa est. Alleluia, alleluia. ℟. Deo gratias. Alleluia, alleluia.

Reliqua ut supra pag. 88.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM PENTECOSTES.

Ut in sabbato quatuor temporum Adventus, pag. 77, exceptis quae sequuntur.

Secreta.

Ut accepta tibi sint, Domine, nostra jejunia, praesta nobis, quaesumus, hujus munere sacramenti purificatum tibi pectus offerre.

Pro Ordinatis: Tuis, quaesumus, Domine etc. *et aliae Secretae* Protege nos, *vel* Oblatis etc. *ut supra pag. 79 et 80.*

Praefatio.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes coelos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed et supernae Virtutes, atque angelicae Potestates, hymnum gloriae tuae concinunt, sine fine dicentes: Sanctus etc. *ut supra pag. 80.*

Canon ibid. usque ad Communicantes, *quod habetur proprium, prout sequitur.*

Communicantes et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus sanctus Apostolis innumeris linguis apparuit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque no-

stros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem ... *et cetera ut supra, pag. 81.*

Communio.

Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, alleluia, alleluia: sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Postcommunio.*

Praebeant nobis, Domine, divinum tua sancta fervorem, quo eorum pariter et actu delectemur, et fructu.

Pro Ordinatis: Quos tuis, Domine, *et aliae Postcommuniones* Quaesumus, Domine, *vel* Haec nos etc. *ut supra, pag. 87.*

SABBATO QUATUOR TEMPORUM SEPTEMBRIS.

Ut in sabbato quatuor temporum Adventus, pag. 77, exceptis quae sequuntur.

Secreta.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut oculis tuae majestatis munus oblatum, et gratiam nobis devotionis obtineat, et effectum beatae perennitatis acquirat.

Pro Ordinatis.

Tuis, quaesumus, Domine, operare mysteriis, ut haec tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Alia Secreta.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut per hujus Sacramenti virtutem, a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in praesenti, et gloriam in futuro.

Tertia Secreta ad libitum.

Praefatio et reliqua, ut supra pag. 80.

Communio.

Mense septimo festa celebrabitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti: ego Dominus Deus vester.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Postcommunio.*

Perficiant in nobis, Domine, quaesumus, tua Sacramenta quod continent: ut quae nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.

Pro Ordinatis.

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis, ut tuae redemptionis effectum, et mysteriis capiamus et moribus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus. *Alia Postcommunio.*

Mundet et muniat nos, quaesumus Domine, divini Sacramenti munus oblatum: et intercedente beata Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus Sanctis; a cunctis nos reddat et perversitatibus expiatos, et adversitatibus expeditos.

Tertia Postcommunio ad libitum.

Finito Evangelio, omnes Ordinati, genibus flexis, et religioso mentis cultu, per aliquam temporis

morulam gratias agant Deo pro felici ordinationis successu; Deumque ipsum tota animi contentione precentur, ut sacram illam Spiritus sancti unctionem, et robur evangelicum, negligentia sua evanescere non permittant; sed ad munus sacerdotale diligentissime perdiscendum, et, adjuvante divina gratia, pro viribus obeundum, maturo labore contendant: in memoriam revocent, se non ut servos inutiles, sed fideles operarios ad excolendam Christi vineam, per manuum episcopalium impositionem assumptos fuisse.

Postea, depositis in loco convenienti vestibus sacris, episcopi manus (ubi nempe viget illa consuetudo) reverenter, flexo genu, osculantur, eique gratias rependunt; atque recedentem, si gratum habeat, comitantur: sin autem, facta altari genuflexione, cum modestia in pace discedunt.

Cum autem saepissime accidat, quod sacer presbyteratus ordo extra tempora conferatur, idcirco ad Ordinandorum commodum heic omnes per annum occurrentes Praefationes subjungimus, ut iidem, si hoc Manuali in ordinationis Missa uti velint, nonnisi Secretam, Communionem et Postcommunionem Dominicae, aut Festi, quo ordinantur, scriptas inserere debeant. Addendae erunt Commemorationes seu Collectae forsitan occurrentes et quandoque ultimum Evangelium, quando non dicitur consuetum S. Johannis.

PRAEFATIONES PER ANNUM OCCURRENTES.

I. *Praefatio de Nativitate Domini.*

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: Quia per in-

carnati Verbi mysterium, nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes.

Infra actionem.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo beatae Mariae intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem: sed et memoriam venerantes, in primis ejusdem gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum etc. *ut supra pag. 81.*

II. *Praefatio de Epiphania Domini.*

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Quia cum Unigenitus tuus in substantia nostrae mortalitatis apparuit, nova nos immortalitatis suae luce reparavit. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes.

Infra actionem.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria coaeternus, in veritate carnis nostrae visibiliter corporalis apparuit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum etc. *ut supra pag. 81.*

III. *Praefatio Quadragesimalis.*

Habetur supra pag. 90.

IV. *Praefatio de Cruce.*

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti: ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli, coelorumque virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes.

V. *Praefatio Paschalis.*

Habetur supra pag. 93; sed in die Paschae usque ad sabbatum in Albis inclusive dicitur: In hac potissimum die, ***et*** Communicantes et diem sacratissimum celebrantes etc., ***et*** Hanc igitur oblationem etc. ***ut ibidem; deinceps vero:*** In hoc potissimum, gloriosius etc. ***et*** Communicantes ***consuetum, ut pag. 81.***

VI. *Praefatio de Ascensione Domini.*

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in coelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes.

Infra actionem.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster, unigenitus Filius tuus, unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam, in gloriae tuae dextera

collocavit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum etc. *ut supra pag. 81.*

VII. *Praefatio de Pentecoste.*

Habetur supra pag. 96, cum Communicantes *proprio per Octavam.*

VIII. *Praefatio de Ss. Trinitate.*

Dicitur in festo Ss. Trinitatis et in omnibus Dominicis totius anni extra tempus Quadragesimale et Paschale, nisi occurrat festum aut octava habens Praefationem propriam.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto, unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae, sempiternaeque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas. Quam laudant Angeli, atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim: qui non cessant clamare quotidie, una voce dicentes.

IX. *Praefatio de B. Maria Virgine.*

Dicitur in festis beatae Mariae (excepto Festo Purificationis, in quo dicitur de Nativitate Domini) et per eorum Octavas, etiam in festis intra eas occurrentibus, si propriam non habuerint. Dicitur autem vel Et te in Annuntiatione, *vel* Visitatione, *vel* Assumptione, *vel* Nativitate, *vel* Praesentatione, *vel* Conceptione immaculata, *secundum denominationem festi: et in Dedicatione sanctae Mariae ad Nives,*

et in festo Ss. ejusdem Nominis, et de Mercede dicitur: Et te in Festivitate. *In festo septem Dolorum dicitur:* Et te in Transfixione. *In festo de Monte Carmelo dicitur:* Et te in Commemoratione. *In festo Ss. Rosarii dicitur:* Et te in Solemnitate.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Et te in * * * beatae Mariae semper Virginis collaudare, benedicere, et praedicare. Quae et Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit: et virginitatis gloria permanente, lumen aeternum mundo effudit, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Coeli, coelorumque virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes.

X. *Praefatio de Apostolis.*

Vere dignum et justum est, aequum et salutare: Te Domine suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor aeterne non deseras: sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias. Ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes.

XI. *Praefatio communis.*

Habetur supra pag. 80.

MONITA

CIRCA PRIMAM MISSAM ET TRES MISSAS A PONTIFICE IMPOSITAS.

1. *Si novus sacerdos primam Missam aliquamdiu post Ordinationem celebret, secedat in solitarium aliquem locum, ubi, abjecta omni cura temporali, ad tremendum hoc sacrificium, majori puritate ac devotione prima vice offerendum, per aliquot dies se disponat ac praeparet. Curet insuper, ut sit ab omni sollicitudine liber, atque idcirco pompae exterioris et omnis apparatus negotium aliis ita committat, ut collectis sensibus et devota ac religiosa mente celebret.*

2. *Non prius celebret primam Missam, quam diligenter et accurate totius Missae ordinem, ritus ac rubricas Missalis perlegerit, atque ab aliis peritioribus presbyteris didicerit, ut rite celebrare tum primum assuescat, religiosumque hunc usum deinceps ad omnipotentis Dei gloriam, et aedificationem fidelium, et ad propriam utilitatem servet semper ac retineat.*

3. *Prima haec Missa omnino Officio respondeat; nullum enim obtinet privilegium, quo vel altiori ritu, vel, seposito Officio, tamquam Missa votiva solemnis, e. g. de Ss. Trinitate, celebrari valeat.*

4. *Neo-presbyteri in prima Missa adhibere possunt presbyterum assistentem. Quod multis in locis, immo Romae, ad secundam quoque et tertiam Missam in usu est. Presbyter vero assistens a principio Missae non habeat stolam; sed si prima Missa modo privato dicitur, assistet solummodo superpelliceo indutus. Attamen stola coloris cum Officio convenientis juxta altare ponatur, qua pre-*

sbyter assistens a Consecratione usque ad Communionem inclusive utatur, ut Celebranti in aliquo necessitatis casu subvenire possit. Post Communionem vero stolam deponat. Si vero prima Missa solemniter celebretur, presbyter assistens superpelliceo vel rochetto (si hoc ex privilegio illi concessum est) et pluviali indutus Celebranti adstabit. Stolam autem numquam adhibeat.

5. S. Rituum Congreg. d. 11. Mart. 1837 in u. Mathelicen. tria definivit: I. Celebrante solemniter prima vice novo sacerdote patrinus seu presbyter assistens *non* potest in Dominicis antea aspergere populum aqua benedicta (hoc enim ad Celebrantem spectat), ac deinde ad sacristiam accedere, et sacerdotem ipsum ad altare adducere cum ministris. II. Patrinus *non* potest subtus pluviale stolam gestare, ac fidelibus cum patena ministrare, quoties (quando) eucharistica communio instituenda est; sed *spectat utrumque ad diaconum.* III. Patrinus *neque* debet, *neque* potest loco diaconi Celebrantem incensare. — Et in u. Ord. Minor. 16. April 1853 ad 18. definivit: *Servari posse consuetudinem,* in prima Missa (privata) novi presbyteri intermiscere organa et adhibere funalia ad elevationem.

6. *Meminerit, tres Missas sibi a Pontifice injunctas statim post primam Missam, quantum fieri poterit, celebrare. Missae de Spiritu Sancto et de B. Maria V. sunt votivae, ideoque celebrentur proximis diebus, quibus rubricae Missam votivam privatam admittunt. Dicantur itaque sine* Gloria *et* Credo *(nisi Missa de B. M. V. celebretur die Sabbati, quo die in eadem dicitur* Gloria*), et cum Commemorationibus a rubrica praescriptis. Missa pro fidelibus defunctis dicatur pariter die a rubricis permisso, et quidem* q u o t i d i a n a, *ut in Missali quarto loco habetur. Servetur autem inter tres Missas ordo a Pontifice indictus.*

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM.

Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas, si sit extra curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo, a summo Pontifice Consecratori factam, si Consecrator ipse sit Cardinalis.

Statuta die Consecrationis, quae debet esse Dominica, vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si summus Pontifex hoc specialiter indulserit; et tam Consecrator, quam Electus conveniens est, ut praecedenti die jejunent.

Consecratio, si extra curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

In Ecclesia, ubi fiet Consecratio, ornantur duae capellae, major pro Consecrante, et minor pro Electo. Et in majori quidem, super altari parato, ut est moris, erit Crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata, super quibus procumbit Electus; sed Consecrator, et alii genuflectent.

Paratur etiam in loco propinquo et congruo credentia pro Consecratore, super quam erit mappa munda, duo candelabra, vasa ad abluendum manus, cum suis mantilibus, vas cum aqua benedicta, et aspersorio, thuribulum cum navicella, cochleari, et incenso, si officium fit in cantu, alias non; ampullae cum vino et aqua pro sacrificio, calix, hostiaria cum hostiis, medulla panis pro abstergendis manibus, sanctum chrisma.

Item paramenta omnia Pontificalia, coloris tempori et officio Missae convenientis, videlicet sandalia, amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirothecae, planeta, mitra auriphrigiata, annulus Pontificalis, baculus pastoralis, manipulus, et gremiale.

Item paratur faldistorium ornatum pro Consecratore, et tres sedes pro Electo et duobus Episcopis Assistentibus, Missale, et Pontificale. Consecrator habeat tres capellanos ad minus, cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam.

In capella vero minore pro Electo, quae a majore debet esse distincta, paratur altare cum Cruce, et duobus candelabris, et super illud Missale, et Pontificale, ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, ut supra pro Consecratore numerata sunt; et ultra illa, pluviale album; et prope altare credentia minor cum mappa munda, et vasis ad abluendum manus, et medulla panis ad extergendum manus et caput.

Ponuntur etiam octo mappulae ex duabus cannis panni linei subtilis, per medium scissis in longitudinem; quarum duae sint longitudinis sex palmorum quaelibet, aliae vero sex, aequalis sint quantitatis. Et candelae saltem octo, unius librae quaelibet; quarum quatuor super altare Consecrantis, duae super ejus credentiam, et duae super altare Electi ponuntur.

Annulus cum gemma benedicendus, et Electo tradendus, pecten eburneus. Et pro offertorio intortitia duo, quatuor librarum quodlibet, duo panes magni, et duo barilia vini. Panes et barilia ornentur; duo, videlicet, videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Consecratoris et Electi habentia, cum capello, vel cruce, vel mitra, pro cujusque gradu et dignitate.

Adsint duo ad minus Episcopi Assistentes, qui induuntur rochetto, et si sint Regulares, super-

pelliceo, amictu, stola, pluviali (quae cum reliquis paramentis sint coloris tempori et officio Missae congruentis), et mitra simplici alba; et quisque habeat suum Pontificale.

Hora igitur competenti Consecrator, Electus, Assistentes Episcopi, et alii, qui Consecrationi interesse debent, ad Ecclesiam conveniunt; et Consecrator, facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in Ecclesia sua; vel accedit ad faldistorium in capella sua, juxta cornu Epistolae praeparatum, et ibi de more paratur. Electus vero cum Assistentibus Episcopis vadit ad capellam suam, et ibi capit paramenta opportuna, videlicet, si Missa cantatur, amictum, albam, cingulum, stolam in modum Sacerdotis, et pluviale. Si vero officium legitur, poterit, antequam dicta paramenta accipiat, capere sandalia, et legere Psalmum Quam dilecta, etc. *Assistentes etiam Episcopi interim sua paramenta praedicta capiunt.*

Omnibus itaque paratis, Consecrator accedit ante altare, et ibi in medio sedet super faldistorium, vertens renes altari. Electus vero cum suo bireto ducitur sic paratus, medius inter Assistentes sibi Episcopos paratos, et mitratos; et cum ante Consecratorem pervenerit, nudato capite, illud profunde inclinando, ei reverentiam facit: Assistentes vero Episcopi eidem cum mitra caput aliquantulum inclinant.

Tum sedent in sedibus suis, ante Consecratorem, hoc modo: Electus contra faciem Consecratoris, ita ut inter eos sit competens distantia; antiquior Episcopus Assistens ad dexteram Electi, junior ad sinistram; ita tamen, quod ipsi Assistentes ad alterutrum facies vertant. Cum sic locati fuerint, et aliquantulum quieverint, surgunt, Electus sine bireto, et assistentes Episcopi sine mitris, et senior Assistentium versus ad Consecratorem, dicit:

Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia catholica, ut hunc praesentem Presbyterum ad onus episcopatus sublevetis.

Consecrator dicit:

Habetis mandatum Apostolicum?

Respondet Episcopus senior Assistentium: Habemus.

Consecrator dicit: Legatur.

Tum Notarius Consecratoris accipiens mandatum de manu Episcopi Assistentis, legit a principio ad finem. Interim sedent omnes, tectis capitibus. Mandato per Notarium perlecto, Consecrator dicit: Deo gratias. *Vel, si Consecratio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam juramenti per Electum praestandi receptio Consecratori committitur, litteris ipsis lectis, antequam Consecrator aliud dicat, Electus de sede sua veniens coram Consecratore genuflectit, et legit juramentum de verbo ad verbum, juxta tenorem commissionis praedictae praestandum, in hunc modum, videlicet:*

FORMA JURAMENTI.

Ego N. electus Ecclesiae N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo, sanctaeque Romanae Ecclesiae, et Domino nostro, Domino N. Papae N. suisque successoribus canonice intrantibus.

Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione: aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut nuntios suos, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam.

Papatum Romanum et regalia sancti Petri, adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem.

Legatum apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo.

Jura, honores, privilegia et auctoritatem sanctae Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum praedictorum, conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra, vel praejudicialia personarum, juris, honoris, status et potestatis eorum machinentur; et si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire.

Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica, totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari.

Haereticos, schismaticos, et rebelles eidem Domino nostro, vel successoribus praedictis, pro posse persequar et impugnabo.

Vocatus ad Synodum, veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione.

Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per meipsum visitabo; et Domino nostro, ac successoribus praefatis, rationem reddam de toto meo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meae Ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei traditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exsequar.

Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum Sacerdotem, et Clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum saecularem vel regularem, spectatae probitatis et religionis, de supra dictis omnibus plene instructum.

De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Proponentem in Congregatione Sacri Concilii, per supra dictum nuntium transmittendas.

Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignerabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice; et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.

Consecrator in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo praestationem hujusmodi juramenti recipit, Electo adhuc coram eo genuflexo dicente:

Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Et ipsum textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius, dicit Consecrator:

Deo gratias.

Ad hoc tempus singulorum triennorum tenentur omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, atque Episcopi Itali, videlicet, vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiae, atque etiam Dalmatiae et Graecarum, quae e regione ipsis Italiae et Siciliae oris sunt.

Ad tempus singulorum quadrienniorum, Germani, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, atque omnium insularum maris Mediterranei.

Ad tempus singulorum quinquenniorum, qui intra Europae fines sunt his ab provinciis remotiores, atque etiam Africani littoribus nostris adversi, atque insularum maris Oceani, Septemtrio-

nalis et Occidentalis Europae, atque Africae, citra continentem Novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint.

Ad tempus singulorum decenniorum Asiatici, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, et Septemtrionalibus, tam in insulis, quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus existentes.

Deinde Electo et Assistentibus, in locis suis (ut dictum est) sedentibus, Consecrator intelligibili voce legit sequentem examinationem, quae legi debet semper, sicut jacet, in singulari, etiam si plures simul examinentur. Assistentes vero Episcopi submissa voce dicunt, quaecumque dixerit Consecrator, et omnes debent tunc mitras tenere, et sedere.

EXAMEN.

Antiqua sanctorum Patrum institutio docet et praecipit, ut is, qui ad Episcopatus ordinem eligitur, antea diligentissime examinetur cum omni caritate de fide sanctae Trinitatis; et interrogetur de diversis causis, et moribus, quae huic regimini congruunt, ac necessaria sunt retineri, secundum Apostoli dictum: Manus nemini cito imposueris; et ut etiam is, qui ordinandus est, erudiatur qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei; et ut irreprehensibiles sint qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem itaque auctoritate et praecepto, interrogamus te, dilectissime Frater, caritate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divinae Scripturae sensibus accommodare volueris?

Tum Electus aliquantulum assurgens, detecto capite, respondet:

Ita ex toto corde volo in omnibus consentire et obedire.

Et hoc servabit ad omnes alias responsiones sequentes. Et si plures Electi fuerint, successive quisque sic respondet.

Interrogat Consecrator:

Vis ea, quae ex divinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, et verbis docere et exemplis? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis traditiones orthodoxorum Patrum, ac decretales sanctae et apostolicae Sedis constitutiones, veneranter suscipere, docere ac servare? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis beato Petro apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi ac solvendi, ejusque Vicario Domino nostro, Domino N. Papae N. suisque successoribus Romanis Pontificibus, fidem, subjectionem et obedientiam, secundum canonicam auctoritatem, per omnia exhibere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum poteris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis castitatem et sobrietatem cum Dei auxilio custodire et docere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis semper in divinis esse negotiis mancipatus, et a terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus, quantum te humana fragilitas consenserit posse? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis humilitatem et patientiam in teipso custodire, et alios similiter docere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis pauperibus et peregrinis, omnibusque indigentibus esse, propter nomen Domini, affabilis et misericors? ℟. Volo.

Tunc dicit ei Consecrator:

Haec omnia et cetera bona tribuat tibi Dominus, et custodiat te atque corroboret in omni bonitate.
Et respondent omnes: Amen.

Interrogatio.

Credis, secundum intelligentiam et capacitatem sensus tui, sanctam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in sancta Trinitate Deitatem, coessentialem, consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et majestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia quae sunt in coelo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia? ℟. Assentio, et ita credo.

Interrogatio.

Credis singulam quamque in sancta Trinitate personam unum Deum, verum, plenum et perfectum? ℟. Credo.

Interrogatio.

Credis ipsum Filium Dei, Verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coaequalem per omnia Patri in divinitate; temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper Virgine, cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem; Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasmaticum, sed unicum, et unum Filium Dei, in duabus et ex duabus naturis, sed in unius personae singularitate,

impassibilem, et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis, et pro salute nostra passum vera carnis passione, et sepultum, ac tertia die resurgentem a mortuis vera carnis resurrectione; die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse ad coelum, et sedere ad dexteram Patris; inde venturum judicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala?

℞. Assentio, et ita per omnia credo.

Interrogatio.

Credis etiam Spiritum sanctum, plenum et perfectum verumque Deum, a Patre et Filio procedentem, coaequalem et coessentialem, coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio? ℞. Credo.

Interrogatio.

Credis hanc sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, incommutabilem? ℞. Credo.

Interrogatio.

Credis Sanctam, Catholicam et Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur verum Baptisma, et vera omnium remissio peccatorum? ℞. Credo.

Interrogatio.

Anathematizas etiam omnem haeresim, extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam catholicam? ℞. Anathematizo.

Interrogatio.

Credis etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestas, et vitam aeternam? ℞. Credo.

Interrogatio.

Credis etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, et Prophetarum, et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem? ℞. Credo.

Postea Consecrator dicit:

Haec tibi fides augeatur a Domino, ad veram et aeternam beatitudinem, dilectissime frater in Christo.

Et respondent omnes: Amen.

Expleto itaque examine, praefati Assistentes Episcopi ducunt Electum ad Consecratorem, coram quo genuflexus, ejus manum reverenter osculatur. Tunc Consecrator, deposita mitra, cum ministris ad altare conversus, facit solito more Confessionem, Electo a sinistris ejus manente; et omnes Episcopi ante sedes suas stantes faciunt similiter Confessionem cum Capellanis suis. Facta itaque Confessione, Consecrator ascendit ad altare, et osculatur illud, et Evangelium in Missa dicendum; et incensat altare, more solito. Deinde vadit ad sedem suam, vel faldistorium, et procedit in Missa usque ad Alleluia, *sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiae, exclusive.*

Si vero Missa legitur, osculato altari et Evangelio, omissa incensatione, omnia praedicta legit in altari; et illis dictis, sive Missa legatur, sive cantetur, redit cum mitra ad sedendum in faldistorio, quod ante medium altaris sibi reponitur.

Episcopi vero Assistentes ducunt Electum ad Capellam suam: et ibi, deposito pluviali, Acolythi induunt illum sandalia, ipso Psalmos et orationes consuetas legente, si prius illa non acceperit. Tunc accipit Crucem pectoralem, et stola ei aptatur, ut ab humeris dependeat. Deinde tunicella, dalmatica, casula, et manipulo induitur; quibus indutus accedit ad suum altare, ubi stans in medio, medius inter Episcopos assistentes, detecto capite legit totum officium Missae, usque ad Alleluia, *sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiae, exclusive; nec vertit se ad populum, cum dicit:* Dominus vobiscum, *ut in aliis Missis fieri solet.*

Propter Ordinationes Episcoporum numquam

mutatur Officium diei; dicitur tamen, post Collectam diei, pro officio Consecrationis Collecta pro Electo, sub uno Per Dominum nostrum etc.

Oratio.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio, tuae virtutis impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Finito Graduali, si Alleluia *dicitur, alioquin dicto Tractu vel Sequentia, usque ad ultimum versum, exclusive, Consecrator accedit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedet cum mitra: Assistentes vero Episcopi iterum ducunt Electum ad Consecratorem, cui Electus, deposito bireto, caput profunde inclinans, humilem reverentiam facit: Assistentes vero cum mitris se aliquantulum inclinantes etiam Consecratorem venerantur. Tum sedent omnes, ut prius; et Consecrator sedens cum mitra, versus ad illum, dicit:*

Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, et confirmare.

Deinde omnibus surgentibus, Consecrator stans cum mitra, dicit ad circumstantes:

Oremus, fratres carissimi, ut huic Electo, utilitati Ecclesiae providens, benignitas omnipotentis Dei gratiae suae tribuat largitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox Consecrator ante faldistorium suum, et Assistentes Episcopi ante sedes suas cum mitris procumbunt: Electus vero prosternit se a sinistris Consecratoris; ministri etiam atque alii omnes genuflectunt.

Tum cantor, vel, si Officium fit legendo, Con-

secrator incipit Litanias, dicens: Kyrie eleison, etc. *prosequendo totas, prout supra in Ordinatione Subdiaconi dictum est, pag. 39.*

Postquam autem dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Consecrator ab accubitu surgens, ad Electum conversus, baculum Pastoralem cum sinistra tenens, dicit sub voce Litaniarum, primo:

Ut hunc praesentem Electum bene✠dicere digneris.

℟. Te rogamus, audi nos.

Secundo dicit:

Ut hunc praesentem Electum bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris.

℟. Te rogamus, audi nos.

Tertio dicit:

Ut hunc praesentem Electum bene✠dicere, et sancti✠ficare, et conse✠crare digneris.

℟. Te rogamus, audi nos.

Producendo semper signum Crucis super illum, idemque faciunt et dicunt Assistentes Episcopi, genuflexi tamen permanentes.

Deinde iterum procumbit Consecrator, et cantor, seu ipse qui prius dixit, eas prosequitur usque ad finem: Ut nos exaudire digneris, etc.

Quibus finitis, surgunt omnes, et Consecratore ante faldistorium suum cum mitra stante, Electus coram eo genuflectit.

Tum Consecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens imponit super cervicem et scapulas Electi; ita quod inferior pars libri cervicem capitis Electi tangat, littera ex parte inferiori manente: quem unus ex Capellanis Electi, post

ipsum genuflexus, quousque liber ipse eidem Electo in manus tradendus sit, continue sustinet.

Deinde Consecrator et Assistentes Episcopi ambabus manibus caput Consecrandi tangunt, dicentes:

Accipe Spiritum sanctum.

Quo facto, Consecrator stans, deposita mitra, dicit:

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiae sacerdotalis, bene✝dictionis tuae in eum effunde virtutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Deinde, extensis manibus ante pectus, dicit:

℣. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honor omnium dignitatum, quae gloriae tuae sacris famulantur ordinibus: Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cetera coelestis documenta culturae, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti; ut intelligentiae sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinae tuae ulli deesset aetati: cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam aenigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus, nostrae mentis ornatus est: et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum: quia et illa, quae tunc carnalibus blandiebantur

obtutibus, ea potius, quae in ipsis erant, intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quaesumus Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, et in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum, coelestis unguenti rore sanctifica.

Si in Romana curia fit Consecratio, Subdiaconus Apostolicus, vel unus ex Capellanis Pontificis, ligat caput Electi cum una ex longioribus mappulis, de octo superius dictis; et Consecrator, flexis genibus, versus ad altare incipit, ceteris prosequentibus, Hymnum: Veni, Creator Spiritus, etc.

Et dicitur usque ad finem, prout habetur supra in Ordinatione Presbyteri pag. 62.

Finito primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio ante medium altaris; capit mitram, deponit annulum et chirothecas; resumit annulum, et imponitur ei gremiale a ministris. Tum pollicem suum dextrum intingit in sanctum Chrisma, et caput Electi coram se genuflexi inungit, formans primo signum Crucis per totam coronam, deinde reliquum coronae liniendo, interim dicens:

Ungatur et consecretur caput tuum, coelesti benedictione, in ordine Pontificali.

Et producens manu dextera tertio signum Crucis super caput Electi, dicit:

In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus ✝ sancti.
℟. Amen.
℣. Pax tibi.
℟. Et cum spiritu tuo.

Et si plures sint Consecrandi, hoc in persona cujuslibet singulariter repetit.

Expleta unctione, Pontifex pollicem cum me-

dulla panis paululum abstergit: et finito Hymno praedicto, deposita mitra, surgit; et in pristina voce prosequitur, dicens:

Hoc, Domine, copiose in caput ejus influat; hoc in oris subjecta decurrat; hoc in totius corporis extrema descendat: ut tui Spiritus virtus et interiora ejus repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes ejus ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministerium reconciliationis in verbo et in factis, in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo ejus et praedicatio, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei, Domine, claves regni coelorum, ut utatur, non glorietur, potestate, quam tribuis in aedificationem, non in destructionem. Quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in coelis; et quodcumque solverit super terram, sit solutum et in coelis. Quorum retinuerit peccata, retenta sint; et quorum remiserit, tu remittas. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus; et qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur. Sit fidelis servus, et prudens, quem constituas tu, Domine, super familiam tuam, ut det illis cibum in tempore opportuno, et exhibeat omnem hominem perfectum. Sit sollicitudine impiger, sit spiritu fervens; oderit superbiam, humilitatem ac veritatem diligat, neque eam umquam deserat, aut laudibus, aut timore superatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem; non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus et insipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas ei, Domine, cathedram episcopalem, ad regendum Ecclesiam tuam et plebem sibi commissam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplica super eum bene✝dictionem et gratiam tuam; ut ad exorandam semper misericordiam tuam tuo munere idoneus, et tua gratia possit esse devotus.

Deinde submissa voce dicit legendo, ita quod a circumstantibus audiri possit:

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Post haec Consecrator inchoat, schola prosequente, Antiphonam, ton. 2.

Unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus: mandavit Dominus benedictionem in saeculum.

Psalmus 132.

Ecce quam bonum, et quam jucundum: * habitare fratres in unum!

Sicut unguentum in capite: * quod descendit in barbam, barbam Aaron;

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: * et vitam usque in saeculum.

Gloria Patri etc.

Sicut erat etc.

Deinde repetitur tota Antiph. Unguentum in capite etc.

Incepta Antiphona ante Psalmum, imponitur ad collum Electi alia ex longioribus mappulis, de octo supra dictis. Consecrator sedet, accipit mitram, et Electo ante ipsum genuflexo inungit ambas manus simul junctas cum chrismate in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero intincto duas lineas: videlicet a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae; et mox inungat totaliter palmas Electi, dicens:

Ungantur manus istae de oleo sanctificato, et Chri-

smate sanctificationis; sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ita ungantur, et consecrentur.

Et producens manu dextera ter signum crucis super manus Electi, dicit:

In nomine Dei Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiritus✝sancti, facientes imaginem sanctae crucis Salvatoris nostri Jesu Christi, qui nos a morte redemit, et ad regna coelorum perduxit.

Exaudi nos, pie Pater omnipotens, aeterne Deus, et praesta, ut quod te rogamus, exoremus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et prosequitur sedens:

Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te Chrismate, et mysticae delibutionis liquore perfundat, et spiritualis bene✝dictionis ubertate fecundet: quidquid bene✝dixeris, benedicatur; et quidquid sanctificaveris, sanctificetur; et consecratae manus istius, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. ℟. Amen.

Praemissis itaque expeditis, Consecratus jungit ambas manus, et dexteram super sinistram tenet, et eas imponit mappulae a collo dependenti. Consecrator vero abstergit paululum cum medulla panis pollicem: et, deposita mitra, surgit, et benedicit baculum pastoralem, si non sit benedictus, dicens:

Oremus.

Sustentator imbecillitatis humanae Deus, bene✝dic baculum istum: et quod in eo exterius designatur, interius in moribus hujus famuli tui, tuae propitiationis clementia operetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illum aspergit aqua benedicta.

Tum sedens, accepta mitra, solus tradit illum Consecrato coram eo genuflexo, capienti ipsum

inter indices et medios digitos, manibus non disjunctis, Consecratore dicente:

Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie saeviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.
℟. Amen.

Quo facto, deposita mitra, surgit Consecrator, et benedicit annulum, si non sit prius benedictus, dicens:

Oremus.

Creator et conservator humani generis, dator gratiae spiritualis, largitor aeternae salutis, tu, Domine, emitte bene✝dictionem tuam super hunc annulum: ut quicumque hoc sacrosanctae fidei signo insignitus incesserit, in virtute coelestis defensionis ad aeternam vitam sibi proficiat. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Tum aspergit ipsum annulum aqua benedicta: sedet cum mitra, et solus annulum in digitum annularem dexterae manus Consecrati immittit, dicens:

Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias. ℟. Amen.

Tum Consecrator accipit librum Evangeliorum de scapulis Consecrati; et, adjuvantibus ipsum Episcopis Assistentibus, tradit eum clausum Consecrato. tangenti illum sine apertione manuum, dicens:

Accipe Evangelium, et vade, praedica populo tibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam: qui vivit et regnat in saecula saeculorum.
℟. Amen.

Demum Consecrator recipit Consecratum ad

osculum pacis; similiter et Assistentes Episcopi singuli, dicentes ipsi Consecrato: Pax tibi.

Et ipse respondet singulis: Et cum spiritu tuo.

Tum Consecratus, medius inter Assistentes Episcopos, redit ad Capellam suam, ubi abstergitur ei sedenti caput cum medulla panis, et cum panno mundo: deinde cum pectine mundantur et complanantur capilli, postea lavat manus. Consecrator vero in suo faldistorio manus lavat. Deinde procedit in Missa usque ad Offertorium inclusive. Idem facit Consecratus in Capella sua.

Dicto Offertorio, Consecrator sedet cum mitra in faldistorio, ante medium altaris. Et Consecratus veniens ex sua Capella, inter Assistentes Episcopos medius, coram Consecratore genuflectit; et illi offert duo intortitia accensa, duos panes, et duo barilia vino plena; et Consecratoris praedicta recipientis manum reverenter osculatur.

Deinde Consecrator lavat manus, et accedit ad altare; Consecratus etiam ad posterius cornu Epistolae altaris ejusdem accedit: et ibi stans medius inter Episcopos Assistentes, ante se habens Missale suum, simul cum Consecratore dicit, et facit omnia, prout in Missali. Et ponatur una hostia consecranda, pro Consecrante et Consecrato, et vinum consecrandum in Calice, sufficiens pro utroque.

Secreta sequens dicitur cum Secreta Missae diei sub uno Per Dominum, *per Consecratorem.*

Secreta.

Suscipe, Domine, munera, quae tibi offerimus pro hoc famulo tuo: et propitius in eo tua dona custodi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Consecratus dicit: *Secreta.*

Suscipe, Domine, munera, quae tibi offerimus pro me famulo tuo: et propitius in me tua dona custodias. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. ℟. Amen.

Infra actionem dicit Consecrator.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus, etiam pro hoc famulo tuo, quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quaesumus Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias: ut, quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exsequatur; diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Consecratus dicit:

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offerimus, etiam pro me famulo tuo, quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quaesumus Domine, ut placatus accipias, et propitius in me tua dona custodias: ut, quod divino munere consecutus sum, divinis effectibus exsequar; diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dicta Oratione Domine Jesu Christe, qui etc. *per Consecratorem et Consecratum, Consecratus accedit ad dexteram Consecratoris, et ambo osculantur altare: tum Consecrator dat pacem Consecrato, dicens:* Pax tecum.

Cui respondet Consecratus: Et cum spiritu tuo.

Et dat eam Assistentibus suis, seniori primo, tum alteri, singulis dicens: Pax tibi.

Et illi sibi respondent: Et cum spiritu tuo.

Deinde, postquam Consecrator Corpus Domini sunpserit, non totum Sanguinem sumit, sed solum partem ejus cum particula hostiae in Calicem missa. Et priusquam se purificet, communicat Consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem, et non genuflectentem, prius de Corpore, tum de Sanguine: deinde purificat se, postea Consecratum. Tum abluit digitos super Calicem, et sumit etiam ablutionem, et, assumpta mitra, lavat manus.

Interim Consecratus cum Assistentibus Episcopis accedit ad posteriorem partem alterius cornu altaris, videlicet Evangelii, et ibi prosequitur Missam sicut Consecrator in cornu Epistolae.

Postcommunio, quae dici debet cum Postcommunione diei sub uno Per Dominum.

Plenum, quaesumus Domine, in nobis remedium tuae miserationis operare: ac tales nos esse perfice propitius, et sic fove, ut tibi in omnibus placere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc. ℟. Amen.

Deinde dicto Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *prout tempus requirit, Consecrator dicto in medio altaris* Placeat etc., *accepta ibidem mitra, si non sit Archiepiscopus, et in sua provincia, stans versus ad altare populo solemniter benedicit, dicens:* Sit nomen Domini benedictum, etc.

Data benedictione, reponitur faldistorium ante medium altaris, et Consecrator cum mitra in eo sedet: Consecratus vero, parvum biretum in capite tenens, coram eo genuflectit. Tum Consecrator, deposita mitra, surgit, et benedicit mitram, si non sit benedicta, dicens:

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, cujus praeclara bonitas est, et virtus immensa, a qua omne datum optimum, et omne donum perfectum, totiusque decoris

ornamentum: bene✝dicere et sancti✝ficare dignare hanc mitram hujus famuli tui Antistitis capiti imponendam. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Et mox eam aspergit aqua benedicta: deinde sedens cum mitra, adjuvantibus ipsum Assistentibus Episcopis, imponit eam capiti Consecrati, dicens:

Imponimus, Domine, capiti hujus Antistitis et agonistae tui galeam munitionis et salutis, quatenus, decorata facie, et armato capite cornibus utriusque Testamenti, terribilis appareat adversariis veritatis; et te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus exstat: qui Moysi famuli tui faciem, ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuae claritatis ac veritatis cornibus insignisti, et capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi jussisti. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Deinde, si chirothecae non sint benedictae, surgit Consecrator, mitra deposita, et eas benedicit dicens:

Oremus.

Omnipotens Creator, qui homini ad imaginem tuam condito, manus discretionis insignitas, tamquam organum intelligentiae, ad recte operandum dedisti, quas servari mundas praecepisti, ut in eis anima digne portaretur, et tua in eis digne consecrarentur mysteria: bene✝dicere et sancti✝ficare dignare manuum haec tegumenta: ut quicumque ministrorum tuorum, sacrorum Pontificum, his velare manus suas cum humilitate voluerit, tam cordis quam operis ei munditiam tua misericordia subministret. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Et aspergit eas aqua benedicta. Tum extrahitur Consecrato annulus Pontificalis, deinde sedet Consecrator, et, accepta mitra, adjuvantibus Assistentibus Episcopis, imponit illas manibus Consecrati, dicens:

Circumda, Domine, manus hujus Ministri tui munditia novi hominis qui de coelo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hoedorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo impetravit; sic et iste, oblata per manus suas hostia salutari, gratiae tuae benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati tibi pro nobis obtulit semetipsum. ℟. Amen.

Et statim imponit ei annulum Pontificalem. Tum surgit Consecrator, et accipit Consecratum per manum dexteram, et primus ex Assistentibus Episcopis per sinistram, et inthronizant eum, ponendo ipsum ad sedendum in faldistorio, de quo surrexit Consecrator: vel, si id fiat in Ecclesia propria Consecrati, inthronizant eum in sede episcopali consueta; et Consecrator tradit ei baculum pastoralem in sinistra.

Deinde versus ad altare Consecrator, deposita mitra, stans incipit, ceteris usque ad finem prosequentibus, Hymnum:

Te Deum laudamus,* te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem* omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli,* tibi coeli, et universae potestates:
Tibi Cherubim et Seraphim* incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus,* Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra* majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus* Apostolorum chorus.
Te Prophetarum* laudabilis numerus,
Te Martyrum candidatus* laudat exercitus.
Te per orbem terrarum* sancta confitetur Ecclesia:
Patrem* immensae majestatis,
Venerandum tuum verum,* et unicum Filium,
Sanctum quoque* Paraclitum Spiritum.
Tu Rex* gloriae Christe.

Tu Patris* sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem,* non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo,* aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes* in gloria Patris.

Judex crederis* esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni,* quos pretioso Sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis* in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine:* et benedic hereditati tuae.

Et rege eos,* et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies* benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum,* et in saeculum saeculi.

Dignare Domine die isto* sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine,* miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos,* quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi,* non confundar in aeternum.

Incepto Hymno, Consecratus ducitur ab Assistentibus Episcopis cum mitris per Ecclesiam, et omnibus benedicit; Consecratore interim apud altare sine mitra stante in eodem loco. Cum vero Consecratus reversus fuerit ad sedem suam, seu faldistorium, iterum sedet, quousque finiatur Hymnus praedictus: Assistentes deponunt mitras, et stant apud Consecratorem.

Finito Hymno, Consecrator stans sine mitra apud sedem, seu faldistorium a parte dextra Consecrati, dicit, vel, si Officium cantatur, incipit, schola prosequente, Antiphonam, ton. 6.

Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: justitia et judicium praeparatio sedis tuae.

℣. Gloria Patri etc.

℟. Sicut erat etc.

Et repetitur tota Antiphona; qua finita, Consecrator dicit:

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, omnium fidelium pastor et rector, hunc famulum tuum, quem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, Consecrator, detecto capite, manet ad cornu Evangelii altaris, apud quem Assistentes stant sine mitris.

Consecratus vero surgit, et accedens cum mitra, et baculo pastorali ante medium altaris, versus ad illud, signans se cum pollice dexterae manus ante pectus, dicit:

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Deinde faciens signum crucis a fronte ad pectus, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

Tum elevans, ac jungens manus, et caput inclinans, dicit:

Benedicat vos omnipotens Deus.

Et cum dixerit Deus, *vertit se ad populum, et tertio super eum signans benedicit, dicens:*

Pa†ter, et Fi†lius, et Spiritus † Sanctus. ℟. Amen.

Tum Consecrator accipit mitram, stans in cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolae; apud

quem etiam stant Assistentes cum mitris: Consecratus vero accedit ad cornu Epistolae altaris, et ibidem cum mitra et baculo genuflexus, versus ad Consecratorem, dicit cantando: Ad multos annos.

Deinde accedens ante medium altaris, ubi iterum ut prius genuflexus, dicit altius cantando: Ad multos annos.

Postea accedit ad pedes Consecratoris, ubi tertio genuflexus, ut supra, iterum altius cantando dicit: Ad multos annos.

Tum Consecrator recipit eum surgentem ad osculum pacis; et similiter faciunt Assistentes Episcopi, qui Consecratum cum mitra et baculo pastorali incedentem et Evangelium sancti Joannis: In principio erat Verbum etc. *dicentem, post reverentiam Cruci super altare factam, inter se medium ducentes, ad suam capellam revertuntur, ad se exuendum sacris vestibus, et interim dicit Antiph.* Trium puerorum, *et Cantic.* Benedicite etc. *Consecrator vero, pacis osculo, ut praemittitur, Consecrato dato, dicit submissa voce:* Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio erat Verbum, etc.

Signat altare, et se, et facta similiter Cruci reverentia, apud sedem vel faldistorium deponit sacras vestes, interim etiam dicens Antiphonam Trium puerorum, *et Canticum* Benedicite, etc. *Quibus depositis, Consecratus Consecratori et Assistentibus suis, pro more, gratias agit, et vadunt in pace omnes.*

EX DECRETIS S. CONGREGATIONIS RITUUM.

1. In consecratione episcoporum *consecrandus albo, consecrator et assistentes colore tempori convenienti* uti debent. 16. Jun. 1663 in u. Granat. ad 2.

2. In quaestione: quo loco debeat fieri commemoratio in Missa pro consecratione episcopi, quando ratione festi occurrentis dicitur Missa de festo habente plures

alias commemorationes? *serventur rubricae Pontificalis Romani de Consecrat. Electi in episcopum post Examen* §. „Propter Ordinationem," *et Missalis in fine post Benedictiones*[1]. 8. Jun. 1709 in u. Brachar. ad d. 7.

3. *Servandum est Pontificale Romanum* in quaestione, an episcopus consecrandus debeat omnes illas actiones facere, quas episcopus ordinans in Missa facit. 20. Sept. 1749 in u. Jaurin. ad 4.

4. In quaestione, quibus verbis in episcoporum Consecratione uti debeat Consecrator, dum communicat consecratum de Corpore et Sanguine Domini, *servandum est Pontificale.* 25. Sept 1852 in u. Venet. ad 6.

5. Quando facultas facta est, ut in consecratione episcopi duo assistant presbyteri loco duorum episcoporum, *servetur eodem modo rubrica Pontificalis Romani,* ita ut isti presbyteri assistentes debeant ambabus manibus caput consecrandi post episcopum consecrantem tangere, et recipere consecratum ad osculum pacis. 9. Jun. 1853 in u. Cochinchin. ad 3.

---

[1]) **Haec rubrica jubet:** *Dicitur* **Oratio in Consecratione Episcopi** *cum Oratione Missae diei sub una conclusione, et similiter Secreta et Postcommunio.*

PARS SECUNDA.

INSTRUCTIO

DE SACRIFICIO MISSAE

ET DE REQUISITIS AD DIGNAM EJUS CELEBRATIONEM.

CAPUT I.

DE SACRIFICIO MISSAE.

EX TRACTATU VEN. CARD. JOANNIS BONA DE SACRIFICIO MISSAE.

§. I. *Quale sacrificium est Missa.*

Quamvis in lege veteri plura fuerint sacrificia, in nova tamen unicum est, quod omnium legalium hostiarum differentiam tanto perfectius complectitur, quanto excellentior, Deoque acceptabilior est victima quae in eo immolatur.

Est igitur Missa sacrificium *latreuticum*, sive honorarium, oblatum Deo ad summum et supremum cultum atque honorem ipsi exhibendum, tamquam primo principio et ultimo fini nostro, in protestationem infinitae ejus excellentiae, dominii et majestatis, nostraeque ab eo dependentiae, servitutis et subjectionis.

Est *eucharisticum*, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis naturae, gratiae et gloriae collatis et conferendis ab ipso Deo, ut summo benefactore.

Est *propitiatorium* et satisfactorium pro peccatis et poenis debitis; applicat enim omnibus, pro quibus

offertur, vim et virtutem sacrificii crucis: imo est idem sacrificium quoad substantiam, eadem hostia, idem principalis offerens, licet diverso modo offeratur. Ideo vero propitiatorium dicitur, quia hac oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae peccatoribus non ponentibus obicem concedit: poenas item peccatis debitas relaxat, quia per ipsum applicatur sacrificium Christi, qui pro peccatis totius mundi in cruce satisfecit.

Easdem poenas remittit defunctis existentibus in purgatorio, quia ad eum quoque finem a Christo institutum est, ut constat ex *potestate* quae confertur sacerdotibus in ordinatione, *offerendi pro vivis et defunctis:* nec potest hoc effectu carere, quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest.

Porro in illis, pro quibus tantum offertur, sive vivis, sive defunctis, tanta erit poenae remissio, quantam Christus ex sua misericordia taxavit. Licet enim res quae offertur, sit infiniti valoris, nostra tamen oblatio non nisi finitum habet effectum, ut communiter docent theologi. In iis vero qui simul etiam offerunt, augetur pro cujusque affectu et devotione.

Denique quia Christus non solum nobis remissionem peccatorum, sed alia quaecumque beneficia promeruit, idcirco hoc sacrificium est etiam omnium bonorum *impetratorium*, spiritualium quidem primo et per se, temporalium vero secundario, et quatenus ad spiritualia conducunt. Sed quia ex se vim habet dumtaxat impetrandi in genere, ut quid determinatum impetretur, debet ad illud offerentis intentio specialiter applicari. Ad impetrandum autem pro Ecclesia, semper intervenit ejusdem Ecclesiae intentio, praesertim quoad ea quae in orationibus Missae a Deo petuntur: nam ipsa quoque Ecclesia est offerens in persona sui ministri.

§. II. *De his qui offerunt hoc sacrificium.*

Primum et praecipuum inter offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per sacerdotes

ministros suos, ideo dicitur sacerdotium habere sempiternum, sicut scriptum est: *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[1].

Non solum autem ex eo est offerens, quod illud instituerit, quodque ei vim totam ex meritis suis contulerit; sed ex eo praecipue quod sacerdos in persona ejus, et tamquam minister ac legatus, ipsum repraesentans sacrificet, ut constat ex verbis consecrationis: non enim dicit: *Hoc est corpus*, vel *Hic est Sanguis* Christi, sed *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*. Christus igitur simul cum sacerdote idem sacrificium Deo Patri pro hominibus offert, et ex ejus persona, cujus purissima sanctitas et dignitas infinita est, semper hoc sacrificium mundum est et gratum Deo, quamvis a ministro peccatore offeratur.

Alter offerens est ipsa catholica Ecclesia, cujus sacerdos minister est, et in ea omnes fideles non excommunicati, qui etiam aliqua ratione sunt offerentes per sacerdotem, non tamquam per ministrum, sed tamquam per legatum, seu mediatorem. Nam sicut tota respublica dicitur agere quidquid ejus nomine legatus suus agit; sic omnes catholici dicuntur sacrificare, quia ipsorum nomine in persona totius Ecclesiae sacerdos sacrificat. Non tamen omnes eodem modo, sed quidam habitualiter tantum, illi nimirum qui nec adsunt sacrificio, nec cogitant de illo; quia tamen uniti sunt toti Ecclesiae per caritatem, censentur habitualiter idem facere quod illa facit. Alii causaliter, jubendo et curando ut quis sacrificet, quod maxime contingit in dantibus ad hoc eleemosynam; alii demum actualiter, qui sacrificio actu intersunt.

Tertius offerens, et proprius minister hujus sacrificii, est sacerdos legitime ordinatus, cujus tam firma et immobilis potestas est, ut etiam in haeresim lapsus, suspensus, depositus, degradatus, sive excommunicatus, valide hoc sacramentum conficiat et offerat, quamvis

1) Ps. CIX. 4.

illicite, dummodo legitimam materiam et formam adhibeat. Nec valor sacrificii minuitur, etsi sacerdos pessimus aut ab Ecclesia praecisus sit: non enim fructus ex qualitate ministri, sed ex Christi institutione dependet.

§. III. *De vi effectiva hujus sacrificii.*

Duplex spectari potest in hoc sacrificio vis effectiva: una, quam dicunt theologi *ex opere operato,* independenter a merito et dignitate ministri; altera, quam vocant *ex opere operantis,* dependenter nimirum ab ipso operante, ejusque merito et bonitate, atque ab ipso pretium et virtutem accipiens.

Primum effectum *ex opere operato* plures theologi docent, nec sacerdotem percipere, ut offerens est, nec fideles, quatenus sunt offerentes, sed quatenus pro ipsis offertur; hunc enim effectum sacrificium istud non habet, nisi pro iis pro quibus est institutum, et eo modo quo institutum fuit: est autem institutum, ut pro hominibus offeratur, et ut illis dumtaxat prosit pro quibus offertur. Cumque sit applicativum virtutis sacrificii crucis, non causat nisi in subjecto, cui talis virtus applicatur; id autem fit ab offerente, qui determinat oblationem pro tali persona.

Constans semper fuit catholicorum sententia, habere hos infallibiles et determinatos effectus ex opere operato, nisi ille pro quo offertur, obicem ponat: remissionem videlicet alicujus poenae peccatis jam remissis debitae, vel donum alicujus gratiae praevenientis ad obtinendam commissorum remissionem.

Quod vero attinet ad vim impetrativam, eam non esse infallibilem quotidiana probamus experientia; non enim omnia quae petimus, et propter quae sacrificium offertur, semper impetramus. Provenit hoc ex natura impetrationis, quae requirit libertatem in dante, adeo ut possit pro suo arbitrio negare vel concedere quae petuntur. Petimus enim proposito aliquo motivo, quo putamus posse Deum moveri ad aliquid faciendum, sed ex eo non arctatur, vel propter pactum, vel propter

institutionem, ad concedendum. Deinde non impetramus, nisi voluntas nostra, respectu rei quam petimus, sit conformis voluntati Christi, quae, cum nobis ignota sit, ei non possumus nos conformare. Certum nihilominus est, non carere sacrificium hoc effectu, quia tametsi id praecise Deus non concedit quod postulamus, aliud tamen tribuit quod hic et nunc magis judicat expedire.

Quoad alterum effectum *ex opere operantis,* duo sunt capita, ex quibus augeri potest. Primum est bonitas et dignitas operantis, procedens ex habitu gratiae sanctificantis et virtutum quae gratiae annexae sunt; nam quo sanctior est sacerdos et gratior Deo, eo magis acceptabiles erunt ejus preces et oblationes. Secundum est actualis devotio, qua sacrificium offertur; nam quo major illa est, eo amplius ipsum prodest. Sicut enim alia opera bona a justo facta, eo magis sunt meritoria et impetratoria, plusque valent ad satisfactionem et remissionem poenae, quo perfectius et ferventius fiunt: ita hoc sacrificium, sive spectetur ut est sacrificium, sive ut est sacramentum, quo ferventius peragitur et suscipitur, eo magis augetur meritum, magisque prodest pro se offerentibus et suscipientibus, et illis pro quibus offertur.

Ideo satagere debet sacerdos, ut sit Deo valde gratus, et continua virtutum heroicarum exercitatione crescat apud illum in gratia et sanctitate, semperque celebret cum ingenti fervore et devotione; sic enim fiet, ut tam ipse quam alii pro quibus offert, plures et efficaciores sacrificii effectus ex opero operantis consequantur.

§. IV. *De valore et fructibus sacrificii.*

Quamvis nonnulli ex theologis existimarint, hoc sacrificium ex opere operato valorem sive efficaciam intensive infinitam habere, eo quod sit idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, resque oblata, Corpus scilicet et Sanguis Christi, sit infiniti pretii, et ipse

Christus principalis offerens sit persona infinita; certior tamen et communior sententia est, non nisi finiti valoris esse.

Potissima hujus assertionis ratio ex Christi Domini voluntate desumitur, qui noluit hoc sacrificium ordinare ad fructum intensive infinitum conferendum: sicut de facto rebelles angeli non sunt redempti, quia Christus merita suae passionis noluit illis applicare.

Alia ratio est, quia ad infinitam sacrificii efficaciam, praeter hostiae et principalis offerentis infinitatem, requiritur etiam ejus infinitas, a quo immediate offertur. Cum igitur sacerdos immediatus offerens sit finitae dignitatis, valor etiam sacrificii quoad actualem influxum et efficientiam finitus erit, quia actio illa a supposito finito immediate producitur: et in hoc differt a sacrificio crucis sacrificium nostrum, quia illud fuit immediate a supposito infinito, ideoque fuit actio secundum esse morale infinita, et Deo Patri infinite grata.

Favet huic doctrinae communis fidelium sensus, qui plura pro se et suis sacrificia offerri curant, quod certe non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod ecclesiastica vetant decreta. Frustra pro uno defuncto tot multiplicarentur sacrificia, quia unum sufficiens esset ad omnes animas liberandas. Missa denique cujuslibet sacerdotis sacrificium Christi in cruce aequaret, quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti.

Neque considerandum est id quod in sacrificio continetur, tamquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis suae, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens principale, Christus Redemptor noster, qui hoc incruento sacrificio vult nobis applicari finitum tantum et limitatum fructum suae passionis.

Habet igitur sacrificium efficaciam finitam in ordine ad omnes suos effectus, excepta vi impetrativa, quam ideo infinitam esse omnes fatentur, quia non consistit

in aliquo quod producatur a sacrificio, sed in excellentia et intrinseca dignitate ipsius, quatenus objective movet Deum ad id quod petitur concedendum, quamvis semper non concedat, nisi cum judicat saluti nostrae expedire ut concedatur[1].

Si vero loquamur de infinitate extensiva: an scilicet sacrificium pro multis oblatum aeque singulis prosit, sicut uni prodesset, si pro eo tantummodo offerretur, gravis quaestio est, praemissa distinctione fructuum Missae definienda. Est igitur triplex portio valoris Missae, seu triplex fructus: generalis, specialis, et medius. Primus pertinet ad omnes fideles; secundus est proprius celebrantis; tertius subest dispositioni sacerdotis, ut applicet cui voluerit.

Primus ex eo provenit quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis et defunctis offertur. Est enim idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, quod pro omnibus oblatum est; et ex Canone constat debere sacerdotem pro omnibus applicare, pro papa, pro episcopo, totaque Ecclesia militante et purgante: et non potest non applicare, cum sit ab ipsa Ecclesia ad hoc specialiter deputatus. Quocirca hic fructus ad omnes fideles extenditur, qui ab Ecclesiae unitate non sunt praecisi, et non ponunt obicem, et sic potest esse quodammodo extensive infinitus; omnesque et singuli, si per ipsos non stet, integrum fructum percipere possunt, ac si unus tantum esset. An autem hic fructus non solum impetrationem, sed etiam satisfactionem includat, controversum est.

Secundus in hoc fundatur, quia sacerdos offert etiam pro se ipso: *Offero,* inquit, *pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis.* Debet enim, ut ait Apostolus, *quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*[2]. Provenit autem sacerdoti fructus, quatenus ab ipso ut

[1]) Quod brevius ita dici solet: Sacrificium Missae est valoris infiniti *in se*, finiti quoad *applicationem* vel *communicationem*. — [2]) Hebr. V. 3.

publico ministro offertur; et ideo non est alteri applicabilis; nam dum offert pro se illis verbis, *pro peccatis et offensionibus meis,* eo ipso sibi applicat; sibi vero applicatum non est alteri applicabile.

Tertius colligitur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur, ac propterea illis prodesse debet pro quibus offertur. De hoc fructu medio communis sententia est, non esse infinitum extensive, sed eo magis in singulis minui, quo magis extenditur. Debet autem sacerdos hunc fructum illi applicare pro quo specialiter celebrare tenetur ratione beneficii, eleemosynae, praecepti superioris, vel alio quocumque titulo; idque ante Missam, vel saltem in Missà ante consecrationem; nam si essentia Missae in sola consecratione consisteret, ut plerique sentiunt, applicatio post illam facta nihil valeret, sacrificio quoad substantiam jam consummato.

§. V. *Quae praxis servanda in applicatione Missae.*

Quia diximus sacrificii fructum debere a sacerdotibus applicare, operae pretium erit, ex communi et magis recepta theologorum sententia praxim aliquam, sive methodum hujus applicationis praescribere, quae ipsis sacerdotibus usui sit, ne eos labi in re tanti momenti, et muneri suo deesse contingat.

Et *primo* quidem observandum est, sacerdotem multiplici nomine hoc sacrificium offerre: nomine Christi, primi et praecipui offerentis, ex cujus voluntate maxime pendet ejusdem applicatio; nomine item Ecclesiae, cui meritorum suorum et satisfactionum dispensationem Christus commisit; deinde nomine proprio, quatenus libera sua voluntate offert, sibique aut aliis pro suo arbitrio applicat; nomine tandem aliorum fidelium, qui simul cum ipso, sive per ipsum interno affectu offerre dicuntur, illorum videlicet, qui Missae inserviunt et assistunt, vel qui pro ea celebranda eleemosynam largiti sunt.

Porro Christus et Ecclesia sacrificii fructuum, quo-

ties offertur, participes esse volunt omnes fideles, dummodo capaces sint, et nullus in eis obex reperiatur; nec ulla requiritur ex parte sacerdotis celebrantis applicatio, ut communis hic fructus in omnes diffundatur. Omnium autem fructuum pars quaedam notabilis, Christo sic volente et disponente, relicta est liberae applicationi et determinationi tam ipsius sacerdotis celebrantis, tamquam ministri et mysteriorum ejus dispensatoris, quam aliorum simul cum eo offerentium, quod ex communi Ecclesiae consensu morem fidelium approbantis, quo expetunt hoc sacrificium pro se peculiariter offerri, manifestum est; frustra enim id facerent, si omnis ejus fructus jam applicatus esset, nec ullus per sacerdotis intentionem applicandus superesset. Sacerdos vero, in hujus sacrificii actione, aliis cum ipso offerentibus superior est, et ideo fructuum applicatio ab ejus intentione praecipue pendet: nam cum sit actus potestatis ordinis, ejus subjacet voluntati[1].

Sed quanta et qualis sit portio fructus, quam Christus Dominus voluit, sive generatim ad omnes fideles, sive speciatim ad hos vel illos secundum intentionem particularem sacerdotis celebrantis derivari, incertum omnino est; neque enim sacra Scriptura, nec Ecclesiae traditio, nec Concilia, aut Patres quidquam de hac re tradiderunt aut definierunt. Ideo satis est quod sacerdos tantum de fructu sacrificii juxta devotionem, sive obligationem suam his aut illis applicare velit, quantum Christus Dominus ipsi applicandum concessit.

Observandum *secundo* quod, ut sacerdos sacrificii fructum valide applicet, necessaria est ejus intentio, qualem requiri aiunt theologi, ut aliquod sacramentum valide conficiatur. Quapropter habitualis sufficiens non est; actualis optima atque laudabilis, sed non necessaria; sufficit enim virtualis, illa nimirum quae ab actuali proveniens et non revocata, adhuc remanet

[1]) Cf. Constit. *Auctorem fidei* Pii VI. (in *Enchiridio* ed. ab H. Denzinger).

secundum suam virtutem. Debet autem haec intentio ipsam sacrificii actionem concomitari, et esse certa et determinata, nec effectum suspensum relinquere, quia non potest a futura conditione dependere.

Quod si sacerdos fructum sacrificii nemini applicat, vel ille pro quo offert, ejus capax nòn est, aut eo non indiget, manet fructus in thesauro Ecclesiae. Unde in tali casu optimum fore censent theologi conditionatam habere voluntatem, et alium substituere qui eo fructu potiatur. Optimum quoque aliquibus visum est, quod sacerdos qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter et nominatim exprimat, non generaliter, et in confuso, quia singulis minus prodesset; suum enim effectum producit secundum modum quo applicatur: perfectior autem applicatio est, cum omnes sigillatim nominantur.

Ad scrupulos denique evitandos qui circa applicationem oriri possunt, debet sacerdos, rejectis incertis opinionibus, sacrificii fructus primo et principaliter illi applicare pro quo celebrare tenetur, ratione beneficii, eleemosynae, promissionis, aut specialis obligationis. Tum sine ejus praejudicio, et in quantum licite potest, aliis item applicare poterit sibi caritate, aut alia quavis ratione peculiariter conjunctis, seu commendatis, suam intentionem intentioni Christi summi sacerdotis perfecte conformando et submittendo. Sic enim poterit tuta conscientia, ex infinito et nunquam exhauriendo thesauro meritorum et satisfactionum Christi, cujus dispensator est constitutus, partem aliquam in plures derivare, quae, ex summa et ineffabili Dei misericordia, non nisi uberrima sperari potest.

CAPUT II.

DE REQUISITIS AD DIGNAM MISSAE CELEBRATIONEM.

„Quanta cura adhibenda sit,“ ait *Concilium Tridentinum*[1], „ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, *maledictum* in sacris litteris eum vocari, *qui facit opus Dei negligenter*[2]. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, peragatur.“

Quod quidem ut assequatur Christi sacerdos, varia praestare debet tum ante celebrationem sacrificii, tum ipso celebrationis tempore, tum demum peracto jam sacrificio.

ARTICULUS I.

Quid praestare debeat sacerdos ante celebrationem Missae.

Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum[3]. Quod si Deum tentare atque ad iracundiam provocare dicitur qui ipsum audet in oratione interpellare, non praemissa diligenti et accurata praeparatione; quanto magis eumdem sua temeritate et audacia irritabit, qui unigenitum Filium suum illi offerre, ipsumque angelorum et hominum Regem ac Dominum suscipere imparatus praesumit. *Praeparare* igitur *in occursum Dei tui*[4].

---

[1]) Sess. XXII. Decret. de observ. et evit. in celebr. Missae. — [2]) Jerem. XLVIII. 10. — [3]) Eccli. XVIII. 23. — [4]) Amos IV. 12.

Haec autem praeparatio in tribus potissimum consistit: 1. in vitae puritate; 2. in rectitudine intentionis; 3. in actuali devotione.

§. I. *De vitae puritate.*

Christus Dominus quamvis apostolis, quos sacerdotes consecraturus, et sacrâ Eucharistia refecturus erat, dixisset: *Vos mundi estis;* illud tamen adjecit: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*[1]. His verbis indicans homini etiam a gravioribus peccatis libero, affectus inordinatos, qui sunt animae pedes, abluendos esse.

Etenim si in veteri Testamento, ubi tantum hujus divinissimi sacrificii umbra erat, sub mortis comminatione priscis sacerdotibus mandabatur, ut ab omni macula et immunditia essent expertes: *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quae consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino*[2]*;* quo non oportet esse puriorem sacerdotem novae Legis tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum Agni immaculati carnem dividentem, os quod pane spirituali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit?

Atque hujus puritatis defectus saepe in causa est, cur sacerdotes non pauci tam parvum ex frequenti hujus divini sacrificii participatione fructum reportent, adeo ut non immerito hanc Prophetae objurgationem eis adaptaveris[3]: *Comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati; operuistis vos et non estis calefacti; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum,* nempe in cor distractum et vanitatibus discissum. Ne tamen omnino diffidas, si perfectam istam munditiem tibi deesse deprehenderis, sed frequenti quotidianorum defectuum confessione et cordis contritione animae tuae labes resarcire satagas.

---

1) Joh. XIII. 10. — 2) Levit. XXIII. 3. — 3) Agg. I. 6.

§. II. *De rectitudine intentionis.*

Secunda sacerdotis dispositio ad celebrandum est intentio recta; constat enim omnes actiones nostras vel vituperii notam, vel virtutis laudem mereri, prout finis quem intendimus, laudabilis est, vel vitiosus. „Vae igitur," ait *S. Bonaventura*[1], „iis sacerdotibus qui dum . . . divina mysteria accipiunt, non coelestem panem, sed terrenum quaerunt; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quaestum pecuniarum: et ita corpus Domini non tam accipiunt, quam rapiunt; qui accedunt non vocati a Deo, sed impulsi a sua cupiditate et avaritia.

„Quin et illud peculiariter cavendum est, ne ex sola quadam arida et insipida consuetudine ad sacrificium offerendum accedas, sed excelsum aliquem et coelestem finem tibi proponas, quales sunt qui sequuntur: 1. Dei suprema laus et adoratio; 2. sanctorum in coelis coronatorum religiosa memoria; 3. peccatorum venia atque remissio; 4. propriae infirmitatis subsidium; 5. tentationis amotio; 6. alicujus boni spiritualis impetratio; 7. pro acceptis Dei donis gratiarum actio; 8. auxilium vivorum atque mortuorum; 9. gratiae interioris augmentum; 10. perseverantiae in bene ceptis impetratio; 11. sanctificatio ab omni inquinamento carnis et spiritus; 12. continuus in virtute et mentis puritate profectus, ut Deo ardentissima caritate adhaereas."

Alii ex septem Orationis Dominicae petitionibus, vel ex septem verbis a Christo in cruce prolatis, totidem fines eliciunt, quos in singulos hebdomadae dies distribuunt.

Quoniam vero personam Christi geris, qui seipsum in salutem totius generis humani Deo Patri obtulit: item et nomine Ecclesiae agis, communis omnium fidelium matris, cui satisfactionum suarum dispensationem Sal-

---

[1]) Tract. de Praepar. ad Miss. l. V.

vator noster commisit; ideo in applicatione valoris sacrosancti sacrificii maxime largum et profusum esse te oportet. Non est enim quod repulsam aut audaciae suggillationem pertimescas, utpote cum offeras Deo Filium suum unigenitum illi summe dilectum, ac per omnia aequalem: quae quidem victima meriti est infiniti, cujus pretium nullis limitibus terminisve concluditur.

Sed ne a recto tramite in hujusmodi applicatione deviare, et in re tanti momenti officio tuo deesse contingat, operae pretium est, ut advertas et sequaris quae dicta sunt in praecedenti capite, §. V.

§. III. *De actuali devotione.*

Ignem, inquit Christus Dominus[1], *veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* In hoc igitur sedulo tibi incumbendum est, ut ardentissimum Christi amorem, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum, flagrantissima caritate et devotione compenses. Vix autem fieri poterit ut fervida illa devotione non exardescas, si fide viva et intimo sensu sequentia capita mente conceperis.

Primum. Desumitur ex victima quae offertur: nempe ipsa est Christus Dominus, verus Deus et verus homo, Salvator et Judex omnium, non jam mortalis et passibilis, sed immortalis et impassibilis; unde, ratione ipsius, actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones transcendit, etiam actus coelitum tanta caritate Deo adhaerentium. Cavendum ergo est, ne tua irreverentia tantae rei oblationem dehonestes.

Secundum. Ex persona cui offertur, quae est solus Deus; nulli enim sanctorum, nec ipsi beatae Virgini offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura soli Deo debetur; quia per victimae illius mactationem incruentam agnoscimus Deum esse rerum omnium auctorem et Dominum, profitemurque nos divinae majestati totos

[1]) Luc. XII. 49.

devoveri cum victima, cujus sanguinem in hujusce nostri affectus testimonium offerimus.

Tertium. Ex modo quo offertur: nempe ex ipsa consecratione, qua panis et vinum in corpus et sanguinem Christi transsubstantiantur, manentibus accidentibus sine subjecto. Est autem illa actio omnino miraculosa, et excedit omnem creaturae virtutem et potentiam, a nulloque nisi a solo Deo praestari potest.

Quartum. Ex valore ipsius sacrificii, qui ratione victimae infinitus est, sicut merita et passio Christi; ac proinde aeque placet Deo ac mors ipsius in cruce perpessa; licet actualem efficientiam, Deo ita volente, nonnisi finitam habeat.

Quintum. Ex fine propter quem institutum fuit: ut nimirum Deo creatori nostro supremum latriae cultum exhiberemus, nostramque servitutem et subjectionem humillime testificaremur; ut dignas ei gratias pro universis beneficiis ejus perpetuo persolvamus; ad auxilia divinae gratiae impetranda, et Dei protectionem in omnibus vitae hujus angustiis comparandam; ad obtinendam peccatorum veniam, ad iram Dei placandam, et imminentia flagella avertenda; ad succurrendum omnium vivorum et defunctorum necessitatibus. Uno verbo, spectaculum factus es Deo, et angelis, et hominibus; cave ergo ne quid indecens et ineptum in te appareat, quod Dei ac coelestium civium purissimos oculos offendat: item ne quid agas quo et ecclesiae militantis in terra, et patientis in purgatorio, exspectatio defraudetur.

Sextum. Quoniam vero in hoc incruento sacrificio cruentum illud quod semel in cruce peractum est, ex quo omnia bona, omnesque thesauri divinae gratiae profluxerunt, non verbis tantum, sed reipsa repraesentatur et exprimitur: una siquidem et eadem est hostia, idem principalis offerens, idem Christus qui immolatur; idcirco, cum ad sacrum faciendum te praeparas, fasciculum tibi colligere debes ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini, et inter ubera tua collocare,

cordisque medullis inserere, mente et affectu, sedulo revolvendo omnia tormenta, quae pro salute nostra perpessus est; haec frequenter in ore, haec semper in corde habeas; et haec tibi sit sublimior philosophia, scire Jesum, et hunc crucifixum.

Denique necessaria est ad excitandam devotionem humilitas, quae prae ceteris virtutibus in institutione hujus sacrificii maxime enituit; item et ingens fames, fervens desiderium, atque ardentissimus amor hujus angelici panis, ad quem sumendum nos amantissime invitat Dominus, dicens[1]: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis; et ego reficiam vos.*

ARTICULUS II.

Quid praestare debeat sacerdos in ipsa Missae celebratione.

Quam triste est et deplorandum, ait Card. *Bellarminus,* videre sacerdotem divina mysteria peragentem, angelorum choris undique septum, qui ad ea quae operatur et loquitur, stupent ac tremunt, et prae admiratione ingentes clamores excitant; et tamen ipse sacerdos in medio positus, totus frigidus et quasi stupidus, non attendit quid agat, non intelligit quid loquatur; et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba praecipitat, quasi latronibus a tergo insequentibus urgeretur! Clamamus in Sacramento Altaris Christum ipsum esse praesentem, et interim nonnulli ita se gerunt, ita sacra tractant mysteria, quasi nihil minus verum esse putarent. Nonne sacerdoti ejusmodi illud aptissime convenit, quod olim Tertullianus, cum diversam rem pertractaret, postulavit: *Sacrificat, an insultat?*

Ad hanc tam gravem objurgationem a te avertendam sedulo curabis, ut hujus integri articuli[2] lectionem et meditationem saepe saepius repetas; nam pii in illo

---

[1]) Matth. XI. 28. — [2]) Depromptus est hic articulus ex Tract. ascetico Ven. Card. Joannis Bona de Sacrificio Missae.

ad singulas Missae partes suggeruntur affectus, ex quibus et uberiores profectus spirituales haurire, et pietatem tuam magis ac magis inflammare poteris.

§. I. *De sacris vestibus, et earum significatione.*

Sicut reges et magistratus non vulgari et quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quo potestas eorum appareat, et ipsis reverentia concilietur: ita sacerdos celebraturus sacro et peculiari utitur habitu, amictu scilicet, alba, cingulo, manipulo, stola, casula sive planeta, quibus et passio Christi ante sacrificium recolenda repraesentatur, et ejusdem virtutes exprimuntur, quibus ornari celebrantem par est, ut sacerdotio fungatur in justitia et sanctitate veritatis. Cum enim hoc sacrificium incruentum idem sit cum sacrificio crucis, ut supra explicavimus, congruum est, ut sacerdos, qui Christi pro nobis morientis personam gerit, ejus quoque similitudinem habeat in vestimentis, idque ad decus et reverentiam sacrificii adhibeatur, quod impius Judaeorum furor ad contumeliam intulit Salvatori.

Porro *Amictus* velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cum percutiebant eum illudentes, et dicentes[1]: *Prophetiza nobis: quis est, qui te percussit?*

Alba vestem albam denotat, qua ab Herode tanquam stultus indutus fuit.

Cingulum funes, quibus in horto cinxerunt eum; sive flagella, quibus columnae alligatum crudelissime ceciderunt.

Manipulus vincula, quibus adstrictae sunt manus ejus tamquam hominis nefarii et scelerati.

Stola funes collo ejus injectos, sive crucis patibulum humeris ejus impositum, et in quo pro nobis pependit.

Casula vestem purpuream, quam ei milites in domo Pilati, tanquam ludicro regi, imposuerunt.

---

[1]) Matth. XXVI. 68.

Cum igitur haec indumenta signa sint eorum quae Christus pro nobis perpessus est, varii actus a sacerdote, dum illis induitur, eliciendi sunt: amoris, doloris, gratitudinis et intensissimi desiderii, ejus patientiam et humilitatem imitandi in doloribus, afflictionibus, opprobriis, aliisque adversitatibus sustinendis.

Considerandae sunt etiam virtutes, quae per eadem indumenta mystice designantur: ut discat sacerdos qua vitae sanctimonia et morum integritate praeditus esse debeat; scriptum est enim [1]: *Sacerdotes tui induantur justitiam,* omnibus scilicet virtutibus ornati sint, quas *justitiae* nomine passim sacrae litterae comprehenderunt.

Amictus itaque significat, oportere mentem in aeternae dumtaxat salutis, rerumque coelestium consideratione fixam habere, ab omnibus curis rerum caducarum amotam, et contra quoscumque hostium incursus spe et fiducia in Deum, tamquam galea salutari communitam. Refert etiam amictus Christi Domini humanitatem, cujus caput divinitas est, quae ab illa occultatur, sicut amictus caput tegit sacerdotis. Neque enim oculi nostri Solis justitiae infinitum splendorem intueri potuissent, nisi carnis nube operiretur. Quare sacerdos, cum illum accipiens osculatur et capiti imponit, se amoris osculo sacratissimam Christi humanitatem tangere, et capiti imponere putet, ut ea se protegat et tueatur, dicens cum propheta [2]: *Domine, virtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli.* Obiter quoque per amictum monetur sacerdos maximam servare oculorum modestiam, cum pergit ad altare, et ibi manet, et ab eo redit, nihil prorsus aspiciendo, nisi quod necessarium est, ut videat quod facit.

Alba, totum corpus tegens, innocentiam, simplicitatem, puritatem, animique candorem et pulchritudinem indicat, quae totum sacerdotem complecti et exornare intus et extra debet, atque in omnibus operibus ejus splendere, ut sit sanctus et immaculatus in conspectu

---

[1]) Psalm. CXXXI. 9. — [2]) Psalm. CXXXIX. 8.

Dei, seque talem semper exhibeat divinis mysteriis celebrandis.

Cingulum indicium est castitatis, quae in sacerdote ita splendere debet, ut nullam prorsus tam in corpore quam in corde admittat labem. In cujus rei typum jussit olim Deus, ut comedentes agnum accingerent renes suos; et ipse Christus ait[1]: *Sint lumbi vestri praecincti.* Idem quoque beato Joanni apparuit in Apocalypsi praecinctus zona aurea; ut nimirum intelligamus, oportere nos omnes affectus purificare, et amorem carnalem vincere spirituali, quod est aurum caritatis.

Manipulus, praemisso crucis osculo, sinistro brachio insertus, ostendit lacrymas, dolorem et poenitentiam, quibus lugere peccata ac perpetuo dolere sacerdos debet; carnis item et spiritus mortificationem, et humilitatem, qua accedendum est ad altare; tum futuram bonorum operum retributionem, sicut Psalmographus cecinit[2]: ***Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.***

Stola collo superposita, et in modum crucis per medium pectoris ducta, demonstrat sacerdotem teneri se Deo unire, et quodammodo colligare, suamque crucem Dei causa patienter ferre, divinae legi cum omni obedientia se subjicere, ejusque jugum alacriter portare, ac semper memorem esse mandatorum Dei ad faciendum ea.

Casula, quae ceteris vestibus splendidior et pretiosior illis superinduitur, signum est caritatis, quae, reliquis virtutibus excelsior, omnibus supereminet, tamquam illarum regina, et vinculum perfectionis. Omnes enim sine ea sunt imperfectae, ab ea pendent omnia mandata divinae legis, et omnia bona in ipsa continentur. Sicut autem casula in duas partes dividitur, ita caritas duplex est, erga Deum et proximum: et

---

[1]) Luc. XII. 35. [2]) Psalm. CXXV. 6.

sicut illa varios exigit colores juxta temporis aut festivitatis diversitatem, ita haec varios affectus, nunc laetitiae ob Dei magnalia, nunc gratitudinis ob ejus beneficia, nunc fortitudinis in adversis, nunc tristitiae ob propria et aliena peccata.

Hae sunt praecipuae virtutes, quas vestes sacerdotales significant, quarum actibus induere se debet sacerdos, ut suum digne offerat sacrificium. Consuetas etiam Ecclesiae preces singulis indumentis accommodatas attente et devote recitabit: et cum indutus fuerit, se ipsum considerabit tamquam lupum in vestimentis ovium, et rubore suffusus veniam a Deo flagitabit.

§. II. *De accessu sacerdotis ad altare.*

Si ad omnes sacras functiones sancte accedendum, et omnes sancte peragendae sunt, multo majori sanctitate hoc divinum sacrificium offerendum est, quo nihil sanctius, nihil excellentius, nihil divinius esse potest. Ad hoc omni conatu niti debes, christiane sacerdos, si tam sublimi et tremendo ministerio rite et perfecte fungi desideras. Qua in re ut tibi prosim, documenta quaedam generalia praemittam: deinde sigillatim proponam aliquot considerationes pro singulis sacrificii partibus, ex quibus pios elicere affectus possis, et mentem utiliter occupare, ne distrahatur. Neque deterrearis, si hujusmodi considerationes et affectus aliquanto fusius explicavero; licet enim multis verbis describantur, possunt tamen in momento elici, nec Missae celebrationem solito prolixiorem reddent, ut reipsa experieris; nam ipso usu memoriae tenaciter infigentur, adeo ut eos quasi naturaliter eliciturus sis, absque ulla confusione aut capitis fatigatione.

Primum generale documentum est, ne toto sacrificii tempore Deum offendas ullo peccato veniali, nec ullo defectu et imperfectione tam venerandi sacrificii excellentiam contamines. Id vero assequeris, si ea reverentia, attentione et devotione celebraveris, quae omnem vel levissimam animi evagationem excludat:

si exactissime et scrupulosissime observaveris, quidquid in Missali praescribitur circa ritus et caeremonias, eo modo quo a viris serio perfectioni incumbentibus observari solent.

Secundo, omnia verba, quae sive elata, sive submissa voce proferuntur, clare, distincte, ferventer et absque ulla festinatione pronuntiabis, nihil interim mente revolvens, quantumvis bonum et sanctum videatur, quod a propria et litterali verborum significatione alienum sit, ut te menti Ecclesiae conformes, quae omnes Missae preces, lectiones et sententias magno cum delectu ad sacerdotis et adstantium instructionem et devotionem selegit. Ad hoc autem plurimum proderit omnes Missae ritus perspectos habere, eaque omnia probe intelligere, quae tum in lectionibus, collectis, evangelio, versibus et ceteris hujusmodi, tum in canone continentur; quae facile disces ex eorum lectione, qui de officiis ecclesiasticis scripserunt, quales sunt Isidorus, Amalarius, Rabanus, Berno, Hugo Victorinus, Rupertus abbas, Dionysius item in libro de ecclesiastica Hierarchia, Germanus in Theoria rerum ecclesiasticarum; et ex recentioribus Gabriel Biel in Canonem, Durandus in Rationali, Joannes Baptista Scortia de Sacrificio Missae, et alii plures. Affectus vero elicies, quales infra proponam, eorum quae recitas et agis, sensui et significationi convenientes.

Tertio, sicut in Missali praecipitur, antequam sacris te vestibus induas, Missam celebrandam perquires, perleges, et ad ea quae dicturus es, signacula ordinabis; ne te postea contingat aut verbis haesitare, aut in ceremoniis deficere et perturbari.

Quarto, processurus ad altare, Crucifixum vel aliam imaginem humillima inclinatione salutabis; te tanto ministerio indignum reputans, atque adeo ipsius Christi, sanctorumque opem implorabis. Tum ipsum Christum mente intuere quasi cruce onustum, et ad Calvariae montem iturum, ante te incedentem. Sequere ipsum primarium offerentem, cujus passio et mors a te debet

repraesentari; sequere, inquam, cum modestia et gravitate, et agmina angelorum te undique stipantia venerare, teque existima ex hoc mundo in coelum transferri.

Quinto, cum perveneris ad altare, coelum tibi desuper veluti apertum contemplare, et curiam coelestem, Deumque ipsum spectantem te, pro universa Ecclesia hostiam litantem immaculatam. Memineris poenam mortis olim indictam bestiae, quae montem tetigisset[1]; idque tibi applica hominum pessimo, et timorem concipe. Mox in Deum assurgens satage, quantum potes, ferventissimos actus caritatis elicere, cupiens in Christum totus converti, eique simillimus fieri virtutum imitatione. Cum denique librum aperis, memor esto libri quem aperit agnus, et septem signaculorum ejus, et desidera Christi fidem in universum orbem propagari.

§. III. *De initio Missae usque ad Introitum.*

Calice rite collocato et Missali aperto, stans paulisper in medio altaris, et facta cruci inclinatione, te cum Abrahamo quasi pulverem et cinerem ante conspectum Domini confiteberis, imitans Christum, qui coelos inclinavit et descendit, formam servi accipiens; quo enim humilior fueris, eo gratior et acceptior erit Deo oblatio tua.

Mox descendens ad crepidinem altaris, Verbi aeterni Incarnationem recole, ejusque dilectionem et admirabilem promptitudinem ad opus nostrae redemptionis suscipiendum.

Iterata autem inclinatione, te intime humilia, et Deum adora pro omni creatura.

Dum signo crucis te signans dicis: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* animadverte, quale et quantum sit nomen a quo sacrificium auspicaris; et sic te gere, ut tantam decet majestatem. Magni momenti est sanctissimae Trinitatis praesentiam

[1]) Exod. XIX. 12, 13.

initio concipere, et ab ea nunquam deflectere; ad ipsam enim et ad ejus gloriam oblatio dirigitur, ejusque memoria robur tribuit ad improbos hostium conatus elidendos, qui semper tentant variis et inutilibus curis atque imaginationibus mentem a sacrificio avocare. Sic concepta Dei praesentia, duos affectus raptim elicies: fidei contra infideles Trinitatem negantes, et recordationis crucis Christi, atque passionis in ea completae, ex qua fluxerunt omnia bona. Hos autem affectus ad omne signum crucis renovabis.

Sequitur Antiphona: *Introibo ad altare Dei,* quae ter repetitur: ante psalmum, in ipso et post ipsum; ut intelligas spirituali impulsu et alacritate ac summa veneratione totam Missae actionem peragendam esse, omni abjecta tepiditate. Dei admirare bonitatem, qui te vocavit ad altare suum; quis enim es tu, ut audeas ad ipsum introire? Ora abscondi in abscondito faciei Domini a conturbatione malorum spirituum; ne immittentes tetra phantasmata divinum perturbent ministerium. Ora etiam renovari in te animae juventutem, quae est fervor spiritus, ex quo vera et solida laetitia procedit.

Ad primum versiculum psalmi: *Judica me, Deus,* considera ea praeparatione et dispositione ad altare accedendum esse, ut Dei judicium non pertimescas, ut discernaris a gente non sancta et iniqua, sisque purus et sine macula ante Deum, quantum fert humana fragilitas. Hanc autem puritatem humiliter petes, cum certa fiducia eam meritis Christi obtinendi.

Ad secundum: *Quia tu es, Deus, fortitudo mea,* erubesce, quod toties tanti Sacramenti divino alimento confortatus, adhuc imbecillis es, adhuc tristis incedis, et cuicumque levissimae tentationi turpiter succumbis. Merito ergo repellit te Deus, merito te affligit inimicus, nisi ipse vires suppeditet, qui est fortitudo tua et robur tuum.

Ad tertium: *Emitte lucem tuam,* pete divinum lumen, ut veritatem a vanitate discernens, ipsam veri-

tatem sequaris, cujus splendoribus interior sensus illustratus, cum externo sacrificio concordet. Mons vero sanctus, qui in hoc versiculo commemoratur, altare est, Calvariae montem indicans, quia in eo Christi passio et mors repraesentanda est.

Ad quartum: *Et introibo,* magnum renova in te reverentiae affectum erga altare et sacrificium.

Ad quintum: *Confitebor tibi in cithara,* excita in te cordis laetitiam, quae per citharam significatur; sed statim oculos ad tuam imperfectionem reflectens, ingemisce et dic: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?*

Ad sextum: *Spera in Deo,* ne despondeas animum, restat enim spes in salutari tuo, in quo tota fiducia collocanda est; quoniam ipse dabit, ut, obtenta culparum venia, in ipso gaudeas, et in ejus laudibus perseveres.

Hac spe excitatus, dices cum ingenti fervore: *Gloria Patri, et Filio,* caput inclinans et te offerens ad omnia adversa, et ad mortem pro Deo sustinendam.

Tum repetita Antiphona: *Introibo etc.*, ut bene memineris, quo ingrederis, et quid aggrederis, dices: *Adjutorium nostrum,* ut discas non ponere fiduciam in tuis viribus et industria, sed in eo *qui fecit coelum et terram,* a quo duplex adjutorium postulabis: pro consequenda aeterna salute et mediis ad eam necessariis, et pro illa peculiari necessitate pro qua offers sacrificium.

Subditur statim generalis confessio, quia *justus prior accusator est sui*[1], quam humiliter recitabis, actum eliciens contritionis, ut est distincta ab attritione; dolens scilicet de peccatis tuis et totius mundi super omnia mala, idque pure propter Deum super omnia bona dilectum; dabisque operam, ut verba illa: *Mea culpa,* cum magno doloris sensu proferas, et cum bona spe divinae misericordiae pro tuis et aliorum peccatis.

---

[1]) Prov. XVIII. 17.

Confiteris autem non solum Deo Creatori, Redemptori et Judici tuo, sed etiam B. Virgini, cujus innocentem filium sceleribus tuis interfecisti; B. Michaeli archangelo, cujus obsequiis te ingratum exhibuisti; B. Joanni Baptistae et aliis Sanctis, quorum monita et exempla contempsisti; fratribus quoque, quibus scandalo fuisti. Agnoscens autem fragilitatem tuam et necessitatem, auxilium eorum imploras, quibus confessus es, ut pro te orent; quod humiliter facies. Et cum adstantes preces fundunt, dicentes: *Misereatur etc.*, dum etiam ipsi confitentur, dum sequentes versiculos recitas, illum in te spiritum excitabis, quem verba sonant, magno animi ardore et devotione.

Osculum altari semper figes tenero amoris affectu erga Dominum Jesum Christum, cum intenso desiderio semper ei adhaerendi; et ideo brevem, sed ferventissimum amoris actum elicies.

§. IV. *De Introitu usque ad Epistolam.*

Introitum et ea quae sequuntur, sedate, attente et devote recitabis, adhibitis magna cum honestate praescriptis caeremoniis, ut spiritualem ac divinam rem agi omnes intelligant. Attendes autem ad sensum verborum; et cum dicis: *Gloria Patri,* sanctissimam Trinitatem adorabis, optando ut omnes illi serviant. *Kyrie eleison* ad singulas tres Personas mente in coelum erectus diriges, petens remissionem peccatorum cordis, oris et operis pro te, et pro aliis: et quia novies repetitur, quot sunt angelorum chori, ipsorum vocibus tuam conjunges, et cor ad illos elevabis.

Ad *Gloria in excelsis,* miraberis quomodo peccator in terra aliena canticum angelorum canere praesumas; tum alios affectus adjunges laudis, adorationis, gratiarum actionis, fidei, spei, amoris, zeli gloriae Dei, petitionis et obsecrationis juxta sensum verborum. Haec autem verba: *Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe,* intensiori affectu caritatis et reverentiae erga Christum Dominum pro-

nuntiabis, desiderans ut ab omnibus ametur, honoretur, glorificetur.

Hymno absoluto, sequitur salutatio populi per haec verba: *Dominus vobiscum.* Quoties autem ea dices, optabis intimo affectu Ecclesiae Dei et toti mundo omnem Dei benedictionem, per quam singulis animabus id quo maxime indigent, conferatur.

Dicturus collectas, erubesces, quod mediator inter Deum et populum esse audeas, qui toties alios ad malum pertraxisti. Cum dicis: *Per Dominum,* offeres Deo omnia merita Christi cum magna fiducia; quia scriptum est[1]: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Expendes autem verba orationum, quae et per se magni ponderis et efficaciae sunt, et cum in persona Ecclesiae a celebrante recitantur, facilius postulata impetrant ob sacrificii praestantiam.

§. V. *De Epistola, Evangelio et Symbolo.*

Absoluto Introitu, sequitur instructio populi in fide, per doctrinam prophetarum et apostolorum in Epistola, per verba Christi in Evangelio, per articulos fidei in Symbolo, quae omnia Mysteriorum sanctificationi, ut nos purgent et praeparent, praemittuntur.

Ipsam vero Epistolam et Evangelium lecturus, mente elice hunc actum humilitatis: Egone in Ecclesia divina depromam oracula, qui tamdiu sedi in cathedra pestilentiae? Ego Evangelium promulgabo, qui factis et exemplis Evangelium impugnavi? Deinde considera, beatos nos esse, quia, ut ait Baruch propheta[2], *quae Deo placent, manifesta sunt nobis.* Deus enim voluntatem suam nobis revelavit per prophetas et apostolos in eorum libris et epistolis, et per Filium suum in Evangelio. Ideo haec omnia magna cum intentione et reverentia legenda sunt, tamquam sermones Dei, gratias ei agendo, quod mundum doctrina sua illuminare et instruere dignatus sit, promptumque animum offerendo

[1]) Joh. XIV. 13; XVI. 23. — [2]) Bar. IV. 14.

ad servanda ipsius mandata, tam in prosperis quam in adversis. De hoc autem nos monent in Epistolae lectione manus super librum positae, et veluti operi admotae.

Graduale etiam, et cetera quae sequuntur, exequendi desiderium significant, et ascensum ad apicem christianae perfectionis, qui sunt fructus propheticae et apostolicae praedicationis. Quidam devotus sacerdos dicebat se quotidie duabus concionibus interesse elegantissimis et efficacissimis, lectioni nimirum Epistolae et Evangelii, quas sic audiendas asserebat, ac si Apostolus et Christus praesentes forent et loquerentur, cum firmissimo proposito exequendi quod docent. Turpissima enim esset ejus praecepti transgressio, quod ab Apostolo et a Christo ea die auditum fuit; nam videretur verbi divini statim oblitus esse, et tantos concionatores neglexisse.

Initio Evangelii, librum et te ipsum signabis signaculo crucis cum tenero affectu erga Christi passionem et mortem. Fit autem ipsum signum in fronte, sede pudoris, ne Evangelium erubescas; in ore, ut illud palam annunties et confitearis; in pectore, ut in corde semper conserves, nec ulla diaboli suggestio fructum ejus impedire queat. In fine librum ibi osculaberis, ubi prius crucem formaveras, ad significandum amorem, quo ea doctrina amplectanda et executioni mandanda est; ideoque propones factor verbi esse, et non tantum auditor, actu ferventissimo amoris elicito erga Deum ejusque legem.

Certis diebus lectionem Evangelii excipit Symbolum, ut fides excitetur, et sicut corde ad justitiam creditur, sic ore confessio fiat ad salutem. Actus igitur fidei exercebis verbis correspondentes, et contrarias haereses detestaberis. Christo item gratulaberis ob ejus gloriam, dum ipsius resurrectio, ascensio, et judiciaria potestas commemoratur; et gaudebis, quia regni ejus non erit finis. In illis verbis: *Qui cum Patre et Filio simul adoratur,* Spiritum sanctum adorabis, et intimo

animi sensu sanctissimam Trinitatem glorificabis ob singula beneficia naturae, gratiae et gloriae omnibus creaturis concessa et concedenda. Demum cum dicis: *Et vitam venturi saeculi,* spem firmam concipies, vitam aeternam meritis Christi obtinendi.

§. VI. *De Offertorio usque ad Canonem.*

Hactenus instructio fidelium et Missa catechumenorum, qui deinceps adesse non poterant, diacono indicente eis ut exirent. Jam sequitur Missa fidelium, et quia hic inchoatur actio sacrificii incruenti, majori fervore et igneo pietatis sensu singula verba proferenda sunt.

Exordiris autem ab osculo altaris, in quo divinum sacramentum perfici debet, ut hac amoris et honoris exhibitione Dei quodammodo captes benevolentiam. Sed quia Dei amor annexam habet erga proximum caritatem, sequitur populi salutatio tamquam commune amicitiae signum, quo ostendis te omni odio et dissensione carere; praecepit enim Dominus non esse offerendum munus, nisi praevia cum fratribus, qui aliquid habent contra offerentem, reconciliatione. Adstantes etiam mones, ut simul tecum orent, dicens: *Oremus,* et hoc ferventer facies, respiciens in coelum ad Deum Patrem, deinde ad te ipsum, tuumque nihilum, qui peccator cum sis omnium natorum miserrimus, aeterno Patri Filium suum offerre debes.

Quando patenam cum hostia in manibus accipies, pones in ea cor tuum et omnium circumstantium, omniumque fidelium, ut ea quoque Deo offeras hac intentione, quod sicut panis, quem offers, mox convertetur in corpus Christi; ita cor tuum et omnium fidelium in ipsum Christum per amorem et imitationem transformentur, adeo ut dicere omnes possint[1]: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Idem repetere poteris in calicis oblatione.

---

[1]) Galat. II. 20.

Dum vinum calici infundis, gratias ages Deo, quod sub his speciebus se occultare voluerit pro amore tuo: et cum misces aquam, desiderium excitabis te totum immergendi in abyssum meritorum Christi, atque ad intimam cum Deo unionem suspirabis. In oratione autem: ***Deus, qui humanae substantiae dignitatem,*** tres veluti mixtiones seu conjunctiones prorsus admirabiles celebrari observabis: primam in humanae naturae creatione, cum mortali corpori immortalis anima copulata est; alteram in ejusdem a Verbo facta assumptione, cum duo extrema infinite distantia in unitate personae conjuncta sunt; tertiam in ejus elevatione ad gratiam et gloriam, ad consortium scilicet et participationem Divinitatis, quam ardentissime concupisces.

Quamvis hoc sacrificium unicum sit, duabus tamen partibus constat, corpore videlicet Christi sub speciebus panis, ejusque sanguine sub speciebus vini. Ideo, pane jam oblato, seorsim procedis ad vini oblationem. Utramque vero extendes ad omnes fines, propter quos hoc sacrificium institutum fuit, qui cum sint maximi momenti, cum summo devotionis fervore hae oblationes fieri debent, ac si tu solus esses in toto mundo sacerdos, et ab hoc sacrificio omnium hominum salus penderet.

Subditur brevis precatio: ***In spiritu humilitatis,*** ex longiori decerpta, quam Azarias, unus ex tribus pueris, inter flammas fornacis Babylonicae concepit, animo vere contrito et summae humilitatis affectu recitanda. Sequitur alia oratio: ***Veni, sanctificator,*** qua Deum invocas omnis sanctificationis auctorem, ut non solum sacrificium jam praeparatum perficere, sed sua etiam benedictione complere dignetur.

Dum manus lavas, protestaberis te velle pure ac munde vivere, et a minimis etiam defectibus emundari: tum gratias ages, quod Christi sanguine lotus sis, aliosque affectus elicies verborum sensui conformes.

In oratione: ***Suscipe, sancta Trinitas,*** non nudam et aridam beneficiorum redemptionis nostrae, quae ibi

commemorantur, memoriam facies, sed ea erit quae intimae gratitudinis affectum includat. Quare totus in demississimam gratiarum actionem effusus, hanc hostiam infinitae dignitatis te posse offerre gaudebis ad Dei gloriam, et ad honorem beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, ut ipsi in coelis ante thronum Dei incensum orationum tuarum pro tua aliorumque salute repraesentent.

Postea memor imbecillitatis tuae, et considerans quanti momenti sit tantum sacrificium divinae Majestati offerre, ad circumstantium confugiens suffragia, ipsos admones, ut pro te orent. Manus autem extendis, ac si omnibus viscera pandas; et rursum jungis, quasi intra pectus receptos complectaris. Ipse vero, qui alios ad orandum hortatus es, secreto quoque oras, ut tuum a Deo sacrificium acceptetur. Porro inter haec congruos his considerationibus affectus excitabis.

Secretis orationibus absolutis, statim clara voce dicis: *Per omnia saecula saeculorum*, nihil sonans temporale, sed sublime et aeternum. Tum populum salutans, non te ad eum pro more convertis, quia jam debes a terrenis abductus, totus Deo intentus esse. Jubes autem *sursum corda* attolli, ac si diceres: *Elevamini* omnes creaturae ad Deum, emergite e faece terrae, et quae sursum sunt, quaerite, quae sursum sunt, sapite, non quae super terram. Corda vero ad superna subvecta ad gratias Deo agendas hortaris, quia nihil dignius, nihil magis aequum et salutare, quam beneficiorum memorem esse. Ideo cor tuum expandes ad omnes creaturas, et ad omnia beneficia illis collata; gratiarum enim actio potissima est ad ampliorem gratiam dispositio. Succedit Praefatio, quasi proloquium, seu praeparatio quaedam ad eam actionem, quae proprie sacrificium continet, in qua Deum impensius laudas, advocatis etiam coelestibus spiritibus, ut tecum concinant. Ne tamen temere in angelorum choros te ingeras, facultatem a Deo petis humili supplicatione, dicens: *Cum quibus et nostras voces ut admitti*

jubeas, deprecamur. Ita angelicis junctus agminibus, sacrum Trisagion psalles cum summa reverentia et fervore, qui tantus sit, ut, quantum fieri potest, supernorum spirituum affectui correspondeat et adaequetur. Si enim *tremunt Potestates,* quae sunt veluti coeli columnae, quanto debes horrore ac tremore concuti tu vilissimus terrae vermiculus, qui Deum toties et tam enormiter offendisti!

Porro continet hic hymnus tres laudes et duas petitiones. Nam primo laudas sanctitatem, potentiam ac supremum Dei dominium, cum dicis: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Secundo, celebras gloriam ejus, quae in tot creaturis in coelo et in terra tam mirabiliter elucet, his verbis: *Pleni sunt coeli et terra gloria tua.* Tertio, magnificas Christum Dominum, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini;* et cum hoc dicis, ipsum invitabis in animam tuam affectu omnium sanctorum. Duae vero petitiones insunt verbis istis: *Hosanna in excelsis*, quae bis repetuntur, et illis salutem postulas, et quae ad eam sunt necessaria, primo a Deo, deinde a Christo.

Hic autem hymnus ideo canoni praemittitur, ut ex ipso admonearis, te in maximi momenti negotio coram throno divinae majestatis consistere, ac veluti in sancta sanctorum introire: et si hactenus oportuit te purum et ferventem esse, jam memineris te deinceps debere tanto ardore inflammari, ut eo possis omnes circumstantes, imo universum terrarum orbem succendere.

§. VII. *De Canone usque ad Consecrationem.*

Haec pars Missae Canon dicitur, id est, regula quae in sacrificii oblatione servanda est. Constat autem, ut testatur Tridentinum Concilium[1], ex ipsis verbis Domini, ex Apostolorum traditionibus, ac summorum Pontificum institutionibus; nihilque continet quod non maximam redoleat pietatem et sanctitatem, atque offe-

[1]) Sess. XXII, cap. IV. De Sacrificio Missae.

rentium mentes in Deum erigat, ut cum eo conjungantur. Submissa voce recitatur, ut per silentium tum gravitas negotii, quod quasi secreto cum Deo tractatur, tum compositus pacatusque animi status, qui ad hanc functionem rite peragendam necessarius est, intelligatur.

Ejus verba attente et devote prolata, ipsa litterali significatione pios affectus suppeditabunt. Per particulam *Igitur*, connectitur cum praecedentibus. Cum enim tibi angelorum ministerio, quorum vocibus tuas adjungi in Praefatione rogasti, jam quasi pateat ad coelum via, statim fiducialiter ad thronum Dei accedis, et elevatis sursum oculis, expansisque manibus, preces tuas ad Deum effundis, per Christum eum rogans, uti accepta habeat ***haec dona*** ab ipso nobis collata, ***haec munera*** a nobis ipsi oblata, ***haec sancta sacrificia,*** quae pro peccatis nostris offeruntur. Et primo quidem personam commemoras, cui oblatio dirigitur, nempe Deum Patrem; secundo, mediatorem Christum Jesum; tertio offerentes, eorumque affectum; quarto res oblatas, quas petis ut Deus acceptet et benedicat; quinto eos pro quibus offertur, Ecclesiam scilicet, summum Pontificem, et alios; sexto ea omnia quae consequi hac oblatione desideras, redemptionem, salutem, incolumitatem; septimo beatam Virginem, et praecipuos principes curiae coelestis, quorum suffragia, memor tuae imbecillitatis, imploras, ut Deum tibi propitium reddant.

Ut omnium recordari possis, pro quibus orare debes, postquam dixisti: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum;* utque ipsae preces vim habeant efficaciorem, multum proderit cum Christi Domini cruciatibus illas sociare, hunc fere in modum. Primo, pro te ipso orabis per sanguinem pro nobis effusum, ut per illum expieris a peccatis, et eas virtutes obtineas quae tibi maxime sunt necessariae, et finalem perseverantiam; secundo, per latus transfixum Ecclesiam commendabis, quae ex eo orta est; tertio, per caput spinis coronatum summum Pontificem, omnesque principes, et antistites; quarto, per vulnus dexterae manus

amicos, consanguineos, et benefactores; quinto, per vulnus sinistrae omnes qui te oderunt, vel aliqua molestia aut scandalo affecerunt; sexto, per dextrum pedem transforatum personas, et negotia a superioribus commendata; septimo, per sinistrum omnes qui sunt in peccato mortali, ut in dexteram partem transferantur; octavo, per flagella, sputa et alapas ethnicos, haereticos ceterosque infideles, qui Deum contumeliis afficiunt; nono, per crucifixionem Religiosos omnium ordinum, ut crucem voluntariae asperitatis libenter ferant; decimo, per sitim eos omnes qui tuas preces expetunt; undecimo, per angorem quem in horto pati voluit, omnes qui in aliqua calamitate, periculo, necessitate, tentatione aut molestia versentur; duodecimo, per mortem et sepulturam justos omnes, ut cum ipso sepulti semper in justitia perseverent. Speciatim vero pro illis orabis quorum te Deus meminisse vult, et tu nescis; pro his quos Deus maxime diligit, licet eorum numerum et nomina ignores; id enim gratissimum illi est, ut amicorum ejus memor sis.

Ab his autem orationibus te brevissime expedies, imitatus Ecclesiam, quae paucissimis verbis se ipsam, summum Pontificem, et antistitem, omnesque orthodoxos commendat. Neque enim decet privatas causas prolixius quam publicas tractare, praesertim apud eum principem qui omnia scit, et nos admonuit ne orantes multum loquamur. Consultius itaque erit pro omnibus ante Missam fusius orare, ut in ipsa brevior sis.

Postquam vero privatae devotioni satisfecisti, rursum publicas Ecclesiae preces assumis pro circumstantibus et pro offerentibus, sive praesentes sint, vel absentes: et quia sacrificium jam oblatum fuit in expiationem culparum, in gratiarum actionem, et impetrationem omnium beneficiorum, jam primarius ejus finis exprimitur hac oratione: *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae,* qua protestaris et agnoscis supremum Dei dominium, et infimam nostram servitutem ac subjectionem, expansis manibus super oblata veteri

ritu, ut ea transferas in Dei potestatem, ipsum exorans, ut *ab aeterna damnatione nos eripi jubeat, et in electorum suorum grege numerari.* Tum ipsi commendas sacrificii oblationem, ut eam *in omnibus benedictam,* et inter dona sibi grata *adscriptam,* et *ratam,* sive approbatam et confirmatam, atque *rationabilem,* divinis scilicet rationibus congruentem, ac tandem *acceptabilem,* id est, dignam, quae non solum ex parte doni, sed etiam ex parte ministri offerentis a Deo acceptetur, non quidem ex nostris meritis habere, sed sua gratia *facere* dignetur.

Porro ad illa verba: *Ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi,* actualem et expressam intentionem renovabis consecrandi corpus et sanguinem Christi per transubstantiationem panis et vini, Christi verbis conficiendam.

§. VIII. *De Consecratione usque ad Orationem Dominicam.*

Post multas oblationes verbis hactenus expressas, sequitur tandem realis oblatio, qua idem Christus incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit. Quod si hactenus necessaria fuit puritas, humilitas et reverentia, multo major nunc requiritur, cum ad tremendum mysterium non sine timore et horrore perficiendum appropinquas. Humilia te igitur quantum potes, et recordare quid acciderit Ozae[1]; tum ea Christi verba tibi ad aurem dici existima[2]: *Ecce appropinquat hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatoris.* Considera te hic Christi personam gerere, totumque hominem internum et externum ad ejus majestatem et sanctitatem compone; et cura ne quid sit in te dissonum a persona quam sustines.

Haec verba: *Qui pridie quam pateretur,* proferuntur historice et recitative, ut inspicias et facias secundum exemplar quod tibi a Christo Domino mon-

---

[1]) II. Reg. VI. — [2]) Matth. XXVI. 45.

stratum est. Cum dicis: *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* considerabis quam purae debeant esse manus, quae tantum pignus attrectant, et hinc disces hoc opus esse divinae omnipotentiae. Cum oculos in coelum elevas, illuc transferes universas animae vires et cogitationes. Cum dicis: *Gratias agens,* gratias item ages ob hujus sanctissimi Sacramenti institutionem.

Verba consecrationis prolaturus, considera te ea formaliter et enuntiative proferre in persona Christi. Ipsis autem prolatis, penetra oculis fidei id quod latet sub speciebus sacramentalibus: tum genua flectens, aspice iisdem oculis fidei exercitum angelorum te circumdantem, et cum illis adeo profunda reverentia Christum adora, ut cor tuum usque ad abyssum humilies. Ad elevationem Christum in cruce exaltatum contemplare, et ora, ut omnia trahat ad se ipsum. Varios etiam virtutum actus, eosque intensissimos elicies, nunc hos, nunc illos, fidei, spei, amoris, adorationis, humilitatis, et similium, mente dicendo: *Jesu, Fili Dei, miserere mei, Dominus meus et Deus meus. Amo te, Deus meus, et adoro toto corde et affectu.* Poteris etiam renovare intentionem pro quo celebras, et sacrum offerre secundum quatuor fines. Specialiter vero cum calicem elevas, memor eris cum sensu doloris et lacrymis, sanguinem Christi pro te effusum fuisse, et a te saepe contemptum; ipsumque adorabis veluti in compensationem praeteritorum contemptuum. Sanctus Petrus martyr in calicis elevatione gratiam petebat martyrii, et obtinuit; tu adversitatum incruentum martyrium postulabis.

Ad illa verba: *Haec quotiescumque feceritis,* passionis et mortis Christi recordaberis, quam consecratio panis a consecratione vini sejuncta repraesentat. Et quia peracta consecratione statim adsunt sancti angeli, et perseverant venerabundi, donec sacrificium sit consummatum, tu horum reverentiam aemulare. Nam si coelum est, ubi est Deus, coelum sine dubio

efficitur sacrum altare, in quo tantum peragis mysterium, tuque admirabili summi boni participatione quodammodo deificaris. Quoties vero hostiam tanges aut calicem, Christum complectere, et cordi tuo adstringe omni possibili amoris affectu.

Post consecrationem sequitur oratio: *Unde et memores,* qua Christi passionem, resurrectionem et gloriosam ascensionem commemoras, quibus mysteriis excitatur fides, spes roboratur. Sperare enim debes per merita tam beatae passionis, e qua omnis beatitudo nostra promanat, te aliquando participem futurum resurrectionis, et ascensionis in coelum, ac gloriae sempiternae. Nec nudam solummodo offers mysteriorum commemorationem, sed simul cum hostia pura, sancta et immaculata, corpore scilicet et sanguine Christi; licet enim propter species sacramentales panem adhuc nomines, non tamen panem qui prius erat, sed *panem vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae.* Elicies autem actus gaudii propter Christi glorificationem; et cum dicis: *Supra quae propitio ac sereno vultu,* offeres Deo omnia antiqua sacrificia.

Cum inclinatus Deum rogas, ut sacrificium perferri jubeat in sublime altare suum per manus sancti angeli sui, ad summam interiorem humilitatem te excitabis, et ipsos beatissimos spiritus orabis, ac nominatim sanctum Michaelem, ut opem tibi ferant. Cum dicis: *Omni benedictione coelesti et gratia repleamur,* ingens desiderium elicies consequendi ex meritis Christi omnia possibilia dona, quibus maxime possis Deum glorificare.

In *Memento* mortuorum orabis primo pro consanguineis; tum pro eis qui tibi causa fuerunt alicujus crucis, seu molestiae; deinde pro benefactoribus; postea pro aliquo recenter mortuo, aut specialiter commendato; demum pro iis qui neminem habent cujus suffragiis nominatim juventur.

In illa oratione: *Nobis quoque peccatoribus,* agnosce te peccatorem esse circumdatum infirmitate, et time; licet enim nihil tibi conscius sis, non tamen

in hoc justificatus es. Spem igitur erige ob multitudinem miserationum Dei, et magno animi ardore partem aliquam et societatem cum sanctis tibi donari humillime pete, atque in eorum consortium admitti, optando eximiam vitae sanctitatem pro majori Dei gloria, in Christo Jesu Domino nostro. *Per quem*, ais consequenter, *haec omnia, Domine, semper bona*, panem scilicet et vinum, *creas*, quia per ipsum omnia facta sunt; *sanctificas*, cum in prima oblatione sacrificio sunt destinata; *vivificas*, mediante transsubstantiatione; *benedicis*, quia per haec sacramenta copiosam acquirimus gratiam; et *praestas nobis*, in cibum et redemptionem. Porro haec verba valde ferventer pronuntiabis, itemque sequentia, quia per Christum, cum Christo et in Christo est *Deo Patri omnipotenti omnis honor et gloria*. Hic autem gratulari poteris toti SS. Trinitati ob gloriam quam habet per Christum: et dum tenes hostiam super calicem, offeres S. Eucharistiam, quam sub utraque specie in manibus habes, in laudem et gloriam Dei, pro omnibus beneficiis, in expiationem culparum, et pro omnium bonorum impetratione.

§. IX. *De Oratione Dominica usque ad Communionem.*

Absoluto Canone, jam te ad Communionem praeparare debes, facto initio ab Oratione Dominica, quam cum tremore et filiali erga Deum affectu recitabis, oculis in Sacramentum intentis, quia Christus simul cum Patre preces tuas audit et exaudit.

Septem sunt ejus petitiones, in quibus summatim continentur res omnes a Deo petendae, et pro quarum impetratione hoc sacrificium offertur. In prima petitione desiderium excitabis eximiae tuae et aliorum sanctitatis, ut gloria Dei augeatur, ut ab omnibus ametur et timeatur, ejusque sanctitas, bonitas, sapientia ubique innotescat. In secunda, optabis Deum in tua et ceterorum voluntate regnare, simulque petes ad regnum illius feliciter pervenire. In tertia, rogabis ut omnes homines sic Deo serviant et obediant in terris, sicut

ei ab angelis servitur in coelis, numquam peccando, et quae illi grata sunt, semper ferventissime faciendo. In quarta, omnia necessaria pro victu, vestitu, ceterisque temporalibus postulabis. In quinta, implorata Dei liberalitate pro alimentis, ejusdem clementiam pro remissione peccatorum deprecaberis, elicito actu contritionis, et sincerae dilectionis omnium inimicorum et aliorum, qui tibi causa fuerunt alicujus molestiae, pure illos amando propter Deum. In sexta, diffidens de propriis viribus, et timens malitiam et inconstantiam tuam, petes a Deo ut te praeservet a tentationibus, ne forte in eas inductus, ab ejus gratia et amicitia excidas. In septima, a malis culpae et poenae liberari precaberis, atque ab omnibus adversitatibus, quas diabolus et mundus contra te moliuntur.

Haec postrema petitio fusius explicatur in sequenti oratione: *Libera nos, quaesumus, Domine*, in qua mala enumerantur, a quibus postulas liberari, praeterita scilicet, praesentia et futura. Mala autem praeterita sunt peccata, de quibus scriptum est[1]: *Fili, peccasti? Ne adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur*. Praesentia sunt quotidiana peccata, et aliae calamitates. Futura sunt tentationes et aliae imminentes miseriae, quae sine speciali Dei adjutorio evitari non possunt. Ad haec impetranda opem flagitas beatae Virginis, sanctorumque apostolorum Petri, Pauli et Andreae, et omnium sanctorum: et signans te signo crucis, pacem petis quam Christus nobis sua passione promeruit.

Sequitur fractio hostiae in tres partes, quarum unam dum calici immittis, intimam cum Deo unionem postulabis. Pacem populo annuntians, triplicem cunctis pacem desiderabis: pacem scilicet uniuscujusque cum Deo, quae in ejus gratia et amicitia consistit; pacem cum seipso, quae in concordia appetitus cum recta ratione sita est, ut quod ista dictat, ille exequatur;

---

[1]) Eccli. XXI. 1.

pacem cum proximo suo, ut nemo alteri praebeat offensae occasionem, sed omnes potius christianae caritatis officiis sibi devinciat.

Ad primum *Agnus Dei,* elicito actu fidei erga Christum ibi praesentem, qui est vere Agnus Dei pro nobis in cruce immolatus, liberari et praeservari petes ab omnibus miseriis spiritualibus, quales sunt habitus pravi, tepiditas in obsequio Dei, inconstantia in bene coeptis. Ad secundum, liberari item et praeservari petes a miseriis temporalibus, a peste, fame, bello, morbis et persecutionibus, quatenus a servitio et cultu pacifico Dei nos impediunt. Ad tertium, pacem postulabis, quam parit bona conscientia, dominium sui, omniumque rerum creatarum contemptus.

§. X. *De Communione.*

Recte Psalmographus, de Domino loquens, dixit[1]: *Et factus est in pace locus ejus;* et Apostolus etiam ait[2]: *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* Non ergo mirari debes, si saepius repetita imploratione docet Ecclesia proxime ante Communionem pacem a Deo petere, quae et omnia bona in se complectitur, et dignum Altissimo praeparat habitaculum.

Hanc petitionem continet prima ex tribus orationibus, quae Communioni praemittuntur; post quam in secunda remissionem postulas peccatorum et donum perseverantiae. Tertia vero timorem in te excitat, ne panis vitae et potus aeternae salutis *proveniat tibi in judicium et condemnationem:* sed mox fiduciam concipies, sperans ut meritis Christi *tibi prosit ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam.* Tum genuflexus Deum adorabis, ardentissimum concipiens desiderium ipsum in sacramento suscipiendi, cum versiculum illum profers: *Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.*

---

1) Ps. LXXV. 3. — 2) II. Cor. XIII. 11.

Cum dicis: *Domine, non sum dignus,* confitere indignitatem tuam, sed simul agnosce Dei omnipotentiam et misericordiam sequentibus verbis: *Sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* Te autem indignum fateberis, primo, propter peccata tua; secundo, ob vilitatem naturae tuae; tertio, quia ex te nihil es, nihil habes, nihil potes.

Ante Communionem subsiste aliquantulum[1], et praecipuarum virtutum, humilitatis, fidei, spei, caritatis, contritionis, abnegationis et adorationis actus breviter elice, quos sequenti vel simili modo formabis. Quamvis autem longiusculi videantur, si tamen memoriae bene impressos habueris, fient tibi ex ipso usu et agilitate a Deo tributa adeo familiares, ut quasi in instanti eos mente depromas.

Ita est, Domine Jesu, indignissimus sum, quia omnibus peccatoribus, et ipsis damnatis deterior sum, indignus omni bono, et dignus omni malo. Fretus tamen pietate et misericordia tua infinita, te sumere praesumo. Credo, Domine, quidquid credit a te edocta sancta Romana Ecclesia; et quidquid illa damnat, ego pariter damno et anathematizo. Spero a te, et peto omnia auxilia necessaria pro consequenda mea perfectione et salute aeterna, tuis infinitis meritis, et sanctorum tuorum opitulationi ac communioni innixus. Gaudeo et exulto de omni bono et gloria tua, ejusque propagationem quam maximam desidero. Omnia peccata mea quantum possum detestor propter te, paratus pro iis plenissime in hac vita satisfacere, ut anima mea purissimum tuae Majestatis habitaculum semper sit. Parco omnibus qui me aliqua

---

[1]) Ita Card. Bona. Sed auctores plurimi, qui de Rubricis scite scripserunt, negant tales actus eliciendos esse; hoc nixi fundamento, quod nulli actus privatae devotionis debeant permisceri cum publicis religionis actibus, nisi ubi permittuntur. In Rubricis vero meditatio praescribitur tantum post Communionem, non ante. Vide *Merati,* in *Rub. Miss.* p. 2, t. 10, 4.

molestia affecerunt, aut deinceps afficient, et eos propter te sincere amo. Offero me ad omnia mala poenae juxta beneplacitum tuum toleranda, renuntians voluntati, judicio, amori proprio, ac libertati, meque tibi resignans cum omnimoda indifferentia. Te denique summum bonum meum suppliciter adoro, et precor per illam amaritudinem quam sustinuisti pro me in cruce, maxime in illa hora quando anima tua egressa est de corpore tuo, ut miserearis animae meae in egressu suo.

Haec postrema verba addita sunt, ut impetres bonam mortem; et, cum ea dicis, Christi corpus sumere intendes per modum Viatici, si ipsa die te mori contingat.

Sumpturus sanguinem, considera te nihil habere quo digne possis pro Christi corpore, quod sumpsisti, gratias agere; et ideo paris valoris sanguinem offerens, dices magno spiritu verba illa: *Quid retribuam Domino,* cum sequentibus orationibus quae, sumpto sanguine, dici debent.

Quia vero post Communionem aliqua mora intercedit, dum abluitur calix, complicatur corporale, extenditur velum: ea durante, eos affectus breviter et ferventer elicies, qui magnis principibus exhiberi solent, cum alicujus domum dignantur invisere. 1. Itaque tantum hospitem adorabis in ejus divinitate et humanitate. 2. Gratias ages, quod ad te tam indignum venire dignatus sit, et pro aliis beneficiis generalibus et particularibus. 3. Splendide eum tractabis, praebendo illi omnia quae a te desiderat, detestando scilicet omnia peccata, renovando vota et bona proposita, proponendo ab iis abstinere quae illi displicent, et facere semper quod melius est; offerendo te paratum ad omnem crucem et molestiam. 4. Petes a tanto Rege, qui omnia potest, quidquid tibi et aliis, vivis et defunctis, est necessarium.

§. XI. *De postrema parte Missae, usque ad finem.*

Peracta Communione sequitur gratiarum actio, quae est ultima Missae pars, incipiens a versiculo qui *Com-*

munio dicitur, eo quod olim caneretur, dum populus communicaret. Sequentes autem orationes non solum gratiarum actionem continent, sed etiam postulationem, ut dona accepta in te permaneant et majus quotidie sumant incrementum. Tum dimittitur populus; et dum ille respondet: *Deo gratias,* iterum gratias ages Deo.

Ad orationem: *Placeat tibi,* rursum offeres sacrificium purissima intentione, et cum omni desiderio triumphantis ac militantis Ecclesiae, prout ipsa verba sonant. Deinde populo benedicens, uberem a Deo omnibus fidelibus benedictionem, omniumque coelestium gratiarum abundantiam ex animo precaberis, ut nunc in via, postea in patria, sanctissimam Trinitatem omnes glorificent.

Leges demum in fine initium Evangelii secundum Joannem cum reverentia et affectu gratitudinis pro beneficio incarnationis et vocationis ad fidem, et cum desiderio gloriae Dei, ut ab omnibus agnoscatur et glorificetur.

Sanctus Augustinus, ut gravissimi auctores testantur, hoc Evangelium aureis litteris conscribendum, et per omnes ecclesias in loco eminenti proponendum esse dicebat. Idem antiqui christiani tanti faciebant, ut plerique collo appensum ferrent, tamquam alterum christianae fidei symbolum, ac veluti amuletum contra daemonum vexationes.

In prima ejus Evangelii parte agnosces, quantus sit hospes quem sub panis et vini velamine latentem suscepisti, nempe Verbum aeternum, per quod omnia facta sunt, Filius Dei, Patri consubstantialis, hominum lux et vita, per quem et in quo omnes vivunt et illuminantur. Expendes deinde, ne forte ad te pertineant verba quae sequuntur: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Sicut enim homini caeco praesens est sol, sed ipse soli absens; sic homines terrenis affectibus veluti tenebris obvoluti, intimam Dei lucem non vident, nec ab ea illuminantur. Haec etiam verba ponderabis: *In mundo erat, et mundus*

eum non cognovit; in propria venit, et sui eum non receperunt; ne et haec forsitan in te locum habeant: quod ne contingat, Deum precaberis et timebis. In ultimis denique verbis attendes quod dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri,* et hoc in te adimpleri rogabis; et quia Verbum divinum plenum est gratiae et veritatis, ex hac plenitudine ubertim haurire satages quidquid tibi ad salutem et perfectionem est necessarium.

ARTICULUS III.

Quid praestare debeat Sacerdos post Missae celebrationem.

Peracta Missa aut Communione, permagni refert nosse uti illo tempore, quo apud nos demoratur Christus, et tanti hospitis praesentia frui. Neque enim tempus ad negotia salutis agenda magis opportunum nobis advenire potest, quam cum ipsum penes et intra nos habemus salutis auctorem. „Oportet igitur,“ ait pius Imitationis Christi auctor[1], „ut non solum praepares te ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem; nec minor custodia post exigitur, quam devota praeparatio prius; nam bona postmodum custodia, optima iterum est praeparatio ad majorem gratiam; ex eo quippe redditur quis valde indispositus, si statim fuerit ad exteriora nimis effusus.“

Ex te ipso disce quid facto sit opus: si quispiam te invitasset, sed domo jam exceptum, mox, quasi taedio consortii tui affectus, te desereret, ad ludicra et inania quaeque sese convertens, nulloque familiari colloquio aut benevolentiae et humanitatis obsequio tecum agere dignatus; nonne illi inurbanitatem istam et contemptum crimini verteres, ac hujusmodi amicum, utpote parum officii sui memorem, dedignareris? Vide itaque quid de iis dicendum qui, Deo in domum suam

---

[1]) Lib. IV, cap. 12.

recepto, mox illi dorsum obvertunt, et abscedunt, nec curant cum eo paulisper conversari. Quidnam hoc est, nisi talem tantumque vilipendere hospitem, imo illum graviter offendere? maxime cum is sit hospes qui in domum tuam venit, non ut reficiatur a te, sed ut ipse te reficiat. Quid ergo sic properas? Quid quaeris praeter Deum tuum? Plus ille te docebit, quam omnes libri; plus delectabit, quam omnes amici; plura praestabit commoda, quam omnes mundi artes, honores, opes et scientiae.

1. Cantico igitur trium Puerorum absoluto, quo ad gratias Deo pro tanto beneficio persolvendas, omnes debuisti creaturas invitare ardentissimo affectu et flagrantissima devotione, cave ab inanibus hominum colloquiis; in locum ab omni strepitu et distractione remotum te recipe; mane in secreto, ac suavissimo fruere hospite tuo; induc illum in interius cordis tui cubiculum, et clauso ostio, ceterisque cogitationibus exclusis, illi soli vacare stude, nec ab eo discedas, donec ipse benedixerit tibi: his etenim pretiosis horae momentis larga vel tenuis fieri debet in animam tuam donorum coelestium effusio, pro modulo caritatis, affectuum et desideriorum tuorum, animique tui gratae significationis. Sicuti namque ingratus animus fontem divinae largitatis exsiccat, ita et grata donorum ejus memoria torrentem aperit spiritualium benedictionum.

2. Dilata itaque cor tuum, et implebit illud bonorum omnium Largitor; aperi os tuum, et attrahes in te Spiritum sanctum, prout coelestis illius aura afflaverit; vel audi quid loquatur in te Dominus Deus tuus, vel cum eo tua commiscere colloquia ne formides; ***non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus ejus, sed laetitiam et gaudium***[1].

3. Perfectissimos diversarum virtutum actus elicies, Christum adorabis, non tantum ut in throno gloriae suae residentem in coelis, sed ut intima cordis tui

---

[1]) **Sapient. VIII. 16.**

penetralia inhabitantem: omnes animae tuae facultates, omnia corporis tui membra, sensus et organa, summo pietatis affectu illi subjicies, adeo ut in ejus honorem et obsequium cedant.

4. Firma fide credes et confiteberis, tantum hospitem in vili pectoris tui tugurio receptum, et sub exiguis Sacramenti speciebus delitescentem, esse vere Deum et hominem: Deum ab aeterno per omnia Patri aequalem et consubstantialem; hominem in tempore, operante supremi Numinis virtute; cujus divinitati et humanitati ea omnia competunt, quae credit et docet Ecclesia.

5. Cum in ipso omnium bonorum pignus habeas, ipsius meritis omnia, quibus indiges, dona sperabis et gratiae et gloriae, imo et naturae, in quantum ad salutem tibi sunt profutura, certo confisus illum promissis suis non defuturum, modo partes tuas expleveris.

6. Quia vere amor amore compensatur, et ipse ineffabili et infinita te prosecutus est caritate, nihil non tentabis, ut eum toto corde, tota mente, totisque viribus diligas; gaudebisque quam maxime, quod ipsius dotes et attributa tantae sint excellentiae, ut nonnisi a seipso possint ex aequo percipi.

7. Infinitam Redemptoris mundi mirare benignitatem, et illam humilitatis abyssum, qua in hoc sanctissimo se abscondit Sacramento, ut sui ipsius, omniumque quibus affluit bonorum te faceret comparticipem. Humiliare igitur in conspectu Dei tui, attentis peccatis quibus deliquisti, praesenti teporis, in quo versaris statu, excelsoque virtutum apice, ad quem tendere debueras, a quo tamen longo dissides intervallo.

8. In profundo nihili tui demissus, humiliter agnosce, nihil quidpiam penes te esse, quo pro tanto beneficio grates Deo persolvas, adeoque tenuitatis et indigentiae tuae tibi ipsi conscius, beatissimam Virginem, sanctos angelos, et omnes coelites in subsidium adhibe tuae paupertatis, invitando eos ad magnificandum Domi-

num tecum, et ad exaltandum uno consensu nomen illius.

9. Quoniam vero nec intensissimi omnium coelestium religiosi actus ejus sunt dignitatis et valoris, ut tantam Dei erga te munificentiam valeant compensare; ipsum Dei et hominum mediatorem Jesum Christum deprecare, ut sibi vice tua et intra te satisfacere dignetur, omnesque acceptet vitae suae labores et angustias, omnis mortis suae opprobria et tormenta, omnem denique gloriae suae celsitudinem et excellentiam, in dignam pro gratia tibi praestita gratulationem.

10. Ad pedes Domini, cum summo doloris et amoris sensu, provolutus, ignosci tibi suppliciter exora omnes anteactae vitae tuae iniquitates, omnem torporem et negligentiam, omnemque segnitiem et ignaviam, quibus in exequendis muneribus tuis, et in prosecutione virtutum praepediris; quod quidem ut assequaris, tuas cum ipsius meritis consociabis satisfactiones.

11. Peramanter etiam cum ipso conquerere de quotidianis tuis excessibus, animaeque tuae languoribus et miseriis; ingemisce et dole, quod cum ipse sit qui venerit ignem mittere in terram, nihilque tantopere velit quam ut accendatur, concretum tamen gelu pectus habeas, et ad ardorem hujus splendidissimi solis non liquefias. Roga eum ut perlustret cor tuum et omnia interiora tua, virtusque de eo exeat ad sanandum et vivificandum quidquid morbidum et vitiosum in te repererit.

12. Aperi ei totum cor tuum ea, quae congruit amicum inter et amicum, filium et patrem, confidentia, cum ipse horum omnium partes, tui causa, sustineat. Omnes igitur anxietates tuas, omnes aerumnas, omnes calamitates et angustias, quidquid denique ad salutem tum animae tum corporis conferre valet, illi fidenter expones, certo persuasus eum tibi non defuturum; neque enim amare potest et deserere.

13. Cùm eo potissimum fine sanctissimum istud Sacramentum sit institutum, ut omnes qui hujus fuerint

participes, in Jesum transformentur: *Qui manducat me*, inquit, *et ipse vivet propter me*[1]; per nimiam illam caritatem qua te dilexit, obsecra eum et obtestare, ut omnes virtutes, et omnia, quibus ditatur, spiritalia dona in te transfundat, et fiat invicem perfecta studiorum, consiliorum, voluntatumque communio, adeo ut quod vivas, jam non vivas ipse, vivat vero in te Christus.

14. Omnia vitae tuae momenta, sed extremum inprimis spiritum tuum illi commenda, eximiumque istud efflagita perseverantiae donum, quo cetera dona cumulantur, et fiant novissima tua illorum similia.

15. Nec vero propriis tuis ita intendendum est commodis, ut aliorum obliviscaris, pro quibus orandum tibi incumbit. Sacerdotis est plorare inter vestibulum et altare, et pro omnibus quibus gravatur populus, necessitatibus Dominum deprecari. Supplex nimirum a Deo deposces, ut sanctissimam Ecclesiam, omnium fidelium matrem, exaltare et amplificare dignetur; ut ad istius almae matris sinum omnes errantes haeretici schismaticive revocentur; omnesque infideles, in regione umbrae mortis sedentes, illuminentur: Dominum exorabis, ut pastores Ecclesiae regat et tueatur; principibus christianis pacem donet et concordiam; peccatoribus veram cordis conversionem delictorumque remissionem, justis profectum concedat et perseverantiam; ut omnes propinquos, benefactores, amicos tuos, imo et adversantes tibi, vel eos qui te aliquando molestia affecerunt, vultu sereno et acceptabili respiciat; omnibusque fidelibus defunctis lucem aeternam et requiem indulgeat.

His vel similibus exercitiis, prout religio tibi suggesserit, peractis, cor tuum et sensus externos omni custodia conservare satages, crebrisque per diem piis affectibus, ne tanti memoria beneficii dilabatur, summam Dei erga te dignationem compensare conaberis. Cum autem ea sit humani ingenii conditio, ut illi pretiosiora

[1]) Joan. VI. 58.

quaeque ex usu vilescant et taedium afferant, ne, repetitis semper iisdem actibus, fervor languescat caritatis, subjicientur tibi infra nonnullae meditationes, et variae precandi formulae, quibus huic malo obviare possis.

ARTICULUS IV.

Praxis celebrandi, cum quis prolixius orare non potest.

EX TRACTATU VEN. CARD. JOANNIS BONA DE SACRIFICIO MISSAE.

Quamvis humana negotia divinis functionibus nullo modo aequari, nedum praeferri debeant; quia tamen sunt aliqui sacerdotes publicis utilitatibus inservientes, qui necessariis et inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixius orare nequeant; brevem illis et expeditam praxim proponere necessarium duximus, qua uti possint, cum celebrare voluerint, ne minus digne divinum sacrificium offerentes, ejus fructibus priventur. Haec autem tria tempora complectitur: id quod Missam antecedit, id quo perficitur, et quod proxime subsequitur.

§. I. *De praeparatione.*

Ante Missam praemittenda praeparatio duplex, remota et proxima.

Pro *remota,* haec servanda: Vespere praecedenti cogitet se die crastina hostiam salutarem omnipotenti Deo oblaturum, eique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiae, amoris et desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione et affectu evigilet; caveatque diligenter, ne animus ita se negotiis immergat, et ad externa dilabatur, ut, cum tempus celebrandi advenerit, ad se revocari et recolligi non possit.

Proxime ante sacrum, terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omnique seposita rerum agendarum sollicitudine, mentem erigat ad coelestia. Perpendat qua devotione se sentiat ad celebrandum incitari, quo

fine moveatur. Conscientiam excutiat: et si aliquam ei maculam inesse deprehenderit, sacramentali confessione eluat cum intimo doloris sensu, et firmo proposito emendationis. Tum breve aliquod tempus sumat, quo fidem mysterii excitet, caritatem accendat, passionem Domini commemoret, dirigat intentionem, et Dei opem sibi et aliis flagitet. Auxilium quoque B. Virginis et sanctorum ferventer et humiliter implorabit. Horum actuum et affectuum formulas infra describemus, quas sibi quisque in brevissimas aspirationes redigere poterit, pro suo captu et devotione.

§. II. *De celebratione.*

Missae celebrationi tres comites adjunges, reverentiam, attentionem et devotionem. Reverentia omnes motus exteriores componit, ut modeste graviterque fiant, praescriptis ceremoniis exactissime servatis, summaque adhibita humilitate, quae omnino necessaria est hostiam immaculatam offerenti in conspectu Dei et angelorum. Attentio mentem coercet, et iis quae aguntur affigit, ne ad alia defluat et evagetur. Devotio voluntatem inflammat, ne languide et ex consuetudine sacris operetur, sed cum ingenti fervore, solertique studio Deum placandi et colendi.

Quia vero animus parum tenax recti facile distrahitur, quibusdam quasi vinculis adstringi debet et in se retineri, qualia sunt supra proposita, cap. 2, art. 2, §. 1, quae, ut ibidem notatum est, brevitati Missae nullum afferunt impedimentum.

Sunt etiam aliqui, qui in septem veluti stationes Missam partiuntur, ut in singulis congruos excitent affectus, et renovent attentionem. Prima dicitur *contritionis,* quae ante gradus altaris peragitur, ubi sacerdos tamquam reus se summi Judicis tribunali corde contrito praesentat et generali confessione noxas expiat. Secunda *glorificationis,* quae Missae introitu, angelorum cantico, et reliquis usque ad epistolam continetur. Tertia *doctrinae,* sive instructionis, quae

epistolam et evangelium complectitur, monita scilicet salutis a Prophetis, ab Apostolis, et ab ipso Christo nobis tradita, et cum ingenti reverentia suscipienda. Quarta *fidei,* quae Symbolo absolvitur. Quinta *oblationis,* hostiae salutaris oblationem continens, omniumque fidelium, pro quibus oramus et offerimus, commemorationem. Sexta *communionis,* ab illis verbis „*Communicantes,*" usque ad Postcommunionem, qua sacerdotis animus in sublime erigitur, variisque affectibus ad divinam unionem, quae Communione peragitur, se disponit. Septima *gratiarum actionis,* a Postcommunione usque ad finem.

Porro in singulis stationibus varii affectus excitari possunt, raptim quidem et breviter; sed brevitatem intentio affectus atque ardor devotionis compensabunt.

§. III. *De gratiarum actione.*

Quatuor post Missam praestanda sunt, quorum primum et praecipuum est gratiarum actio; secundum oblatio; tertium petitio; quartum propositum digne coram Deo ambulandi.

Gratiarum actio quanto exactius fiet, tanto erit copiosior oblati sacrificii fructus. Sicut enim ingratitudo fontem divinae largitatis exsiccat, ita gratitudo torrentem aperit coelestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis et variis modis excitari, quos unctio suggeret, et ingeniosa pietas excogitabit. Hoc unum est, quod a nobis exspectat Deus, ut grati simus et memores beneficiorum ejus.

Sequitur *oblatio,* qua par pari Deo reddere sacerdos potest, Filium ejus unigenitum et consubstantialem ei offerendo. Seipsum quoque offeret Patri et Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis: et quo gratior sit oblatio, merita ei addet B. Virginis et omnium sanctorum, ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio, et tota fiducia nostra.

Quia vero cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis et aliorum necessitatibus humiliter et

ferventer *deprecabitur*. Horum actuum formula in promptu habenda erit, potestque ex his excerpi, quae infra describentur.

Tandem concludet efficaci *proposito* eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei, donec ad apicem christianae perfectionis perveniat. Amen.

ADDITAMENTUM DE SACRA COMMUNIONE

in gratiam ministrorum inferiorum, quibus exhibetur eximius modus communicandi cujusdam virginis sanctissimae, editus a Nicolao Sfondrato, episcopo Cremonensi, postea papa Gregorio XIV.

Octavo quoque die communicare soleo, et quaedam ante, quaedam post, quaedam in ipsa communione factito.

Primo. Ante communionem, me in hunc modum dispono: pridie conscientiam excutio, humiliter confiteor, et doleo ex corde de peccatis tota hebdomada commissis. Poenitentiam a sacerdote injunctam expleo, eique aliam adjungo, ut flagellationem; et dum jejunare non licet, parcius saltem comedo et bibo.

Mane sequenti, diutius solito, mente oro, et tam ferventer quam possum gratiam a Deo peto bene communicandi, simulque ut me talem efficiat qualis esse debet, qui tantam recipit Majestatem; cor etiam meum suo divino amore inflammet, ut ejus participatio sacramenti eum in me habeat effectum, quem in eorum cordibus consequitur, qui pie ad illum accedunt.

Deinde considero, quam magna res sit in se recipere *Christum Domini;* perpendo illum esse quem reverenter adorant Angeli, quem desiderarunt Prophetae, amarunt Apostoli, imitati sunt Martyres, uno verbo, quem omnes Sancti sitierunt et unice coluerunt.

Hac cogitatione commotus, studeo animam meam amplius accendere ex duabus considerationibus, una de praestantia et utilitate Ss. Sacramenti, altera de mea ipsius necessitate et indigentia.

Secundo. Dum jamjam communicandum est, quinque perago.

1. Omnes invito sanctos, et maxime B. Virginem ac dilectos patronos, ad hoc ut pro me apud Deum intercedant; deinde, ut exornent quoque animam meám, et comitentur ad sacram mensam.

2. Inspicio meam vilitatem et indignitatem; quam plenus sum vitiis et imperfectionibus! et deprehendendo nihil in me boni esse, totum me abjicio ad pedes divinae misericordiae, quae compensare potest sua gratia quidquid mihi deest.

3. Conor elicere plures virtutum actus, fidei praesertim, spei, caritatis. etc.

4. Aliquando doleo, quod ad Communionem veniam tam parum praeparatus. Aliquando Dominum rogo ut, nulla habita ratione miseriarum mearum, se in domum animae meae recipiat. Aliquando miror et obstupesco, quod non dedignetur apud animam ingredi quae toties eum abjecit, contempsit, imo causam passionis et mortis dedit! Aliquando etiam sic animae meae colloquor: *Ecce, anima mea, Dominum Deum tuum! ecce dilectum cordis tui! Quam felix, si eum agnoscas, ames, colas, et adducas ne a te velit discedere!*

5. Ei repraesento omnia peccata mea, et innumeras, quibus obnoxius sum, miserias; ardenter et humiliter eum rogo, ut omnia mihi condonet, et demum me illi satisfacturum promitto.

Tertio. Peracta Communione, recipio me in aliquem locum secretum, ut solus cum solo Domino meo, qui *sub tectum meum* vere et realiter *intrare* dignatus est, ex intimo affectu colloquar.

Et 1. offero aeterno Patri sanctissimum Filii sui sacrificium, eique repraesento quidquid pro me passus est, quatenus *respiciendo in faciem Christi sui,* favorabilius me *aspiciat.* Gratias deinde quam possum maximas divinae ejus Majestati refero, quod *sic nos dilexerit,* ut Unigenitum suum nobis daret, et pro nostra salute traderet.

2. Converto me ad B. Virginem et sanctos patronos meos, quos enixe rogo, ut dignentur supplere quod meae deest gratiarum actioni, et Deum pro me benedicere.

3. Confugio ad Christum, eique ut medico peritissimo omnes infirmitates meas fiducialiter aperio, quibus ut misericorditer mederi velit, et alias mihi concedere gratias, quibus me indigere novit, instanter ipsum deprecor.

4. *Statuo* coram Deo ***custodire judicia justitiae ejus;*** emendare omnia in quibus soleo delinquere, nominatim singulare aliquod vitium extirpare, et virtutem aliquam mihi magis necessariam inserere, ut semper proficiam in melius. Tum divinam bonitatem ardenter exoro, ut ***hoc confirmet quod in me operata est,*** et ***quod coepit opus bonum, ipsa perficiat et solidet.***

Tandem toto illo die studiosius cor meum custodio, cogitans in eo Dominum, tamquam in suo habitaculo, requiescere; unde omni utor modestia tam in loquendo, videndo, ambulando, quam in tota externa conversatione. In mentem saepe revoco factam Communionem per has aut similes aspirationes: ***Hodie, Domine, venisti ad me peccatorem; hodie hospitatus es in domo cordis mei; ne discedas ab ea; mane, quaeso, mecum, quoniam advesperascit,*** quoniam appropinquat nox mortis, tentationis, negligentiae etc. In aliis quoque hujus diei orationibus gratias ago pro hac Domini dignatione, ad quam etiam refero omnes alias actiones meas, omnia mea bona opera, ut nempe cedant in gloriam et honorem tanti benefactoris.

PARS TERTIA.

CONTINENS VARIAS ANTE MISSAM PRAEPARATIONES.

PRAEPARATIO AD MISSAM

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

EX MISSALI ROMANO.

Antiphona.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quae Antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur, et tempore paschali additur in fine Alleluia.

Deinde dicuntur sequentes psalmi.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri etc.

Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri etc.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei: da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui ode-

runt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine! quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.
Gloria Patri etc.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Postea Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ego dixi: Domine, miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Convertere, Domine, usquequo.
℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me, Domine.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus,

qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

ALIAE ORATIONES ANTE MISSAM VEL COMMUNIONEM.

Oratio sancti Ambrosii Episcopi.

DIE DOMINICA.

Summe Sacerdos et vere Pontifex, Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam, in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis;* rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo: doce me servum tuum indignum quem, inter cetera dona tua, etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae; doce me, quaeso, per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animae meae. Intret

Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum angelorum pia et fida custodia, ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii et per manum sancti angeli tui repelle a me et a cunctis servis tuis, durissimum spiritum superbiae et caenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae. Confundantur qui nos persequuntur: pereant illi, qui nos perdere festinant.

FERIA II.

Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, coelesti rore benedictionis tuae exstingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones: et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quae tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim, Domine Jesu Christe, cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animae puritate, istud divinum et coeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum angelorum praesentia, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus!

FERIA III.

Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine,

et vere scio, et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium, propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori, hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum laetitia spirituali et coelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae, et excubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo.

FERIA IV.

Ego enim, Domine, memor venerandae passionis tuae, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium quod tu instituisti, et offerri praecepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditae non recuses; nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus salutaris, dignatus es esse redemptio. Profero etiam, Domine (si digneris propitius intueri), tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

FERIA V.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quae fecisti. Memorare quae sit nostra substantia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es; ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuo-

rum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia praestolantem, aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire et exaudire delecteris.

FERIA VI.

Rogamus etiam te, Domine, sancte Pater, pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium, hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo; de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollit peccata mundi, quae de sancto et glorioso beatae Virginis Mariae utero est assumpta, et de Spiritu sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit: ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati, exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis, et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis, incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat: qui oblationes nostras corpus et sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore; ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

SABBATO.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium corporis et sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summae divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut haec coelestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum Panis vivus qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in aeternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiam dulcedinem. Panis candissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos semper reficis, et numquam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te angelus ore pleno; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, Panis vive, Panis munde, qui descendisti de coelo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio ante Missam.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas! o tremenda Majestas! ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus; sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve, salutaris Victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear sancta sanctorum: et concede, ut sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi:

accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

PROTESTATIO FACIENDA ANTE MISSAM.

Gregorius XIII. Pontifex Max. concessit cuilibet sacerdoti, hanc orationem devote ante Missam recitanti, quinquaginta annorum Indulgentiam.

Ego volo celebrare Missam, et conficere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Curiae militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

ORATIO AD S. JOSEPHUM.

Pius VII. P. P. die 22. Sept. 1802 omnibus Sacerdotibus, qui ante Ss. Missae Sacrificium orationem sequentem devote recitaverint, Indulgentiam unius anni concessit.

O felicem virum beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre, et non viderunt, audire, et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus qui dedisti nobis regale sacerdotium, praesta quaesumus, ut sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum natum ex Maria Virgine suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PRECES PRIVATAE ANTE MISSAE CELEBRATIONEM.

I. *Directio intentionis ante Missam.*

Domine Deus, ego indignus servus tuus intendo hoc mane, quam maximo possum amoris, reverentiae et devotionis affectu, sanctissimum Missae sacrificium Majestati tuae, cui soli debetur, offerre juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae; et ex nunc offero illud, una cum omnibus sacrificiis tibi gratissimis, simulque pretium sanguinis Domini Jesu, merita beatae Virginis, et omnium sanctorum, totiusque Ecclesiae preces et laudes: in unione illius sacrificii quod Christus in ul-

tima coena instituit, et in cruce consummavit, factus ipse sacerdos et victima: affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, et ejus sponsae Ecclesiae: ex puro tui amore, ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae et increatae tuae excellentiae, dominii tui in omnes creaturas, et nostrae subjectionis ac dependentiae a te: in gratiarum actionem omnium benefactorum ulli umquam creaturae collatorum et conferendorum; in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo umquam tibi irrogatae vel inferendae: ac in cultum latriae tibi soli debitum cum omnibus adorationibus Christi, beatae Virginis, et omnium angelorum et sanctorum: item in augmentum gaudii humanitatis Domini nostri Jesu Christi, in memoriam vitae et passionis ejusdem, et in augmentum gloriae ac beatitudinis immaculatae Virginis, omniumque angelorum et sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis, in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere doleo, propter offensam et injuriam quam tibi irrogavi, et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus et beata Virgo ejus mater sciunt et volunt ut sacrificem: pro parentibus, amicis, consanguineis, ac benefactoribus meis: pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae: pro christianorum principum unione, haeresum et schismatum extirpatione, omnium infidelium nationum conversione: pro totius cleri et omnium statuum religiosorum sanctificatione, conservatione, et augmento: pro animarum in purgatorio existentium liberatione: maxime autem pro NN. qui eleemosynam dederunt aut reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc Missam celebrem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis me posse vel debere.

Respice ergo in me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti, ut defunctis requiem indulgeas, et vivis veniam gratiamque concedas, tibi recte fideliterque serviendi, et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

II. *Actus praecipuarum virtutum.*

1. Credo in te, Deus prima veritas, propter infinitam auctoritatem tuam. 2. Adoro te, propter increatam excellentiam tuam. 3. Spero in te, propter immensam misericordiam tuam. 4. Amo te, propter summam bonitatem et amabilitatem tuam. 5. Confundor et erubesco, quod te infinito non contentus, exigua et apparentia bona quaesierim. 6. Doleo de peccatis meis propter te, quem super omnia diligo; et paratus tibi in hac vita satisfacere, propono, te adjuvante, plenam et perfectam emendationem. 7. Tibi gratias ago pro universis, quibus me cumulare non cessas, beneficiis. 8. Quidquid habeo vel possideo, id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. 9. Omnibus qui me offenderunt, toto corde ignosco, propter amorem tuum. 10. Rogo te, per sanctissimam Filii tui passionem, miserere animae meae in egressu suo et perduc eam, omnibus sacramentis munitam, in vitam aeternam. Amen.

III. *Oratio deprecativa.*

Deus, qui de indignis dignos facis, et de peccatoribus justos, et de immundis mundos: munda cor meum et corpus meum ab omni contagione et sorde peccati et fac me dignum atque strenuum sanctis altaribus tuis ministrum: et concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuae pro peccatis et offensionibus, innumerisque et quotidianis excessibus meis, atque cunctorum simul christianorum culpis abluendis: et per eum sit tibi votum meum acceptabile,

qui se tibi, Deo Patri, pro nobis obtulit hostiam et sacrificium, quique tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus etc.

IV. *Alia Oratio praeparatoria.*

Ex Liturgia S. Basilii.

Domine, qui nosti corda omnium, sancte et in sanctis requiescens, solus sine peccato, et potens ad remissionem peccatorum concedendam: tu, Domine, scis indignitatem meam, meque minus praeparatum, nec sufficienter dispositum, ut accedam ad ministerium hoc tuum sanctum. Sed nec tanta mihi confidentia est, ut accedam et aperiam os meum coram gloria tua sancta; sed secundum multitudinem clementiae tuae ignosce mihi peccatori, et concede mihi, ut inveniam gratiam et misericordiam in hac hora, et mitte mihi virtutem ex alto, ut incipiam et praeparem, perficiamque, sicut tibi placitum est, ministerium tuum sanctum, secundum beneplacitum voluntatis tuae. Ita, Domine, esto nobiscum, esto socius operis nostri; benedic nobis; tu es enim remissio peccatorum nostrorum, lux animarum nostrarum, vita, fortitudo et fiducia nostra: tu es ipse cui sursum mittimus laudem, gloriam et adorationem, Pater, Fili, et Spiritus sancte, nunc et semper, et usque in saecula saeculorum omnium. Amen.

V. *Tres petitiones ad B. Virginem pro digna dispositione ad S. Missae Sacrificium.*

Ex B. Gertrude, lib. IV, c. 40.

1. Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei, in utero tuo virginali, placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

2. Humillima Virgo, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros angelorum et sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiae meae.

3. Amabilissima Virgo Maria, rogo te per singu-

larem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

VI. *Oratio ad Sanctos quorum festum agitur.*

O sancti et sanctae Dei, quorum hodie memoriam in terris celebramus, ego miser et indignus peccator, de vestris meritis confidens, intendo hoc mane offerre sanctissimum sacrificium corporis et sanguinis D. N. J. C. pro vestro honore et gloria. Precor vos humiliter et devote, ut pro me hodie intercedere dignemini, quatenus tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, et eum vobiscum ac cum omnibus electis ejus in aeternum laudare merear. Amen.

VII. *Oratio ad omnes Angelos et Sanctos.*

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, inprimis dilecti patroni, intercedere dignemini pro humili servo vestro, ut hoc sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

VIII. *Terna amoris suspiria ad Jesum ante Missam.*

1. **A**ccende, o Jesu! igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas exstingue, ut nihil in mundo mihi placeat praeter te: in amore tui vivere cupio, et mori exopto.

2. Vota tua, mi Jesu! haec sunt: Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos; et expansis in cruce brachiis, me exspectas. En venio, o Jesu! Admitte me, obsecro, et concede, ut in amoris tui complexu tibi semper conjunctus permaneam.

3. Praecipitur mihi, ne appaream in conspectu tuo vacuus; sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuae

bonitatis dona, animae meae facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim: nihil sciam extra te: nihil amem praeter te: nec in ulla re mea, sed tua voluntas fiat. Amen.

PRAEPARATIO BREVIOR AD MISSAM,

facienda quando per tempus longiorem facere non licebit.

I. INVOCATIO S. SPIRITUS.

Antiph. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus etc.

II. ACTUS CONTRITIONIS.

Domine, Deus meus, propitius esto mihi peccatori. Poenitet me peccasse: cupio emendare quod feci. Aufer a me, quaeso, omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore valeam ad sancta sanctorum introire.

III. ACTUS FIDEI.

Domine Jesu Christe, qui es Sacerdos in aeternum, quique dixisti: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus;* ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et in hoc Sacramento praesens redderis. Adauge mihi fidem.

IV. ACTUS SPEI.

In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu es salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei, et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

V. ACTUS CARITATIS.

O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu, cum, transiturus de hoc mundo ad Patrem, mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis! Pro hac tua ineffabili benignitate amo te, Deus meus; et ut numquam cessem amare te, amorem meum teipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es.

VI. ACTUS DESIDERII.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus, Domine Jesu. Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo.

VII. ACTUS HUMILITATIS.

Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus, quis es tu, et quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari, et mansionem apud me facere? Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

VIII. INTENTIONUM DIRECTIO.

Intentio generalis.

Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima coena, et in ara crucis, sacrificium corporis et sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo. Complaceat sibi, o Jesu! in te; et per te propitius nobis sit in vitam aeternam. Amen.

Ego volo celebrare Missam etc., *ut supra pag. 198.*

Intentio particularis.

Ego volo venerari et colere specialiter per hoc sacrosanctum Missae sacrificium mysterium v. g. Incarnationis, Eucharistiae etc., vel sanctum N.; gratias agere praesertim pro beneficio, v. g. baptismi, ordinis sacri; veniam exorare inprimis de peccato, v. g. superbiae, luxuriae etc.; tandem impetrare virtutem, v. g. humilitatis, castitatis, patientiae etc. Accepta sit tibi, Domine, haec intentio mea, et illam velis habere ratam.

Intentio personalis.

Ego volo sacrum facere principaliter pro N. pro quo teneor celebrare: ut, quae juste postulat, consequi mereatur. Domine, suscipe, serva, et miserere.

IX. ORATIO AD POSTULANDAM MENTIS PURITATEM.

Ex Sacrament. S. Gregorii.

Fac me, quaeso, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut in sanctorum tuorum merear exaltatione laetari; quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriae conscientiae gravat. Per Christum.

X. ORATIO AD IMPETRANDAM DEVOTIONIS GRATIAM.

Ex libro de Imit. Christi.

Domine Deus meus, omnia bona mea tu es. Et quis ego sum, ut audeam ad te loqui? Ego sum pauperrimus servulus tuus et abjectus vermiculus, multo pauperior et contemptibilior, quam scio et dicere audeo. Memento tamen, Domine, quia nihil sum, nihil habeo, nihilque valeo. Tu solus bonus, justus et sanctus. Tu omnia potes, omnia praestas, omnia imples, solum peccatorem inanem relinquens. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et imple cor meum gratia tua, qui non vis vacua esse opera tua. Noli

avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat *anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Ministra devotionis aquas ad irrigandam faciem terrae, ad producendum fructum bonum et optimum. Eleva mentem pressam mole peccatorum, et ad coelestia totum desiderium meum suspende, ut, gustata suavitate supernae felicitatis, pigeat de terrenis cogitare. Amen.

XI. ORATIO S. BERNARDI AD B. MARIAM VIRGINEM.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Virgo Maria, inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis! ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam grata, nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditatem nobis conferat meritorum. O domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra! tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui, te mediante, fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae beatitudinis suae, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

XII. ORATIO AD OMNES SANCTOS.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim ac Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, maxime vos quorum hodie memoriam agimus, succurrite mihi, quaeso, vestris precibus: ut Ss. hoc sacrificium viva fide, ferventi caritate et plena devotione perficiam, perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

XIII. CONCLUSIO.

Domine Deus meus, modica heu nimis et imperfecta valde est ista ad omnibus *grandius opus* praeparatio mea. Idcirco offero tibi sanctitatem et virtutes dilectissimi Filii tui, simulque beatae semper Virginis Mariae et omnium sanctorum fervorem et devotionem, ut illorum merita suppleant quidquid mea non valet infirmitas. Suscipe propitius et miserere. Amen.

PIA PRAEPARATIONIS AD MISSAM EXERCITIA

PRO SINGULIS HEBDOMADAE DIEBUS.

Quoniam non possunt omnes habere unum exercitium, sed aliud isti, aliud illi magis deservit, et etiam pro temporis congruentia diversa placent exercitia; ideo sequentia hic inserere visum est expedire, ex quibus hoc quisque seliget, quo se magis affici senserit.

DOMINICA.

Accessuri ad sacrum convivium, in quo Christus ipse sumitur, non immerito Christi quoque verba, et ipsam, quam de sacro illius ore hausimus, orationem, velut benedictionem mensae praemittemus. Sacerdos quidem in Missa paulo ante Communionem eam recitat; sed in ea ante Missam perutiliter quoque meditabitur; quin et communicaturus quisque hinc facile pios affectus hauriet. Dicamus ex intimo animi sensu:

Pater noster,

potentissime, sapientissime, clementissime, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito esurientes reples, et, quae creasti, omnia tam paterne et mirabiliter alis, foves ac conservas: ecce et ego unus, licet vilissimus, filiorum tuorum, confidenter nunc levo oculos meos ad te, *qui es in coelis,* ut tu paternae benevolentiae oculis respicias super me miserum et inopem, procul agentem

a facie Patris, inter filios Evae, in valle lacrymarum, exsulem et peregrinum super terram, et suspirantem ad te dulcissimum Patrem meum. Quid vero nunc potissimum petam a te, nisi ut:

Sanctificetur nomen tuum.

Hoc enim est praecipuum votum et desiderium cordis mei, ut omnia quae facio, dico, cogito, cedant ad majorem gloriam nominis tui. Et nunc praecipue cum ad sacra mysteria corporis et sanguinis Filii tui venio, hoc unum intendo, hoc unice desidero, ut laudetur suprema majestas, potestas, bonitas et sapientia tua, cui debetur ab omni creatura omnis honor et gloria, aeterna laus et gratiarum actio, quia sic dilexisti nos, ut Filium tuum unigenitum nobis dares, et in cibum, et in salutis pretium. Pro quo, cum digne a nobis laudari nequeas, utinam ipse Filius tuus clarificet te. Nam et tu exaltasti eum super omnia, et dedisti illi nomen quod est super omne nomen.

Adveniat regnum tuum,

cujus regni felicitatem et delicias in hoc Sacramento praelibamus. Dedisti enim nobis, in pignus futurae gloriae, corpus et sanguinem Filii tui, et sic nos quoque per gratiam adoptionis fecisti tibi haeredes, cohaeredes autem Christi.

Interim vero, dum adhuc in exilio peregrinamur a Domino, fac nos sic uti hoc sacro pignore, ut in dies magis magisque in nobis proficiat regnum tuum gratiae, et tandem perveniat in nos regnum tuum gloriae.

Fiat voluntas tua.

Quae est autem voluntas tua, nisi sanctificatio nostra, maxime cum accessuri sumus ad haec sancta sanctorum? Vis etiam ut manducemus carnem Filii hominis, et bibamus ejus sanguinem; alias non habituri vitam in nobis. Quis autem hoc facere praesumeret, conscius infirmitatis suae, nisi id tam amanter

et dignanter tu una cum Filio velles et praeciperes? (Nam idem est utrique velle, idem posse). Quia ergo ita vis, fiat quod vis, et quomodo vis. Nempe sanctos nos esse vis, quia sanctus est, imo sanctus sanctorum, ad quem accedimus, Filius tuus. Sed quis sanctum faciet, nisi tu? Da quod jubes. Fac ut sancta non tractemus nisi sancte, caste et religiose. Unde *sicut in coelo* sancti pleno ore, puro corde, et ardenti desiderio manducant hunc panem vivum revelata facie; *ita* et nos *in terra* magno desiderio et puro affectu comedamus eum sub speciebus velatum, donec et nos cum electis fruamur illo in propria specie, et satiemur ab ubertate domus tuae.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Oculi enim omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Tu aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione. Et mihi deesse poteris? Scis autem, Domine, quia non minus anima quam corpus cibo reparari indiget, ut vivat. Nam sicut illud naturalis calor, sic hanc aestus concupiscentiae continuo depascitur. Sed o felices filios, qui in domo tanti Patris (Ecclesiae) sic abundant panibus! Hic panis gratiae et verbi Dei copiose frangitur. Hic panis sacramentorum, et praesertim panis ille vivus, qui de coelo descendit, qui natus in Bethlehem, id est in domo panis, panis angelorum, manna coeli, omnibus apponitur. O pretiosa et nobilis esca! O grandis aeterni Patris caritas et misericordia! Mihi enim non serenti, neque metenti, neque horrea habenti, frumentum electorum et panis vitae e coelo datur. Tu, Domine, seminasti illum in terris, mortis falce messuisti; tu eum in horreo Ecclesiae tuae nutriendis filiis tuis totum exposuisti.

Da mihi ergo, benignissime Pater, ut hoc *pane* saepius digne reficiar; imo etiam quotidie *(si non sacramentaliter, saltem spiritualiter)* recipiam, quod quotidie mihi prosit; nam quia peccatis deficio quo-

tidie, merito etiam quotidie remedium accipio, quod vires reficiat. O utinam hoc coelesti pane et viatico ita sustenter in hoc deserto, ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei!

Et dimitte nobis debita nostra.

Heu! quam multa et gravia! in multis enim offendimus omnes. Vere miseri nos et inopes, solvendo pares non fuimus, nec sumus.

Sed ecce, Domine, apud te est misericordia, et copiosa apud Filium tuum redemptio, quem nostri misertus dedisti nobis. Ille justus, impollutus, et innocens per omnia: quod nos debuimus, ille solvit: quod nos peccavimus, ipse luit, et justitiae tuae abunde satisfecit, donans nobis immensum thesaurum meritorum suorum, et infinitum pretium sanguinis sui.

Hoc autem totum pretium velut depositum habemus in pretioso sanctissimi Sacramenti scrinio reconditum. Hunc ergo thesaurum nunc offero tibi, o Pater aeterne! ut inde capias quantum exigis a me pro debitis meis. Ego unde solvam, non habeo; at Filii tui superabundant merita, ut inde nostra solvantur debita.

Propter hunc itaque dimitte nobis, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Dimittimus, inquam, ne forte extra vinculum caritatis indigne tractemus Sacramentum pacis et unitatis, et frustra a Deo quaeramus medelam, si homines hominibus reservemus iram. Quae enim nobis communicatio in corpore et sanguine Domini, si membris corporis ejus mystici, id est, proximis nostris, communione pacis et amoris non conjungimur?

Oportet nos utique, cum accedere volumus ad altare, prius reconciliari fratribus nostris, si quid habent adversum nos, et sic venire ad offerendum munus nostrum. Hoc Filius tuus nos et facere docuit, et ipse fecit. Nam pendens in cruce, et solvens omnium debita, dimisit inimicis suis, et pro tortoribus te supplex oravit, dicens: Pater, ignosce illis. Dimitte mihi itaque debita mea, pro quibus Filius tuus offert merita

sua; his enim seclusis, si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?

Et ne nos inducas in tentationem.

O Domine, qui parasti in conspectu nostro mensam adversus omnes qui tribulant nos, et panem apponis hic, qui cor hominis confirmet adversus omnes tentationes mundi, carnis et diaboli: da mihi, per cibum coelestem et vivificum, vires et robur, ut tentatus non succumbam, sed tibi constanter adhaeream. Non studeam esse amicus hujus *mundi*, aut conformari huic saeculo, sed virtute coelestis cibi transformer in te, ut uni tibi placere cupiam et displicere timeam. Sordeat mihi terra, quia hic coelum intueor, et mundi totius Dominum complector. Nihil me *carnis* deliciae moveant, cui carne Agni immaculati, et manna coeli vesci datur, in quo delicias longe majores et omnem saporis suavitatem invenio. *Daemon* vero quid poterit in me, quando mecum est Deus? Si autem Deus pro nobis, quis contra nos?

Sed libera nos a malo.

Multis enim in hac vita casibus et miseriis obnoxii sumus. Ea vero censentur mala, quatenus nos fragiles abjiciunt et abstrahunt a te; abduci autem a te, id est, summo bono, hoc utique est summum malorum. Quis vero liberabit nos ab hoc malo, nisi tu fons omnis boni, et quem nobis dedisti advocatum apud te, omnisque salutis et felicitatis auctorem, Jesus Christus, qui nos a peccato et a morte liberavit in sanguine suo? Hoc mediatore fac ut omnia nobis cooperentur in bonum; quia non est nobis in alio aliquo salus. Is ergo, ut vere praesens est in hoc Sacramento, ita nobiscum sit ubique: ille nos pascat, regat, conservet, protegat, ducat, pro clementissimo suo beneplacito, velut oves pascuae suae; quidquid nobis evenerit, malum non erit, si non separet nos a smmuo bono.

Nam mihi adhaerere Deo bonum est. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?

Poterit haec meditatio Orationis Dominicae, ut ante, sic post Missam aut Communionem usui esse.

FERIA II.

ORATIO DOMINICA

JUXTA QUATUOR SACRIFICII FINES, AD USUM TUM CELEBRANTIUM, TUM COMMUNICANTIUM, ACCOMMODATA.

Pater noster, qui es in coelis.

Domine, sancte Pater, qui legalium multitudinem hostiarum, in unius sacrificii novae legis hostia conclusisti, quique nobis in dilecto Filio tuo, Sacerdote magno, et summo utriusque Testamenti Pontifice, perfectae oblationis exemplar, secundum quod nos faceremus, ipse in monte Calvariae monstrasti: fac, quaesumus, ut per gratiam tuam fiamus conformes imaginis Filii tui, qui nobis similis fieri dignatus est in forma servi.

Et sicut ille semetipsum quoad corpus et animam, cruento modo in cruce, secundum ritum Aaronis; et incruento modo, secundum ordinem Melchisedech, in ultima coena, tibi aeterno Patri suo obtulit: ita nos ejus exemplo, corpora nostra in hostiam viventem, sanctam, tibi placentem, et rationabile obsequium quotidie offeramus; animam quoque et omnes ejus vires ac potentias, in *holocaustum* laudis, in sacrificium *eucharisticum* pro donis acceptis, in *impetratorium* pro accipiendis, et denique in *propitiatorium* pro peccatis immolemus.

I. LATREUTICUM. — Sanctificetur nomen tuum.

Domine Jesu Christe, qui aeterni Patris amore, non tuam, sed illius in omnibus et per omnia gloriam quaerens, tradidisti temetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, laudo et adoro ex toto corde meo summam tuam potentiam, boni-

tatem, sapientiam, justitiam, misericordiam, quae in hoc sacrificio et opere redemptionis, mirabiliter elucent.

Gaudeo per hanc oblationem vana gentium idola et profana sacrificia abolita, et sincerum verumque tibi Deo vivo et vero cultum ac honorem restitutum esse; unde ego nunc immolo tibi sacrificium laudis, et reddo Altissimo vota mea. *Credo* tibi, et *spero* in te, et *amo* te super omnia; meque ipsum tibi plene resigno, et totum offero. Intellectus, voluntatis et memoriae meae victimam tibi offero in holocaustum perpetuum; idque donec

adveniat regnum tuum,

quod parasti nobis ab origine mundi, o Rex magne, et Princeps regum terrae: qui regnasti a ligno, et principem hujus mundi ejecisti foras: qui dilexisti nos, et lavisti nos a peccatis nostris in sanguine tuo, ut faceres nos regnum et sacerdotes Dei.

O Jesu, Rex meus et Deus meus! ecce ego servus tuus et filius ancillae tuae, eligo te hodie mihi in hac communione, seu sacrificio Missae, in regem perpetuum et offero me tibi in servum sempiternum. Tibi soli sacrificabo deinceps hostiam laudis, et nomen tuum invocabo. Sit nomen tuum, Domine, benedictum, ex hoc nunc, et usque in saeculum.

II. EUCHARISTICUM. — Fiat voluntas tua,

Domine Jesu Christe, qui venisti in hunc mundum ut faceres voluntatem Patris tui, et opus redemptionis nostrae, quod tibi dederat, perficeres. Unde et ad eam implendam factus es obediens Deo Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Hujus autem obedientiae merito omnis gratia, salus et vita, et omnia in nos bona tam copiose redundant.

Sed quid ego retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi? Scio nihil tibi gratius fieri posse, quam si voluntas tua per nos in omnibus fiat.

Ecce itaque in unione sanctissimi sacrificii tui, quo te aeterni Patris voluntati sponte subjecisti (oblatus enim es, quia ipse voluisti), quodque ego nunc in hac Communione, vel Missa recolo; omnem voluntatem meam tuae libens et integre subjicio, et hanc ab omnibus, ubique et semper, plenissimeque fieri percupio: idque in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, creationis, redemptionis, conservationis, gubernationis etc. Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

III. IMPETRATORIUM. — Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,

o Pater amantissime, cujus infinita liberalitate Jesus Christus, Filius tuus, datus est nobis dux, medicus, pastor, nutritius. Sic enim dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares.

Qui ergo proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? praesertim cum tantam ejus fiduciam ipse nobis Filius suggerat, dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Numquid ergo, si petierimus *panem,* dabit nobis lapidem, aut pro ovo scorpionem?

Ecce nomen ejus, et simul infinita merita sacrificii in cruce peracti, repraesento tibi, aeterne Pater, et rogo, ut panem quotidianum des nobis: panem corporis, sed animae praecipue: sub *illo* quidem petens omnia vitae praesenti necessaria subsidia, ut melius serviamus tibi; sub *isto*, cibum animae, seu dona gratiae et quaecumque ad cor confirmandum pertinent, ne deficiamus in via qua tendimus ad patriam, ubi satiabimur ab ubertate domus tuae.

IV. PROPITIATORIUM. — Et dimitte nobis debita nostra.

O Pater misericordiarum, apud quem habemus advocatum Dominum nostrum Jesum Christum, qui factus

est propitiatio pro peccatis nostris, et reconciliavit nos tibi in sanguine suo, cum se *hostiam pro peccato* in ara crucis obtulit! O pretium magnum! o copiosa redemptio, et satisfactio superabundans pro meis, imo totius mundi peccatis!

Hanc modo repraesento et offero tibi, o pie Pater, dum in hac Missa, vel Communione, illius memoriam renovo.

Sed et victimam corporis et membrorum meorum voluntaria mortificatione immolo tibi in sacrificium spiritus contribulati. Cor contritum et humiliatum, Domine, ne, quaeso, despicias; sed respice in faciem Christi tui, qui peccata nostra pertulit in corpore suo, cujus livore sanati sumus.

Quid vero proderit nos a peccatis praeteritis liberatos esse, si non muniamur adversus futura? Rogamus itaque:

Et ne nos inducas in tentationem.

Nam proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua. Domine, tu nosti miseriam nostram et infirmitatem figmenti tui, et quod nihil possumus sine te. Rogo te per vim clementiae tuae, et propitiatorii illius sacrificii in cruce peracti, ut procul a nobis omnia scandala, tentationes, pericula, occasiones amoveas, per quae denuo nos ad peccandum induci posse praevides.

Absit, ut iratus nobis tradas nos in desideria cordis nostri, et tentationibus, quasi fluctibus maris expositos, sine rectore et remige jactari sinas. Quin tu, o fidelis Deus! esto mecum in tentatione, et non permittas me tentari supra id quod possum.

Ad hoc offero tibi sacrificium corporis et sanguinis tui, ut vires contra tentationes mundi, carnis, ac daemonis mihi praestes. Si tu, Domine, nobiscum et pro nobis, nihil nobis nocere poterit.

Sed libera nos a malo.

O Domine, qui neminem vis perire, sed omnes salvos fieri; mala quoque poenae, per quae in malum

culpae, id est, offensam tui, et jacturam salutis impelli possemus, a nobis auferri petimus! Flagella iracundiae tuae, bella, famem, morbos etc., a nobis clemens averte.

Agnoscimus nos merito haec pati, quia peccavimus in te fratrem, imo patrem nostrum, et jam non sumus digni vocari filii tui.

Attamen propter temetipsum, Domine, et propter nomen tuum, quoniam bonum est, amove a nobis plagas tuas, et omnia mala propitiatus averte; aut saltem fac, ut diligentibus te omnia, etiam mala, cooperentur in bonum.

Hoc fine offero tibi, o Jesu! sacrificium istud, seu Communionem corporis et sanguinis tui, imo temetipsum, velut antidotum omnis mali. Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

FERIA III.

I. *Dirige intentionem.*

O summe ac potentissime Deus! in laudem et gloriam supremae majestatis tuae: in memoriam sanctissimae vitae, passionis ac mortis Jesu Christi, Salvatoris mei: in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis tuis, mihi indigno peccatori, et toti Ecclesiae tuae concessis: in propitiationem pro innumeris peccatis meis, pro salute mea, et proximorum N. N., pro solatio quoque defunctorum N. N. etc., ego indignus peccator sanctissimi corporis et sanguinis Filii tui mysteria recolere, seu recipere cupio. Vere, Domine, in te solo totum est quod satiare possit cordis mei desiderium. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Nonne tu ipse eris merces nostra magna nimis?

II. *Actum elice contritionis.*

Sed et sacrificium spiritus contribulati tibi, mi Domine, una cum sacrificio et sacramento corporis et sanguinis Filii tui, Salvatoris mei, humiliter offero.

Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum, summe bonum, et in me tam beneficum, toties in Sacramento me reficientem, umquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. et N., quae tu nosti, o scrutator cordium! sed et miser ego peccator in amaritudine animae meae dolens confiteor. Utinam numquam offendissem te! sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies: tu qui amore nostri dedisti nobis Unigenitum tuum, ut nos lavaret a peccatis nostris in sanguine suo.

III. *Exerce fidem.*

Equidem credo firmiter, o bone Jesu! et viva fide profiteor, quia tu ipse, Deo Patri aequalis in gloria et potestate, verus Deus et homo, vere et realiter praesens es in hoc Sacramento. Tu enim ipsa veritas dixisti: *Hoc est corpus meum.* Credo quidquid dixit Dei Filius; nihil hoc veritatis verbo verius. Adjuva, Domine, incredulitatem meam, adauge mihi fidem.

IV. *Exerce spem.*

O Christe Jesu! sum quidem ego pulvis, cinis et peccator; sed tu Pater es misericordiarum et Deus totius consolationis. Quis umquam intellexit misericordias tuas? Nonne tu laborantes et oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? ad quem ergo irem? Tu solus verba vitae aeternae habes; tu solus consolaris me in omni tribulatione mea. Sum quidem aeger et infirmus; sed tu es salus mea: non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus. Si solummodo pertransiens curabas omnes, si umbra Petri curabat infirmos; nonne ego confidere debeo, quia, intrante te sub tectum meum, et in me habitante cum plenitudine divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur, cum nihil, te propitio, mihi conscius sim, surgo et vado ad te patrem, medicum et refugium meum, sperans quod haec Communio futura mihi sit fidei,

spei et caritatis augmentum, contra insidias inimicorum meorum firmissima tuitio, turpium cogitationum effugatio, hujus defectus et vitii N. exterminatio, operum tibi placentium, et praesertim hujus virtutis N., salubris efficacia, et tandem pignus futurae gloriae. Reposita est haec spes mea in sinu meo, quia miserator et clemens es tu, et in promissis fidelissimus.

V. *Exerce caritatem.*

O dulcissime Salvator, Christe Jesu! quanta fuit tui vis amoris, quae te traxit e sinu Patris in hanc lacrymarum vallem, ut humanam carnem assumeres, infinitas miserias, injurias, imo crucem mortemque subires: idque solum propter miseros nos homines et propter nostram salutem!

O quantus amor! Damnare nos poteras, et salvare maluisti! Nos rei eramus, et tu innocens subis supplicium, ut reos liberes!

Ex amore itàque ad nos in carnem venisti, et demum abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris hoc Sacramentum nobis reliquisti, ut modo prorsus novo et mirabili semper maneres nobiscum, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum.

O Domine! quantum dignus es amari, qui tanta facis amore nostri! Diligam itaque te, Domine, fortitudo mea, refugium meum, et liberator meus.

O Deus caritas! qui in caritate manet, in te manet. Cupio te suscipere in hoc Sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit a caritate Christi, Salvatoris mei? Utinam hoc nec vita, nec mors, nec ulla fortunae sors, aut ulla creatura valeat!

VI. *Exerce humilitatem.*

Sed quomodo audeo accedere ad te? Nonne tu, o Deus, dominus, creator ac redemptor meus, rex coeli et terrae? Et quis ego? vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis, et quod indignius est, toties erga te inobediens et ingratus peccator. Vere, Domine, non sum dignus,

ut intres sub tectum meum; sed memento, Domine, quia cum esses Dominus omnium, assumpta servi forma, venisti ad nos, et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus. Denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias; sed clementer ad me venias, aut venientem ad te benigne suscipias.

VII. *Postula gratiam.*

O Pater aeterne! per merita Filii tui concede mihi gratiam digne celebrandi Missam, et recipiendi non solum Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. Offero tibi humilitatem et sanctitatem gloriosae semper Virginis Mariae, fervorem et devotionem omnium sanctorum, ut illorum merita suppleant quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Jesu, propitius esto mihi peccatori, et sacris mysteriis corporis et sanguinis tui fac me ita digne semper uti, ut copiosum inde fructum et robur contra omnes mundi, carnis ac daemonis insidias consequar; vitia et haec N. maxime fugiam; virtutes vero statui meo maxime necessarias, velut caritatem, humilitatem, puritatem etc., diligentius exerceam, et fidelius tibi in dies servire studeam.

Spiritus sancte Deus, adsit mihi virtus tua, quae cor meum clementer expurgans, dignum Christo Domino praeparet in me habitaculum, sicuti fecit in beata Virgine Maria.

O sacratissima Virgo Maria, quae Spiritu sancto cooperante, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti; fac ut ego eum digne in hoc Sacramento recipere et portare valeam, et ut consequar spiritum hujus dilecti Filii tui.

O Sancti Dei omnes, et vos praesertim dilecti patroni mei! succurrite mihi, quaeso, precibus vestris apud Deum: ut sic illum nunc in sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre.

FERIA IV.

O dulcissime Salvator, Christe Jesu! *adoro te* in toto corde meo, et *gratias* ago tibi ex intimis visceribus animae meae, quod tanta caritate nos misere perditos redemeris pretio sanguinis tui; et in hujus amoris tui memoriam, necnon in pignus futurae gloriae, tam admirabili potentia, sapientia et bonitate, dederis nobis in cibum et potum ipsum corpus et sanguinem tuum. Denique ad haec divina mysteria, me vilissimum peccatorem in numerum servorum tuorum (sacerdotum) tua ineffabili clementia vocare dignatus sis.

Sed heu, infelix ego homo! qui hactenus tam indigne vocatione mea vixi, et toties, et tam graviter te *Deum* meum offendi peccatis meis (praesertim his N.). At nunc de iis *doleo* ex intimo corde meo, ob *amorem tui* super omnia; et deinceps tibi soli servire, placere, et adhaerere propono.

Proindeque nunc accedens ad mensam convivii tui, ex omni affectu cordis mei dignissimam hostiam corporis et sanguinis tui, quam tu ipse semel pro nobis in ara crucis obtulisti, pura et simplici intentione *offero* ad laudem et gloriam aeternae majestatis tuae, in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis tuae.

In gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis, toti coetui electorum, et mihi, licet indignissimo, huc usque praestitis, vel umquam praestandis: in propitiationem peccatorum: pro salute quoque fidelium vivorum N. N. et solatio defunctorum N. N.

Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu jam regnantium in coelis, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande pietatis opus peragere possem!

Corde siquidem *credo*, mi Jesu, et ore confiteor, quia Pater aeternus, *Deus* seipso summe beatus, potens, perfectus, et nullius egens, secundum infinitam misericordiam suam, sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret salvatorem.

Credo quoque, quod tu ipse Patri aequalis per omnia, ex vi immensae caritatis tuae, de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, et propter nos homines *homo factus es*.

Credo, quod ex amore nostri hoc Sacramentum in ultima coena instituens, verum corpus et sanguinem tuum, id est teipsum, nobis ad manducandum dedisti, et denique, Patri tuo factus obediens usque ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

Ideoque *spero* in te, et magna fiducia venio ad te, o Domine, qui nostri causa tam mira facere, et dira pati voluisti! Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares?

Amo te quoque, o bone Jesu! ex tota virtute cordis mei; et semper deinceps, et in aeternum amabo, si tu dederis.

Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, et pro omnibus quae retribuisti mihi? Ecce *abnego* memetipsum, et totum me, id est, corpus, animam, et omnia mea in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae plene resigno.

Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur factori suo? Quid vilis creatura, vermis terrae, miser peccator, servus inutilis praestare poterit *Deo*, Creatori ac Domino suo?

Agnosco, quia inops et pauper sum ego; ideoque *humilio* me sub potenti manu tua. Tu vero, o Domine Jesu! utpote advocatus et mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam.

Et ex thesauro immensae caritatis tuae fer opem inopiae meae: et pretium sanguinis tui, omniumque meritorum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo, et hinc supple omnem defectum meum, praecipue hujus meae, heu! nimis modicae et imperfectae praeparationis, qua ad haec Ss. mysteria venio; ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae.

Fac etiam, o bone Jesu! per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium et admirabile do-

num caritatis tuae, debita semper fide, reverentia et gratitudine prosequar, idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam, statum hunc quoque meum N., ad quem me, ex singulari gratia, vocare dignatus es, caritate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate etc., moribusque tibi placitis, et (sacerdote) fideli servo tuo dignis, excolere studeam: idque, ut servitus mea magis tibi placeat, ad majorem gloriam tuam, Ecclesiae utilitatem, et propriam proximique salutem.

Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem corporis et sanguinis tui abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus, N. N., qui gustum ac fructum hujus sacramenti impediunt, et intime tibi unias et incorpores, ut gustem quam suavis sis, Domine, et unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me, et ego in te maneam; adeoque nihil sit, quod me umquam separare valeat a te. Nam tibi adhaerere, mihi bonum est. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? O pars mea, Deus, in aeternum!

Ad vos quoque, o sancti et amici Dei! supplex confugio. Te inprimis, o sancta Dei Mater, Virgo, et Patrona mea, quae, gratia plena, Deum et hominem purissimis visceribus tuis meruisti portare. Et vos, o sancti N. et N. patroni mihi singulariter electi et dilecti, vos modo videtis illum facie ad faciem, et pleno ore manducatis panem illum, quem nos nonnisi per speculum in aenigmate aspicimus, et speciebus velatum accipimus. Utinam, vestro interventu adjutus, hoc coelesti pane et viatico digne saepius reficiar in via, ut tandem vobiscum eo satiari merear in patria! Amen.

FERIA V.

O summa et adoranda Trinitas, una vera et aeterna Deitas, Deus, Creator, Salvator et Gubernator meus, summe potens, sapiens, bonus, justus et misericors! ego creatura tua, quamvis indigna, te laudare, et tibi servire desidero; quia ad laudandum te creatum et

singulari gratia tua vocatum me recognosco. Sed quis tu? Deus ac Dominus omnium, Rex coeli et terrae, magnus et laudabilis nimis; ego vero vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis, et, quod indignius est, toties erga te inobediens et ingratus peccator. Et quomodo ausim venire ad sacrificandum tibi, et confitendum nomini tuo, Domine?

Verum sacrificium tibi gratum est spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Doleo itaque ex toto corde, quod umquam offendi te, o Deus meus, et summum bonum meum! Averte faciem tuam a peccatis meis, et respice in faciem Christi, Filii tui unigeniti; hic est enim dilectus, in quo tibi bene complacuit: quem tantis gratiae donis tam large cumulasti, ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus.

Ego itaque, licet indignus peccator, attamen per gratiam tuam sacerdos et servus tuus, offero tibi, o summe Deus! sacrificium corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi: idque facere summopere desidero ex omni affectu, fervore et desiderio, quo illud umquam obtulerunt sancti tecum nunc gaudentes in coelo, aut offerunt pii etiamnum viventes in terra.

In unione quoque immensae illius caritatis, qua sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum nobis dares: in unione amoris, quo *ipse* de sinu tuo venit in uterum Virginis, *et homo factus est:* in unione sacrificii admirabilis, quod idem Unigenitus tuus, in ultima coena, coram discipulis suis instituit, et tandem in cruce moriens consummavit.

Et simul offero tibi pretium sanguinis ejus, cunctosque labores, dolores et omnem thesaurum caritatis ejus. Merita quoque beatissimae Matris ejus, omnem fidem, spem et caritatem justorum; omnem humilitatem et mortificationem vere poenitentium; omnes gratiarum actiones et laudes; quas tibi universa Ecclesia, tum militans in terris, tum triumphans in gloria persolvit.

Et primo quidem illud offero ad summam divinae et aeternae majestatis tuae gloriam, cultum et adorationem, tibi, velut supremo Deo, Domino, ac rerum omnium auctori debitam: in honorem quoque et commemorationem sacratissimae humanitatis, incarnationis, nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis Domini nostri Jesu Christi.

Deinde offero tibi hoc sacrificium in gratiarum actionem pro tam admirandis donis et charismatibus Ss. humanitati Filii tui Jesu Christi collatis: et pro pietate illa magna nimis, qua illum nobis in patrem ac magistrum, advocatum ac mediatorem dedisti: pro innumeris gratiae donis et virtutibus, quibus ornasti B. Virginem Filii tui matrem, sanctos angelos, et omnes electos tuos, et inter ceteros sanctum N. vel sanctos N. N. quorum hodie festum seu memoriam celebrat Ecclesia: item pro omnibus beneficiis tuis et auxiliis gratiae, toti congregationi fidelium tuorum, in genere, vel in specie collatis; et iis maxime quibus praedestinatos praevenis et prosequeris, eosque efficaciter in finem suum dirigis.

Peculiares quoque gratias per hanc gratissimam oblationem Filii tui ago tibi pro omnibus beneficiis tuis, mihi a principio vitae meae in hanc usque horam tam liberaliter praestitis; praecipue vero, quod me indignum peccatorem, nullo meo merito, solo beneplacito bonitatis tuae, ad hoc officium sacerdotale, ipsis etiam angelis venerabile, ad haec, inquam, sacrosancta mysteria corporis et sanguinis Filii tui tractanda et dispensanda, inter ministros tuos assumere dignatus fueris, ad laudem et gloriam nominis tui, et ad fidelis populi salutem.

Praeterea, quia Filius tuus est propitiatio pro peccatis nostris et totius mundi, offero etiam tibi, o summe Deus! hoc sacrificium in expiationem peccatorum, et satisfactionem pro injuriis, contumeliis, blasphemiis et peccatis omnibus, quae passim in toto mundo fiunt contra gloriam nominis tui, heu! quam multa et gravia! Sed major est apud te misericordia,

et copiosa apud Filium tuum redemptio; imo copiosior omnibus mundi criminibus satisfactio ejus. En sanguis Filii tui clamat ad te de terra, utique non vindictam, sed veniam. Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemit Filius tuus sanguine suo.

Denique, quia in hoc sacrificio ipsum omnis gratiae fontem, et omnis terrae salutis auctorem tractamus, offero tibi hoc sacrificium Filii tui, ut per ejus sanguinem et nomen potentes impetremus quod nostris meritis non valemus.

Propter hunc itaque respice Ecclesiam sponsam ejus, eamque tibi sine macula et ruga speciosam exhibe: fidem, spem et caritatem ei adauge. Persecutorum et hostium ejus contere superbiam. Populis a fide alienis veritatis tuae lucem infunde, eosque adduc in ovile tuum, ne pereant tot animae ad imaginem tuam creatae, et sanguine Filii tui redemptae.

Provide Ecclesiae tuae praesules et pastores fideles, seu operarios strenuos et irreprehensibiles, qui sollicite vigilent in custodia gregis sibi commissi: et exemplo Filii tui, summi pastoris, etiam non dubitent animas suas ponere pro ovibus suis.

Da universis quos in clerum, seu religiosae vitae statum vocare dignatus es, morum ac vitae sanctimoniam: zelum pro honore tuo et proximorum salute in eis accende, ut fideles inveniantur ministri tui, et dispensatores mysteriorum Dei.

Supplico tibi etiam, o Rex regum! pro regibus, principibus et magistratibus christianis, ut des eis pacem et concordiam, zelum et amorem justitiae, fidelem subditorum curam, in fide et Ecclesia tuenda constantiam.

Respice propitius super omnes ecclesiasticas et regulares congregationes, et omnia membra Ecclesiae et politiae clemens protege: ut, qua quisque vocatione vocatus est, in ea tibi digne et laudabiliter serviat. Da justis perseverantiam, proficientibus fervorem, sed praecipue peccatoribus poenitentiam. Tu enim non de-

lectaris in perditione morientium, sed ut mortui viverent, Filium tuum mori voluisti. Trahe ergo ad te peccatores funiculis caritatis tuae; nec enim venire poterunt, nisi caritas tua traxerit illos.

Exaudi, o clemens! eorum inprimis vota et desideria, quorum mihi cura singulariter incumbit, velut parentum, cognatorum, amicorum, benefactorum, et praesertim eorum quorum animae mihi commendatae sunt, et de quibus aliquando rationem exiges a me. Dirige omnes, quaeso, in viam salutis aeternae, ut, te donante, tibi placita cupiant, et tota virtute perficiant.

Intuere omnes tentatos, aegros, in angustiis et periculis positos: esto benignus consolator afflictorum, et pater pupillorum, clemens quoque vindex viduarum, et protector omnium fidelium christianorum. Quia ad te sunt oculi omnium, miserearis eorum. Inimicis quoque nostris parce, Domine: fac, ut ament te super omnia, et proximos propter te.

Respice quoque ad animas in purgatorio detentas (N. et N. quibus tu scis me magis obligatum). Sit illis plenum refrigerium per hoc magnum salutis nostrae pretium, id est, sanguinem Filii tui, cujus una guttula cuncta totius mundi sufficiens est expiare delicta.

Ecce, Domine, quia voluisti me fungi sacerdotio, pro his omnibus legatione fungor ad te: omnes a me exspectant elevationem manuum mearum, sacrificium hoc incruentum: quod utinam dirigatur sicut incensum in conspectu tuo!

Verum, o Domine! quia sum ipse circumdatus infirmitate, quomodo laudabo te, cum non sit speciosa laus in ore peccatoris? aut quomodo pro alienis peccatis peto veniam, qui de propriis non sum securus? Ecce itaque unicus advocatus et mediator noster, qui et condigne laudet te, et interpellet pro nobis, Filius tuus. Ille enim nobis sacerdos et hostia, offerens et oblatio: ille agnus innocens, in quo macula non est, nec dolus inventus est in ore ejus. Ille clamans ad te meretur exaudiri pro reverentia sua. Ille infinitum

tibi thesaurum et pretium exhibet, pro votis, necessitatibus, angustiis et periculis omnium, pro quibus ipse tibi factus est obediens usque ad mortem, et velut pastor bonus posuit animam suam.

Per eum itaque da mihi, ut hunc statum, ad quem me vocare dignatus es, virtutibus illi debitis ac necessariis, velut caritate, zelo, castitate, mansuetudine, humilitate etc., diligenter excolam. Tu me fac qualem me tibi vis habere ministrum. Juva, Domine, et quod vis jube. Quis enim mundum ex immundo faciet? nonne tu, qui ex nihilo facis omnia? Ideoque rogo te, Domine, ex intimo corde meo, ut per virtutem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi jungas et incorpores me illi intime, ut unus cum ipso efficiar spiritus; ut illi in me, et ego in ipso maneam; nec quidquam sit, quod me nunc, aut in aeternum, separare queat a caritate quae est in Christo Jesu Domino nostro. Amen.

FERIA VI.

I. Memoria memor ero, clementissime Pater, et tabescet in me anima mea; omniumque dolorum et passionum, atque acerbissimae mortis Filii tui Domini mei Jesu Christi cum gemitibus et lacrymis recordabor, quia ipse salus et vita mea ante oculos tuos pependit in ligno, offerens se tibi in holocaustum pro mea et totius mundi salute. Hanc autem oblationem vivam, quam tu misisti in miseratione multa ad altare crucis immolandam pro nobis, hanc eamdem tibi nunc offero, passionem ejus et mortem recolens ac repraesentans: sicut ipse praecepit, cum dixit, ut idem in ejus commemorationem faceremus. Recordare itaque humilitatis ejus, patientiae, caritatis, mansuetudinis et obedientiae. Respice labores ejus, jejunia, contemptus, contumelias, vincula, irrisiones et iniquam condemnationem. Respice in faciem Christi tui, et intuere speciosum forma prae filiis hominum opprobriis, injuriis, verberibus, livoribus, contusionibus ita

deformatum, ut non sit ei species neque decor. Vide caput nobilissimum spinarum punctionibus transfossum, et percussionibus attritum. Vide genas modestissimas sputis foedatas, alapis caesas, sanguine cruentatas. Vide oculos benignissimos lacrymis perfusos et ad ignominiam velatos. Vide os suavissimum siti ardentissima cruciatum, et felle atque aceto potatum. Vide dorsum, supra quod fabricaverunt peccatores, verberibus dilaniatum, et humeros crucis pondere oppressos. Vide brachia amabilissima funibus devincta, et in cruce crudeliter extensa. Vide manus innocentissimas dirissimis clavis perforatas. Vide pedes delicatos tot itineribus defatigatos, ac cruci tandem affixos. Vide corpus venerabile pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum et sepultum. Vide sanguinem pretiosissimum usque ad minimam guttam pro nostra salute misericorditer effusum. Haec enim tibi offero et repraesento, omni quo possum devotionis affectu suppliciter orans, ut ipsa pietas, qua Filium tuum pro nobis tradidisti, te omnibus misereri compellat, pro quibus ille, factus obediens usque ad mortem, crucem subire dignatus est. Amen.

II. Quae lingua, aut quae mens tibi digne gratias agere valet, dulcissime Domine Jesu, pro ineffabili tua in nos caritate, qui ut hominem perditum redimeres, homo fieri dignatus es, omnesque nostrae conditionis miserias in te recipere; denique in ara crucis, agnus omnis expers maculae, hostia pro nobis fieri sustinuisti, poenas peccatis nostris debitas exsolvens, ut nos Deo reconciliares? Quin et vivens et moriens te totum nobis impendisti, donasti, dedicasti. Nec his contenta fuit tua benignitas; sed ne quando obreperet tantae caritatis oblivio, aut ne languesceret nostra de te fiducia, etiam nunc in coelis regnans subinde reficis animas nostras cibo corporis tui, et sacro sanguinis tui poculo exhilaras. Purificet, quaeso, spiritus tuus cor meum, ne ad coelestes epulas, et ad mensam etiam angelis tremendam accedam indigne; sed, te

diffuso in mentis meae viscera, crescam in te, ac spirituali vegetior fiam incremento, quo perseverem in beata societate mystici corporis tui, quod sic unum tecum esse voluisti, quemadmodum tu cum Patre unus es, conglutinante Spiritu sancto, cui laus et gratiarum actio in omne aevum. Amen.

III. Obsecro te, Domine Jesu Christe, ut passio tua (cujus modo memoriam facturus sum) sit mihi virtus, qua muniar, protegar et defendar. Vulnera tua sint mihi cibus et potus, quibus pascar, inebrier et delecter. Aspersio sanguinis tui sit omnium peccatorum meorum ablutio. Mors tua sit mihi vita indeficiens. Crux tua sit mihi gloria sempiterna, resurrectio et auxilium, sanitas et gaudium, desiderium et solatium cordis mei, nunc et in perpetuum. Amen.

Benignissime ac optime Jesu Christe, suscipe hanc oblationem meam in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui sanctissimi corporis sustinuisti, et miserere mei famuli tui: et omnibus peccatoribus, cunctisque fidelibus, tam vivis quam defunctis, da misericordiam, gratiam, remissionem et vitam aeternam. Amen.

IV. Sanctissime et adorande Spiritus, sine tuo numine nihil est in homine; ex te enim omnis sufficientia nostra: sine te nihil boni facere, nec statu aut vocatione nostra fungi possumus. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum; salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Sanctus sum dono fidei et gratiae, quo me in baptismo sanctificasti. Sanctus quoque sum munere sacerdotali, quo me fungi voluisti; id enim sanctum est. Ut autem ei digne respondeam, sanctus esse debeo, id est, segregatus a terrenis, purus, castus, multis gratiae dotibus et virtutibus conspicuus. Sed quis sanctum et mundum faciet de immundo conceptum semine? Tu utique, o Deus sanctificator, qui es Sanctus sanctorum, a quo omnis sanctificatio nostra. Cor ergo mundum in me crea, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

V. O intemerata et in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo, Dei genitrix Maria, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, janua regni coelorum, per quam, post Deum, totus vivit orbis terrarum! Inclina, mater misericordiae, aures tuae bonitatis indignis supplicationibus meis, et esto mihi miserrimo peccatori pia et propitia in omnibus auxiliatrix, et in hac praesertim hora, qua dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, aeterno Patri oblaturus sum: ut nempe eum digne et acceptabiliter offerre valeam. Amen.

VI. Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori angelorum, archangelorum, patriarcharum et prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, confessorum, sacerdotum, levitarum, monachorum, virginum, omniumque justorum: per illum, qui vos elegit, et de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare praesumo, ut pro me culpabili et indigno ministro, ipsi Deo supplicare dignemini: quatenus emittat manum suam de excelso habitaculo suo, et confirmet me ad propositum ministerium suum, ut inculpate tremendo altari suo adstans, incruentum sacrificium peragam, et fidelium ac bonorum dispensatorum mercedem accipiam in die terribili justae suae retributionis. Amen.

SABBATO.

EX TRACTATU VEN. CARD. JOANNIS BONA DE SACRIFICIO MISSAE.

Oratio ad Deum Patrem.

Respice, clementissime Pater, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo, et intuere hanc immaculatam hostiam quam tibi offert magnus Pontifex noster Jesus Christus, Filius tuus, salvator mundi, pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae, quia vox sanguinis Domini nostri clamat ad te de cruce. Hic est justitia mea, et sanctificatio, ac propitiatio mea. Averte faciem

tuam a peccatis meis, et respice in faciem Christi tui; ejus enim meritum offero ad te, omnemque fiduciam in eo defixam habeo. Impellit ministrandi necessitas, terret conscientia indebiti sacerdotii; sed rogo te, ne despicias mihi creditae dispensationis officium, licet in me boni operis testimonium non agnoscas. Et quia me indignum mediatorem esse voluisti inter te et populum tuum, ne me repellas a tua pietate cum divinissimis donis tuis venientem ad te, ut inculpate accedens ad gloriam tuam, dignus sim qui operiar protectione unigeniti Filii tui, et illuminatione Spiritus sancti tui, atque pro omnibus deprecans, pro omnibus exaudiar, te praestante, Deus meus, Pater misericordiarum, qui cum eodem Filio tuo in unitate ejusdem Spiritus sancti vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Dominum Jesum Christum.

Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro ineffabili tua caritate, qua transiturus de hoc mundo ad Patrem, mensam mihi parasti in dulcedine tua, mensam prorsus regalem, omne delectamentum in se habentem, mensam pretiosissimam corporis et sanguinis tui, ut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et secreto illapsu nutritionis tuae roboretur infirmitas mea. Et unde hoc mihi, gloriosissime Fili Dei, ut me permittas venire ad te, et cum ceteris commensalibus tuis epulari? Atque utinam ab omni culpa liber, purus ab omni labe, ab omni vitio purgatus, et ab omni inordinata affectione perfecte emendatus essem, ut ad hanc mensam supercoelestem accedere possem, fervens caritate, niveus innocentia, et omnium virtutum decore exornatus! Sed quia miserrimus ego sum, et omni ornamento destitutus, obsecro te inprimis, benignissime Salvator, cujus caritas immensa est, bonitas infinita, ut sanguine tuo animam meam lavare, et super nivem dealbare, meritis tuis induere, illoque igne ardentissimi amoris succendere digneris, qui te

a nobis discessurum compulit ad hoc vivificum convivium instituendum. Obsecro deinde beatissimam Virginem Matrem tuam, et omnes electos tuos, ut tibi pro me offerant caritatem, fidem et devotionem, qua hoc Sacramentum susceperunt, ab initio institutionis ejus usque in praesentem diem. Et quia particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium sacerdotum, omniumque fidelium hac die celebrantium et communicantium pietatem et puritatem. Offero omnium justorum, ab origine mundi usque ad ejus consummationem, virtutes et merita, ac pios affectus erga te, dulcissime Jesu, in venerabili Sacramento existentem: firmissimae nimirum fidei, et vivae apprehensionis earum rerum, quae de hoc maximo mysterio credendae sunt; perfectissimae caritatis, et intimae tecum familiaritatis; famis et flagrantissimi desiderii te, omne bonum, suscipiendi; filialis fiduciae et spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata; zeli divinae gloriae et dilectionis proximi, pro cujus salute hoc sacrificium offertur; admirationis tantae dignationis, et profundissimae humilitatis; gaudii et jubili in te et de te; laudis, gratitudinis, adorationis et devotionis. Hos, inquam, aliosque affectus offero tibi in supplementum insufficientiae meae, et eos, si possem, elicerem cum maxima intentione ad laudem et gloriam tuam, quia dignus es. Suscipe, Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum tuorum, ne a mensa tua repellas me; quatenus hoc cibo satiatus, hoc recreatus potu, vitam habeam, et abundantius habeam, hic et in aeternum. Amen.

Oratio ad Spiritum sanctum.

Veni, sancte Spiritus, amor Patris et Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, moerentium consolator, fulgor intellectus, et vindex libertatis. Veni e patria felicitatis, et cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia et defectus tuo igne consumas, et omnia peccata mea

remittas. Emitte in animam meam lucis tuae radium, quo illuminante intellectum, quae tibi sunt placita videam: quo affectum inflammante, ad ea prosequenda tota virtute incumbam. Fac me dignum sacris altaribus ministrum, meque torrente tuae voluptatis inebria, ut coelesti suavitate in hac divinissima mensa degustata, nihil venenatae mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Imbuat me, et perficiat septiformis Spiritus tuus, et ad illum scientiae gradum fac me pertingere, ad quem pervenit Apostolus tuus, cum dicebat, *se nihil scire, nisi Christum, et hunc crucifixum.* Roboretur infirmitas mea fortitudine tua; vincat bonitas tua malitiam meam, et deformitas mea tua pulchritudine decoretur. Sursum erige me per aeternorum affectionem, copula tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perseverantiam: ut tuo ductu revolet anima mea ad te principium et finem suum, a quo numquam separetur. Amen.

Oratio ad beatam Virginem.

Gloriosissima Mater Dei, Virgo Maria, tota fiducia mea, et unicum solatium languentis animae meae: precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui corpus et sanguinem aeterno Patri oblaturus sum; sicut amans et dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti, et se pro nostra salute offerenti, astitisti. Ne me despicias, Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem; neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit. Plena es gratiarum, plena rore coelesti, innixa super dilectum tuum, deliciis affluens. Ciba ergo pauperem tuum de supereffluenti mensa tua: tuarumque virtutum vestibus indue me, ut his ornatus, divino conspectui gratus appaream. Memento illius caritatis, qua Verbum Dei ex te carnem assumpsit, ut fieres mater nostra. Aperi manum tuam, et imple me benedictionibus, quibus te Deus bene-

dixit in aeternum, ut, te interveniente, tremenda mysteria acceptabiliter perficere, et sancta sanctorum digne merear degustare.

Oratio ad sanctos Angelos.

Sancti Angeli, purissimi spiritus, ministri Dei altissimi, qui facitis voluntatem ejus, et orantium preces in coelum defertis: tuque praecipue, fidelissime custos meus: state mecum juxta aram, in qua Deo Patri totius mundi pretium oblaturus sum, et in vestris thuribulis incensum orationum mearum suscipite, ut fumus aromatum hujus divini sacrificii ascendat per manus vestras in conspectu Dei. Purgate, illuminate, perficite, et dirigite me, vestramque puritatem et innocentiam impetrate mihi, ut appaream coram Deo decenter ornatus.

Sancti Archangeli, duces illustrissimi militiae coelestis, instruite me, ut haec sancta mysteria percipiam; fidemque vivam et efficacem hujus Sacramenti in me excitate.

Altissimi Principatus, vera pace interna animam meam componite, ut in ea jugiter commoretur Dominus, de quo scriptum est: *Et factus est in pace locus ejus.*

Sanctissimae Virtutes, assistite mihi, ut, proficiens de virtute in virtutem, Deum deorum dignus sim oculo fidei cernere et manibus contrectare, intus recipere, ac tandem in patria clare vobiscum intueri.

Invictissimae Potestates, daemonum impetus cohibete, ne mihi appropinquent sacrificanti: ut sine impedimento digne merear Deo servire et ministrare.

Potentissimae Dominationes, veram mihi et sanctam libertatem obtinete, ut nec peccato serviam, nec corporis mei appetitui et sensibus subdar.

Throni stabiles et sublimes, sedes pulcherrimae Dei, discam a vobis humilitatem et subjectionem: ut fiat anima mea gratissimum domicilium Deo, qui superbis resistit, et super humilem et quietum requiescit.

Clarissima et nobilissima coeli lumina, Cherubim,

illustrate mentem meam plenitudine scientiae: ut summam vilitatem meam, hujusque sacrificii infinitam excellentiam agnoscam.

Supremi spiritus Seraphim, ardentissimi amatores Dei, solvite gelu cordis mei, et vestrum in eo ignem succendite, ut Deum vobiscum ardenter amem, atque utinam sicut vos.

Invocatio omnium Sanctorum.

Sancti Dei omnes, cives supernae patriae, inclinate aures vestras, et dimittite lumina ad me, meamque orationem exaudite. Ad vos clamo pauper, nudus et infirmus, cui omnia desunt ornamenta virtutum; ad vos clamo, et vestram imploro benignitatem: succurrite infirmitati meae; fidem meam et spem roborate; excitate in me igniculum amoris vestri; induite me veste nuptiali; ornate me donis, quibus abundatis, ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelestis convivii, in conspectu divinae Majestatis.

Sancti Patriarchae et Prophetae, qui Christum Dominum nostrum dictis prophetastis, et ardentissimis desideriis e coelo ad terram traxistis, hujusque Sacramenti mysteria variis typis et umbris praefigurastis: preces fundite pro me, ut ipsum Dei Filium sancte tractare possim, et puro corde complecti.

Sancti Apostoli, quos Christus in ultima coena novi Testamenti sacerdotes creavit, ac primum seipso cibavit: vos suplex exoro, ut, vestra adjutus ope, gratiam non negligam per manuum impositionem mihi collatam, sed magno quotidie augeam incremento.

Sancti Martyres, qui Christo regi pro nobis crucifixo vicem quam potuistis, vitae oblatione per martyrium rependistis: ipsum pro me orate, ut ignem sui amoris accendat in corde meo, quo succensus et purificatus, meipsum mactem Deo hostiam vivam et ei placentem; sicque paratus et probatus ad hoc divinum sacrificium accedam.

Sancti Pontifices et Confessores, mysteriorum Dei fidelissimi dispensatores, qui hostiam placationis frequenter pro populo obtulistis: pro me, obsecro, intercedite, ut meum quod oblaturus sum sacrificium, Deo sit acceptabile, mihique et omnibus pro quibus illud offeram, propitiabile.

Sancti Monachi et Eremitae, qui cibo potuque coelesti saepius refecti, pravas concupiscentias et vitae hujus pericula superastis: adjuvate me orationibus vestris, ut, sacris hisce mysteriis armatus, meipsum vincam, et omnes inimicos animae meae conteram sub pedibus meis.

Sanctae Virgines Deo amabiles, quae studio castitatis dignum in vobis Filio Dei habitaculum praeparastis, et nunc in coelo canticum novum concinitis, quod nemo potest dicere, nisi fuerit virginitatis praerogativa eximius: impetrate mihi perfectissimam castitatem, qua corpus et animam in omni puritate contineam, ut Christo Domino, qui pascitur inter lilia, gratum in corde meo exhibeam domicilium.

Sancti mei tutelares N. N., et vos sancti N. N., quorum hodie memoriam veneramur, vestro confisus patrocinio accedo nunc ad immolandum corpus et sanguinem Jesu Christi Domini nostri: comitamini me euntem ad altare, fulcite meritis vestris, ornate virtutibus, ut hoc sacrificium viva fide, ferventi caritate, et plena devotione perficiam, perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

PARS QUARTA.

ORDO ET RITUS

SERVANDUS

IN CELEBRATIONE MISSAE.

NOTANDA.

Duo sunt in rubricis Missalis Romani fontes, ex quibus caeremoniae ac liturgicae actiones in Ss. Missae sacrificio peragendae dignosci queunt: unus scilicet qui inscribitur „Ritus servandus in celebratione Missae," in capite Missalis post rubricas generales positus; et alter cui titulus „Ordo Missae," in medio Missalis post functiones Sabbati sancti situs: primus latior, alter pressior, uterque tamen uti una atque certa et inviolabilis regula tam pro privata quam pro solemni Missa habendus. Licet enim quandoque unus ab altero aliquantulum discrepare videatur, hujus apparentis discrepantiae ratio in brevitate rubricarum „Ordinis Missae" quaerenda est, haeque per ampliores regulas in capite Missalis positas explicandae ac illustrandae sunt. Sacra etenim Rituum Congregatio die 21. Mart. 1744 in u. Bergom. ad dubium 5: *„Cum in Missali ultra primam in principio detur et altera rubrica in Ordine et Canone Missae, et inter has videatur aliqua discrepantia, praecipue in inclinationibus et manuum junctione, quaeritur: quaenam sequenda?"* haec declaravit et sancivit: *„Pari forma sequendas esse tum rubricas generales tum particulares Missalis Romani ad caeremonias in inclinationibus et manuum junctione rite peragendas."* Quare in nostro Manuali utriusque fontis regulas ita jungendas esse duximus, ut pro textu illum adhiberemus, qui inscribitur „Ritus servandus in celebratione Missae," longe uberiores et enucleatiores regulas exhibens; huic tamen quandoque unum al-

terumve verbum ex rubricis „Ordinis Missae" interponeremus, quo aliqua regula illustrari aut strictius circumscribi videbatur.

Tradimus autem primo loco omnes Rubricas, quae ad Missam privatam Sacerdotis spectant; rubricis vero, ne nudae regulae fastidium creent, ipsa sacra Liturgiae verba aptis locis inserimus. Hujus Liturgiae formulam, quoad stabilem ejusdem partem, ex „Ordine Missae," reliqua autem ex Missa de Ss. Trinitate deprompsimus. Accedunt Excerpta quaedam ex Rubricis Generalibus Missalis, ad ritum Missae privatae celebrandae pertinentia. Sequuntur omnia S. Rituum Congregationis decreta eodem spectantia, Summarium quoddam Caeremoniarum, denique Missalis Romani Rubricae de Defectibus circa Missam occurrentibus.

Altero loco Rubricas Missalis de Missa solemni tradimus, quae pariter sive sub titulo: „Ritus servandus in celebratione Missae," sive in „Ordine Missae" continentur. Quum enim non pauci sacerdotes et majores ministri prorsus nescire videantur, quod Rubricae Missalis etiam pro Missa solemni non minus firmas, certasque leges exhibeant, quam pro privata, in illa multas caeremonias pro arbitrio, ineptoque modo facere non dubitant. Quae opinio ne ulterius serpat, istas Rubricas integras et ad verbum recensere, easque omnibus S. Rituum Congregationis decretis huc spectantibus illustrare necessarium duximus.

RITUS CELEBRANDAE MISSAE PRIVATAE.

I. DE PRAEPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATURI.

1. *Sacerdos celebraturus Missam, praevia confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, et orationes superius positas*[1] *pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in sacristia vel alibi praeparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur: accipit missale, perquirit missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea quae*

[1]) Vide pag. 187. 199.

dicturus est. Postea lavat manus, dicens sequentem orationem:

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Deinde praeparat calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata, ab episcopo consecratus): super ejus os ponit purificatorium mundum, et super illud patenam cum hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea, tum velo serico; super velo ponit bursam coloris paramentorum, intus habentem corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum.

2. *Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta, quae non debent esse lacera aut scissa, sed integra, et decenter munda ac pulchra, et ab episcopo itidem, vel alio facultatem habente benedicta: ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus: quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit praelatus saecularis, supra rochettum; si sit praelatus regularis, vel alius sacerdos saecularis, supra superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula singulas orationes inferius positas.*

3. *Ac primum accipiens amictum circa extremitates et cordulas, osculatur illud in medio, ubi est crux, et ponit super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens, ducit cordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum, ante pectus reducit et ligat. Dum ponit amictum super caput, dicat:*

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Tum alba induitur, caput submittens, deinde manicam dextram brachio dextro, et sinistram sinistro imponens. Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, et a lateribus hinc inde, et, cum ea induitur, dicit:

Dealba me, Domine, et munda cor meum: ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Et cingulo per ministrum a tergo sibi porrecto se cingit, dicens:

Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Minister elevat albam super cingulum circumcirca, ut honeste dependeat, et tegat vestes; ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter supra terram aequaliter fluat.
Sacerdos accipit manipulum, osculatur crucem in medio, et imponit brachio sinistro, dicens:

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Deinde ambabus manibus accipiens stolam, simili modo deosculatur, et imponit medium ejus collo; ac transversando eam ante pectus in modum crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dextram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem stolae extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit. Dum stola imponitur collo, dicit:

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis; et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

4. *Postremo sacerdos accipit planetam, seu casulam; quam cum assumit, dicit:*

Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est, et onus meum leve: fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

II. DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

1. *Sacerdos, omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra calicem, ut supra praeparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextera super calice tenens: et facta reverentia cruci, vel imagini illi, quae in sacristia erit, capite cooperto accedit ad altare, ministro cum missali et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint praeparata) praecedente, superpelliceo induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore; si vero contigerit eum transire ante altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam; si ante locum Sacramenti, genuflectat; si ante altare, ubi celebratur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et detecto capite illud adoret, nec ante surgat quam celebrans deposuerit calicem super corporale.*

2. *Cum pervenerit ad altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, et altari, seu imagini Crucifixi desuper positae, profunde inclinat. Si autem in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad medium altaris, ubi ad cornu evangelii sistit calicem, extrahit corporale de bursa, quod extendit in medio altaris, et super illud calicem velo eoopertum collocat, bursam autem ad cornu evangelii. Si in altari paramenta accipit, hoc idem facit, antequam descendat ab altari, ut Missam inchoet.*

3. *Si est consecraturus plures hostias pro*

communione facienda, quae ob quantitatem super patenam manere non possint, locat eas super corporale ante calicem; aut in aliquo calice consecrato, vel vase mundo benedicto, ponit eas retro post calicem, et alia patena seu palla cooperit.

4. *Collocato calice in altari, accedit ad cornu epistolae, missale super cussino aperit, reperit Missam, et signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium altaris, facta primum cruci reverentia, vertens se ad cornu epistolae, descendit post infimum gradum altaris, ut ibi faciat confessionem.*

III. DE PRINCIPIO MISSAE, ET CONFESSIONE FACIENDA.

1. *Sacerdos, cum primum descenderit sub infimum gradum altaris, convertit se ad ipsum altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextro super sinistrum posito in modum crucis (quod semper servatur, quando junguntur manus, praeterquam post consecrationem), detecto capite, facta prius cruci vel altari profunda reverentia, vel si in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.*

2. *Stans igitur Celebrans ante infimum gradum altaris, ut supra, producens manu dextera a fronte ad pectus signum crucis, dicit intelligibili voce:*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni, et simul etiam a ministris.

3. *Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus. In aliis benedictionibus, cum est ad altare, et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit*

eam super altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dexterae, et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum, signum crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis: quod in omni benedictione observatur.

4. *Postquam dixerit:* In nomine Patris etc., *ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam:*

Introibo ad altare Dei.

Minister retro post eum ad sinistram genuflexus, et in Missa solemni ministri hinc inde stantes prosequuntur:

Ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Deinde sacerdos, eodem modo stans, incipit, et prosequitur cum ministro vel ministris alternatim, sequentem psalmum (XLII.) usque ad finem. Cum in fine psalmi dicit: Gloria Patri etc., *caput cruci inclinat.*

S. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

S. repetit Antiph. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Qui psalmus numquam praetermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de tempore a Dominica Passionis inclusive, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive: in quibus semel tantum dicta Antiphona Introibo *cum ministris, ut supra, sacerdos statim dextra manu producens signum crucis a fronte ad pectus, subjungit versum* Adjutorium nostrum etc., *ut infra.*

5. *Repetita Antiphona* Introibo, *dextra manu producens signum crucis a fronte ad pectus, dicit:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde altari se profunde inclinans, junctis manibus, dicit:

Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere *(ter pectus dextra manu percutit, sinistra infra pectus posita, dicens):* mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Et eodem modo stat inclinatus, donec a ministro vel ministris dictum sit:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam.

Sacerdos dicit: Amen, *et erigit se.*

Deinde minister vel ministri repetunt confes-

sionem: et ubi a sacerdote dicebatur vobis fratres, *et* vos fratres, *a ministris aliquantulum conversis ad Celebrantem, dicitur* tibi pater, *et* te pater.

6. *Facta a circumstantibus confessione, Celebrans stans, junctis manibus, facit absolutionem, dicens:*

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Deinde producens manu dextra a fronte ad pectus signum crucis, dicit:

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et stans inclinatus, junctis manibus, prosequitur clara voce:

℣. Deus tu conversus vivificabis nos.
℟. Et plebs tua laetabitur in te.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Et extendens ac jungens manus, clara voce dicit: Oremus. *Et ascendens ad altare, dicit secreto:*

Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IV. DE INTROITU, KYRIE ELEISON, ET GLORIA IN EXCELSIS.

1. *Dum dicit:* Aufer a nobis etc., *Celebrans, junctis manibus, ascendit ad medium altaris; et ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo*

positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulae seu mensae altaris tangant, residuo manuum inter altare et se retento, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito (quae omnia semper observantur, cum manus junctae super altare ponuntur), secreto dicit:

Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum: quorum reliquiae hic sunt, et omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Cum dicit: Quorum reliquiae hic sunt, *osculatur altare in medio, manibus extensis aequaliter hinc inde super eo positis. Quod semper servatur, quando osculatur altare; sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione, sive altaris, sive libri, sive alterius rei, non producitur signum crucis pollice vel manu super id quod osculandum est.*

2. *Osculato altari, accedit ad cornu ejus sinistrum, id est epistolae, ubi stans versus altare, et producens a fronte ad pectus signum crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missae, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit* Gloria Patri, *tenens junctas manus, caput inclinat versus crucem.*

Introitus.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Psalm. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Repetit Introitum usque ad Psalmum, et non signat se, ut prius.

Repetito Introitu, junctis manibus ante pectus, accedit ad medium altaris, ubi, stans versus illud,

similiter manibus junctis, dicit eadem voce alternatim cum ministro:

Kyrie eleison. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Christe eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Kyrie eleison.
Kyrie eleison.

Si minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.

3. *Dicto ultimo* Kyrie eleison, *sacerdos stans in medio altaris, et manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur), voce praedicta incipit, si dicendum sit:* Gloria in excelsis. *Cum dicit* Deo, *jungens manus, caput cruci aliquantulum inclinat; quo erecto, stans, junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit* Adoramus te, Gratias agimus tibi, *et* Jesu Christe, suscipe deprecationem nostram, *et iterum* Jesu Christe, *caput cruci inclinat. Cum dicit in fine* Cum Sancto Spiritu, *seipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens*, in gloria Dei Patris. Amen.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe: Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis: qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram: qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

V. DE ORATIONE.

1. *Dicto hymno* Gloria in excelsis, *vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur altare*

in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis: tum illis ante pectus junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est, per eam partem quae respicit cornu epistolae, et extendens ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce praedicta:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et junctis ut prius manibus, revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque cruci inclinans, dicit: Oremus. *Tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat; quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus, dicit orationem.*

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Cum dicit Per Dominum nostrum, *jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur oratio,* Qui tecum, *vel* Qui vivis, *cum dicit:* In unitate, *jungit manus.*

2. *Cum nominatur nomen Jesus, caput versus crucem inclinat: quod etiam facit, cum nominatur in epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen beatae Mariae, vel sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio; item in ora-*

tione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus crucem.

Si plures orationes sint dicendae, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

3. *Si altare sit ad orientem, versus populum, Celebrans, versa facie ad populum, non vertit humeros ad altare, cum dicturus est* Dominus vobiscum . . . Orate fratres . . . Ite missa est, *vel daturus benedictionem; sed osculato altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum, et dat benedictionem.*

4. *In quatuor temporibus, vel alias, quando dicendae sunt plures orationes cum prophetiis, dicto* Kyrie eleison *in medio altaris, revertitur ad cornu epistolae, ubi stans ante librum, extensis et junctis ante pectus manibus, caput cruci inclinans, dicit:* Oremus. Flectamus genua; *et illico manibus super altare extensis, ut seipsum ad altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eadem voce ministro respondente:* Levate, *manibus extensis dicit orationem ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit prophetias, tenet manus super librum vel altare positas, ut mox dicetur de epistola.*

VI. DE EPISTOLA, GRADUALI, ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

1. *Dictis orationibus, Celebrans, positis super librum vel super altare manibus, ita ut palmae librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit epistolam intelligibili voce, et respondetur a ministro:* Deo gratias. *Et similiter stans eodem modo, prosequitur Graduale,* Alleluia, *et Tractum ac Sequentiam, si dicenda sint.*

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Fratres: gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit

vobiscum. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Graduale.

Benedictus es, Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli, et laudabilis in saecula. Alleluia, alleluia.

℣. Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluia.

Post Septuagesimam, omisso Alleluia, *et Versu sequenti, dicitur*

Tractus.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde confitemur, laudamus, atque benedicimus.

℣. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus.

℣. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in saecula sempiterna, o beata Trinitas.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluia, alleluia.

℣. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluia.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. Alleluia.

Quibus dictis, sacerdos ipsemet, seu minister portat librum missalis ad alteram partem altaris, in cornu evangelii; et dum transit ante medium altaris, caput cruci inclinat, et missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris, et non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.

2. *Locato missali in altari, Celebrans redit ad medium altaris, ibique stans junctis manibus ante*

pectus, levatisque ad Deum oculis, et statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit secreto:

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Et:* Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

Quibus dictis, vadit ad librum missalis, ubi stans versus illum, junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde pollice dextrae manus signo crucis signat primo librum super principio evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore et pectore, dicens:

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. (*vel* Initium sancti Evangelii secundum N.)

℟. Gloria tibi, Domine.

Tum, junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed haec locutus sum vobis: ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis.

Quo finito, minister, stans in cornu epistolae post infimum gradum altaris, respondet:

Laus tibi, Christe.

Et sacerdos, elevans parumper librum, osculatur principium evangelii, dicens:

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta: *praeterquam in Missis Defunctorum. Cum autem nominatur Jesus, caput versus librum inclinat, et eodem modo versus librum genuflectit, cum in evangelio est genuflectendum.*

3. *Dicto evangelio, stans in medio altaris versus crucem, elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit)* Credo. *Cum dicit:* In unum Deum, *jungit manus, et caput cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem, junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit:* Jesum Christum, *caput cruci inclinat. Cum dicit:* Et incarnatus est, *usque ad:* Et homo factus est *inclusive, genuflectit. Cum dicit:* Simul adoratur, *caput cruci inclinat. Cum dicit:* Et vitam venturi saeculi. Amen, *producit sibi manu dextra signum crucis a fronte ad pectus.*

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et

apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

VII. DE OFFERTORIO ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

1. *Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post evangelium, Celebrans osculatur altare in medio; et junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dexteram (ut dictum est supra) vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus, dicit:*

℣. Dominus vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo.

Et junctis manibus, revertitur per eamdem viam ad medium altaris, ubi, extendens et jungens manus, caputque cruci inclinans, dicit: Oremus. *Tum junctis ut prius manibus, dicit Offertorium; et omnia quae usque ad finem Missae in medio altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad altare, nisi ubi aliter ordinatur.*

Offertorium.

Benedictus sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Dicto Offertorio, discooperit calicem, et ad cornu epistolae sistit; et manu dextra amovet parvam pallam desuper hostiam, accipit patenam cum hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, et statim demissis, dicit:

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

3. *Si fuerint aliae hostiae, non super patenam, sed super corporale, vel in alio calice seu vase, pro communione populi consecrandae, calicem illum seu vas dextra discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens; dicit ut supra:* Suscipe, sancte Pater etc.

Quo dicto, patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum crucis super corporale, et deponit hostiam circa medium anterioris partis corporalis ante se, et patenam ad manum dextram aliquantulum subtus corporale; quam, exterso calice, ut dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu calix cum aliis hostiis, ipsum cooperit alia patena, vel palla.

4. *Deinde in cornu epistolae accipit calicem, purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis), et ponit vinum in calicem. Deinde, eodem modo tenens calicem, producit signum crucis super ampullam aquae, et aquam miscendam in calice benedicit, dicens:*

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti:

et infundens parum aquae in calice, prosequitur:

da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Si vero celebrat pro defunctis, non facit signum crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens orationem ut supra.

5. *Imposita aqua in calice, et finita oratione praedicta, accipit manu dextra calicem discoopertum; et stans ante medium altaris, ipsum ambabus*

manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis, offert, dicens:

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae majestatis tuae, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Qua oratione dicta, facit signum crucis cum calice super corporale, et ipsum in medio post hostiam collocat, et palla cooperit. Deinde, junctis manibus super altare positis, aliquantulum inclinatus, dicit secreto:

In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Postea erectus, elevans ad coelum oculos, et statim demittens, manusque expandens, et eas in altum porrectas statim jungens ante pectus (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus), dicit:

Veni Sanctificator omnipotens aeterne Deus:
signat manu dextra communiter super hostiam et calicem, sinistra posita super altare, dicens:
et bene✝dic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

6. *Tum, junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu epistolae, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat manus, id est extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens psalmum (XXV.):*

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

Qui versus Gloria Patri *praetermittitur in Missis defunctorum, et in Missis de tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum sanctum exclusive.*

7. *Celebrans, lotis manibus, eas tergit, et illis ante pectus junctis, revertitur ad medium altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super altare, aliquantulum inclinatus, dicit secreto orationem:*

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super altare positis, osculatur illud in medio; tum, junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum: et, versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata:

Orate, fratres.

Et secreto prosequens:

Ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem:

perficit circulum, revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextra ad medium altaris. Et responso a ministro, vel a circumstantibus:

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, (*alioquin per seipsum, dicens:* sacrificium de manibus meis), ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae: *ipse Celebrans, submissa voce, dicit:* Amen.

Deinde manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio altaris versus librum dicit absolute, sine Oremus, *et sine alia interpositione, Orationem vel Orationes secretas. Cum dicit:* Per Dominum, *jungit manus. Cum dicit:* Jesum Christum, *caput inclinat; quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures sint dicendae.*

Secreta.

Sanctifica, quaesumus Domine Deus noster, per tui sancti nominis invocationem, hujus oblationis hostiam, et per eam nosmetipsos tibi perfice munus aeternum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

8. *Pervento autem in conclusione ultimae Secretae ad verba illa:* Per omnia saecula saeculorum *exclusive, sacerdos stans in medio altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti, intelligibili et clara voce:* Per omnia saecula saeculorum, *cum praefatione, ut infra. Cum dicit:* Sursum corda, *elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit:* Gratias agamus Domino, *jungit manus. Cum dicit:* Deo nostro, *oculos elevat, et statim cruci caput inclinat. Responso:* Dignum et justum est, *elevatis et extensis ut prius manibus (quas disjunctas tenet usque ad finem*

Praefationis), prosequitur Praefationem propriam, vel communem, ut tempus requirit.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto, unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione verae, sempiternaeque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas. Quam laudant Angeli, atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim; qui non cessant clamare quotidie una voce dicentes:

Junctis ante pectus manibus, et inclinatus, voce mediocri prosequitur.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis!

Ministro interim parvam campanulam pulsante. Tum erigit se, et signum crucis sibi producit a fronte ad pectus, dicens:

Benedictus qui venit in nomine Domini! Hosanna in excelsis!

VIII. DE CANONE MISSAE USQUE AD CONSECRATIONEM.

1. *Finita Praefatione, ut supra, sacerdos stans ante medium altaris, versus ad illud, extendens et aliquantulum elevans manus, oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote dimissis, ac manibus junctis, et super altare positis, profunde inclinatus, incipit Canonem, secreto dicens:*

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus:

cum dicit:

uti accepta habeas, et benedicas

prius osculatur altare in medio, deinde erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit:

haec † dona, haec † munera, haec sancta † sacrificia illibata:

dextra manu signat ter communiter super hostiam et calicem. Deinde, extensis manibus ante pectus, prosequitur:

in primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica: quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris, toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

2. *Ubi dicit:* una cum famulo tuo Papa nostro N., *exprimit nomen Papae; sede autem vacante, verba praedicta omittuntur. Ubi dicitur:* et Antistite nostro N., *specificatur nomen patriarchae, archiepiscopi, vel episcopi ordinarii in propria dioecesi, et non alterius superioris, etiamsi celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius episcopi jurisdictione. Si vero episcopus ordinarius illius loci in quo Missa celebratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur: quae etiam omittuntur ab iis qui Romae celebrant.*

3. *Cum dicit:*

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N.

elevans et jungens manus usque ad faciem vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi fidelium, ad suam voluntatem, oratque aliquantulum, pro quibus orare intendit: quorum nomina, si vult, secreto com-

memoret; non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos, tam vivos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

4. *Commemoratione vivorum facta, demissis et extensis, ut prius, manibus, continuat:*

Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae: tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Similiter stans, prosequitur:

Communicantes et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi *(caput cruci inclinat):* sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. *Jungit manus.* Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Expandit manus simul super oblata, ita ut palmae sint apertae versus ac supra calicem et hostiam; quas sic tenens expansas, dicit:

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque

ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. *Jungit manus.* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Junctis manibus, sic prosequitur:

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus,
communiter signat ter super hostiam et calicem simul, dicens:
bene†dictam, adscrip†tam, ra†tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris:
separatim signat semel super hostiam tantum, cum dicit:
ut nobis cor†pus
et semel super calicem tantum, cum dicit:
et san†guis
deinde, elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur:
fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.
Et inclinans caput cruci, extergit, si opus fuerit, pollices et indices super corporale, et dicit secreto, ut prius:
Qui pridie quam pateretur,
et accipiens pollice et indice dextrae manus hostiam, et eam cum illis, ac indice et pollice sinistrae manus tenens, stans erectus ante medium altaris, dicit:
accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,
elevansque ad coelum oculos, et statim demittens, dicit:
et elevatis oculis in coelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem,
caputque aliquantulum inclinans, dicit:
tibi gratias agens,
et tenens hostiam inter pollicem et indicem sinistrae manus, dextra producit signum crucis super eam, dicens:
bene†dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes.

5. *Si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis, antequam accipiat hostiam, discooperit manu dextra calicem seu vas aliarum hostiarum.*

Cum autem finierit supradicta verba, cubitis super altare positis, stans capite inclinato, distincte, attente, reverenter, et secreto profert verba consecrationis super hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandae; et hostiam suam pollicibus et indicibus tantum tenens, dicit:

Hoc est enim Corpus meum.

Quibus prolatis, Celebrans tenens hostiam inter pollices et indices praedictos super altare, reliquis manuum digitis extensis et simul junctis (et hostiis, si plures sint consecratae, in loco in quo a principio Missae positae sunt, super corporale, vel in alio vase aut calice dimissis), genuflexus eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione calicis facit), populo reverenter ostendit adorandam: et mox sola manu dextra ipsam reverenter reponit super corporale in eodem loco, unde eam levavit, et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post communionem.

6. *Reposita hostia consecrata super corporale, genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum hostiarum, patena vel palla cooperit ut supra. Interim dum Celebrans elevat hostiam, accenso prius intorticio (quod non exstinguitur nisi postquam sacerdos sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa), minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores planetae, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum; quod et facit in elevatione calicis: et manu dextra pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel con-*

tinuate quousque sacerdos deponat hostiam super corporale; et similiter postmodum ad elevationem calicis.

7. *Celebrans, adorato Sacramento, surgit, et discooperit calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos; quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhaereat; et stans erectus dicit:*

Simili modo postquam coenatum est,

et ambabus manibus accipiens calicem juxta nodum infra cuppam, et aliquantum illum elevans, ac statim deponens, dicit:

accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas:

caput inclinat, cum dicit:

item tibi gratias agens,

sinistra calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum, dicens:

bene✝dixit,

et prosequens:

deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

Et ambabus manibus tenens calicem parum elevatum, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super altare positis, et capite inclinato, profert attente, continuate et secreto, ut supra, verba consecrationis sanguinis.

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Quibus dictis, reponit calicem super corporale; et dicens secreto:

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis:

genuflexus sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, et accipiens calicem discoopertum

cum sanguine, ambabus manibus, ut prius, elevat eum, et erectum, quantum commode potest, ostendit populo adorandum: mox ipsum reverenter reponit super corporale in locum pristinum, et manu dextera palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.

IX. DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

1. *Reposito calice, et adorato, sacerdos stans ante altare, disjunctis et extensis manibus ante pectus, dicit secreto:*

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae Passionis, nec non et ab inferis Resurrectionis, sed et in coelos gloriosae Ascensionis: offerimus praeclarae Majestati tuae

Cum dicit:

de tuis donis ac datis

jungit manus ante pectus; et manu sinistra posita super altare intra corporale, dextera signat ter communiter super hostiam et calicem, dicens:

Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam,

et semel super hostiam tantum et semel super calicem tantum, dicens:

Panem † sanctum vitae aeternae, et Calicem † salutis perpetuae.

Deinde stans, ut prius, extensis manibus, prosequitur:

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris: et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae: et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Profunde inclinatus ante medium altaris, junctis manibus, et super altare positis, dicit:

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae: ut quotquot

osculatur altare, manibus hinc inde super corporale positis, dicens:

ex hac altaris participatione

jungit manus, dicens:

sacrosanctum Filii tui

et dextera signans semel super hostiam tantum, et semel super calicem, sinistra super corporale posita, dicit:

Cor✝pus et San✝guinem sumpserimus,

et cum dicit:

omni benedictione ✝ coelesti,

seipsum signat a fronte ad pectus signo crucis, sinistra posita infra pectus, et prosequitur:

et gratia repleamur.

Jungit manus, cum dicit:

Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

2. *Cum dicit:*

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

extensis et junctis manibus ante pectus, et usque ad faciem elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super altare, facit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur, orans aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, eodem modo ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius, extensis manibus, prosequitur:

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur.

Jungit manus, et caput inclinat, dicens:
Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

3. *Dextra manu pectus sibi percutit, sinistra posita super corporale, voce aliquantulum elevata dicens:*

Nobis quoque peccatoribus,

et prosequitur secreto, stans manibus extensis ut prius:

famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte.

Jungit manus ante pectus, cum dicit:
Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas,

deinde manu dextra ter signans communiter super hostiam et calicem simul, dicit:

sancti†ficas, vivi†ficas, bene†dicis, et praestas nobis.

Postea discooperit manu dextra calicem, et genuflexus Sacramentum adorat; tum se erigit, et reverenter accipit hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum ea super calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium, dicens:

Per ip†sum, et cum ip†so, et in ip†so,

et similiter cum hostia simul signat bis inter calicem et pectus, incipiens a labio calicis, et dicit:

est tibi Deo Pa†tri omnipotenti, in unitate Spiritus†sancti

deinde, tenens manu dextra hostiam super calicem, sinistra calicem, elevat eum aliquantulum simul cum hostia, dicens:

omnis honor et gloria.

Et statim utrumque deponens, hostiam collocat super corporale, et si opus sit, digitos extergit, ut supra; ac pollices et indices ut prius jungens, calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.

X. DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

1. *Celebrans, cooperto calice, adoratoque Sacramento, erigit se; et manibus extensis hinc inde super altare intra corporale positis, dicit intelligibili voce:*

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Jungit manus, caput Sacramento inclinans, cum dicit:

Oremus.

Tum junctis manibus prosequitur:

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere.

Cum incipit Pater noster, *extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem.*

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

2. *Responso a ministro* Sed libera etc., *et a Celebrante submissa voce:* Amen, *manu dextra, pollice et indice non disjunctis, patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem et medium digitos; quam tenens super altare erectam, sinistra super corporali posita, dicit secreto:*

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis,

praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea et omnibus sanctis,

elevat manu dextra patenam de altari, et seipsum cum ea signat signo crucis a fronte ad pectus, dicens:

da propitius pacem in diebus nostris:

cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus: deinde patenam ipsam osculatur, et prosequens:

ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

submittit patenam hostiae, quam indice sinistro accommodat super patenam, discooperit calicem, et genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum illis, ac pollice et indice sinistrae manus eam super calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens:

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum:

et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextrae manus tenet, ponit super patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dextrae manus particulam, prosequens:

Qui tecum vivit et regnat

et eam inter ipsos dextrae manus pollicem et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, cum ipsa sinistra adjungit mediae super patenam positae, interim dicens:

in unitate Spiritus sancti Deus:

et particulam hostiae, quam in dextra manu retinuit, tenens super calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit:

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Et cum ipsa particula signans ter a labio ad labium calicis, dicit:

Pax ✝ Domini sit ✝ semper vobis✝cum.

Responso per ministrum:

℟. Et cum spiritu tuo.

particulam, quam dextra manu tenet, immittit in calicem, dicens secreto:

Haec commixtio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Deinde pollices et indices super calicem aliquantulum tergit, et jungit; calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat; surgit, et stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:

et dextra percutiens sibi pectus, sinistra super corporale posita, dicit:

miserere nobis.

Et deinde non jungit manus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:

iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo:

miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:

tertio percutit sibi pectus, cum dicit:

dona nobis pacem.

In Missis pro Defunctis non dicitur: miserere nobis, *sed ejus loco:* dona eis requiem, *et in tertio additur:* sempiternam.

3. *Tum manibus junctis super altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto sequentes orationes.*

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque

secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Qua oratione finita, si est daturus pacem, osculatur altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum a ministro juxta ipsum ad dexteram, hoc est, in cornu epistolae genuflexo, et dicit: Pax tecum. *Minister respondet:* Et cum spiritu tuo. *Si non adsit qui hujusmodi instrumento pacem recipiat a Celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missae conveniat, nec osculatur altare; sed dicta praemissa oratione, statim subjungit alias orationes, ut infra.*

4. *Si vero celebret pro defunctis, non percutit pectus ad* Agnus Dei, *quia dicit:* Dona eis requiem; *nec dicit praecedentem orationem, et non dat pacem, sed dicit duas sequentes orationes.*

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus, et Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem; sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Quibus orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secreto:

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Quo dicto, dextra manu accipit de patena reverenter ambas partes hostiae, et collocat inter pollicem et indicem sinistrae manus, quibus patenam inter eumdem indicem et medium digitos supponit: et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super patenam inter pectus et calicem, parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus, voce aliquantulum elevata, dicens devote et humiliter:

Domine, non sum dignus,

et secreto prosequitur:

ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Quibus tertio dictis, ex sinistra accipit ambas partes praedictas hostiae inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum illa supra patenam signat seipsum signo crucis, ita tamen, ut hostia non egrediatur limites patenae, dicens:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Et se inclinans, cubitis super altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit; quibus sumptis, deponit patenam super corporale, et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, et aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde, depositis manibus, dicit secreto:

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?

Et interim discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quae sint in eo, patenam quoque diligenter cum pollice et indice dextrae manus super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

5. *Si vero adsint hostiae consecratae super corporale positae pro alio tempore conservandae,*

facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super corporale: quod si fuerit, accurate reponit in calicem.

Post extersionem patenae, junctis pollicibus et indicibus, calicem dextra manu infra nodum cuppae accipit, sinistra patenam, dicens:

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Et signans se signo crucis cum calice, dicit:

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Et manu sinistra supponens patenam calici, stans reverenter, sumit totum sanguinem cum particula in calice posita. Quibus sumptis, si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet. Postea dicit secreto:

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Interim super altare porrigit calicem ministro in cornu epistolae, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat. Deinde vino et aqua abluit pollices et indices super calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens:

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ablutionem sumit, et extergit os et calicem purificatorio: quo facto, purificatorium extendit super calicem et desuper patenam, ac super patenam, parvam pallam: et plicato corporali, quod

reponit in bursam, cooperit calicem velo, et bursam desuper ponit, et collocat in medio altaris, ut in principio Missae. Deinde prosequitur Missam.

6. *Si qui sunt communicandi in Missa, sacerdos, post sumptionem sanguinis, antequam se purificet, facta genuflexione, ponat particulas consecratas in pixide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi a principio positae fuerint in pixide, seu alio calice. Interim minister ante eos extendit linteum, seu velum album: et pro eis facit confessionem, dicens:* Confiteor Deo etc. *Tunc sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis, vertens se ad populum in cornu evangelii, dicit:*

Misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Et manu dextra facit signum crucis super eos, dicens:

Indulgentiam, absolutionem † et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Postea genuflectens accipit manu sinistra pixidem seu patenam cum Sacramento, dextra vero sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam super pixidem seu patenam, et conversus ad communicandos in medio altaris, dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Deinde dicit:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dextram, hoc est, ad latus epistolae, et unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum crucis super pixidem vel patenam, et simul dicens:

Corpus Domini nostri Jesu † Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Omnibus communicatis, revertitur ad altare, nihil dicens; et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missae. Si particulae positae erant super corporale, extergit illud cum patena, et si quae in eo fuerint fragmenta, in calicem immittit. Deinde dicit secreto: Quod ore sumpsimus, Domine etc. *et se purificat dicens:* Corpus tuum, Domine, quod sumpsi etc. *et alia facit ut supra. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino et aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post sacerdotem eis porrigit purificationem, et mappulam ad os abstergendum.*

7. *Si in altari remaneant particulae in calice, seu in alio vase usque ad finem Missae, serventur ea quae in Feria quinta Coenae Domini praescribuntur circa finem Missae*[1].

XI. DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

1. *Celebrante purificato, dum calicem collocat in altari, liber missalis defertur per ministrum ad cornu epistolae, et collocatur ut in Introitu. Ipse autem minister genuflectit juxta cornu evangelii, ut in principio Missae. Deinde Celebrans stans junctis manibus, legit Antiphonam quae dicitur Communio.*

Benedicimus Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Qua lecta, junctis item manibus ante pectus, vadit ad medium altaris, et, eo osculato, vertit

---

[1]) **Ea sunt, quae sequuntur:** *Sacerdos genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in Calice reservatum: et cum dicere debet* Dominus vobiscum, *non vertit se ad populum in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento, sed a latere Evangelii: et in fine ibidem dat benedictionem, et non perficit circulum. Cum legit Evangelium sancti Joannis, in ejus initio Sacerdos non signat Altare, sed seipsum tantum.*

se ad populum a manu sinistra ad dexteram, et dicit:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et per eamdem viam redit ad librum, dicit orationes post Communionem eisdem modo, numero et ordine, ut supra dictae sunt collectae.

Oremus. *Postcommunio.*

Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, hujus sacramenti susceptio: et sempiternae sanctae Trinitatis, ejusdemque individuae unitatis confessio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Quibus finitis, claudit librum, et, jungens manus ante pectus, revertitur ad medium altaris, ubi, eo osculato, vertit se ad populum, et dicit, ut supra:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est:

Ite, Missa est. ℟. Deo gratias.

Et per eamdem viam revertitur ad altare. Si vero non sit dicendum, dicto Dominus vobiscum, *revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium altaris, ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicit:*

Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

In Missis autem Defunctorum, eodem modo stans versus altare, dicit:

Requiescant in pace. ℟. Amen.

Tempore paschali, hoc est, a Missa sabbati sancti usque ad sabbatum in Albis inclusive:

Ite, Missa est. Alleluia, alleluia. ℟. Deo gratias. All., all.

2. *In Quadragesima autem a Feria quarta Cinerum usque ad Feriam quartam Majoris hebdomadae, in feriali officio, postquam Celebrans dixit orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat:* Dominus vobiscum, *stans in eodem loco ante librum dicit:* Oremus. Humiliate capita vestra Deo, *caput inclinans; et extensis manibus, subjungit eadem voce Orationem super populum, ibidem positam: qua finita, osculatur altare, et vertens se ad populum, dicit:* Dominus vobiscum, *et alia ut supra,*

XII. DE BENEDICTIONE IN FINE MISSAE, ET EVANGELIO SANCTI JOANNIS.

1. *Dicto* Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *ut supra, Celebrans, ante medium altaris stans, junctis manibus super eo, et capite inclinato dicit secreto:*

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta: ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, et omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quo dicto, extensis manibus hinc inde super altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad coelum oculos et manus, quas extendit et jungit, caputque cruci inclinans, dicit voce intelligibili:

Benedicat vos omnipotens Deus,

et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel tantum benedicit populo, dicens:

Pater, et Filius, ✝ et Spiritus sanctus. ℟. Amen.

Et circulum perficiens accedit ad cornu evangelii, ubi dicto:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

pollice dextro signans primum signo crucis altare, seu librum in principio evangelii; deinde frontem, os et pectus, dicit:
Initium sancti Evangelii secundum Joannem. *Vel* Sequentia sancti Evangelii.
ut dictum est in rubricis generalibus, et
℞. Gloria tibi, Domine.
junctis manibus, legit Evangelium.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.
Genuflectit versus cornu evangelii, cum dicit:
ET VERBUM CARO FACTUM EST,
et surgens, prosequitur ut prius:
et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Quo evangelio, vel alio, ut convenit, finito, minister, stans in parte epistolae, respondet: Deo gratias.

2. *Si Celebrans in altari vertit faciem ad populum, non vertit se; sed stans ut erat, benedicit populo ut supra, in medio altaris: deinde accedit ad cornu evangelii, et dicit Evangelium sancti Joannis.*

3. *Si autem celebravit pro defunctis, dicto:* Placeat tibi, sancta Trinitas, *ut supra, et osculato altari, accedit ad cornu evangelii, et dicit Evangelium sancti Joannis, praetermissa benedictione, quae in Missis Defunctorum non datur.*

4. *Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelae. Interim sacerdos accipit sinistra calicem, dextram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum altaris, et ibi in medio vertens se ad illud caput inclinat (vel, si in eo est tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectit), et facta reverentia, accipit biretum a ministro, caput cooperit, ac, praecedente eodem ministro, eo modo quo venerat, redit ad sacristiam, interim dicens Antiphonam* Trium puerorum, *et canticum* Benedicite. *Si vero sit dimissurus paramenta apud altare, ubi celebravit, finito evangelio praedicto, ibidem illis se exuit, et dicit Antiphonam* Trium puerorum, *cum cantico et aliis orationibus, ut suo loco ponuntur.*

XIII. DE HIS QUAE OMITTUNTUR IN MISSA PRO DEFUNCTIS.

1. *In Missa pro Defunctis ante confessionem non dicitur Psalmus* Judica me, Deus: *sed pronuntiata Antiphona* Introibo ad altare Dei, *et responso a ministro:* Ad Deum qui laetificat juventutem meam, *dicitur* ℣. Adjutorium nostrum, *et confessio, cum reliquis, ut supra.*

Cum Celebrans ad altare incipit Introitum, non signat se, sed, manu dextra extensa, facit signum crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur Gloria Patri, *sed post psalmum repetitur* Requiem aeternam; *nec dicitur* Gloria in excelsis, *nec* Alleluia, *nec* Jube Domine benedicere, *nec* Dominus sit in corde meo; *nec osculatur librum in fine evangelii; nec dicit:* Per evangelica dicta, etc. *Non dicitur* Credo, *non benedicitur aqua in*

calicem fundenda; dicitur tamen oratio Deus, qui humanae substantiae etc. *Cum lavat manus, in fine psalmi* Lavabo inter innocentes, *non dicitur* Goria Patri.

Ad Agnus Dei *non dicitur:* miserere nobis, *cujus loco dicitur:* dona eis requiem; *nec tertio:* dona nobis pacem, *cujus loco dicitur:* dona eis requiem sempiternam; *neque percutitur pectus. Non dicitur prima oratio ante Communionem, scilicet:* Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis etc. *nec datur pax.*

In fine non dicitur Ite Missa est, *nec* Benedicamus Domino, *sed* Requiescant in pace. *Et non datur benedictio; sed dicto* Placeat, *et osculato altari, dicitur, ut supra:* In principio erat Verbum etc., *et alia omnia ut in aliis Missis.*

XIV. DE IIS, QUAE OBSERVANDA SUNT, CUM QUIS CELEBRAT CORAM SUMMIS PRAELATIS IN LOCIS EORUMDEM JURISDICTIONI SUBJECTIS[1].

Ad §. III. *De principio Missae et Confessione facienda.*

1. *Si celebraturus sit coram summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum altaris a cornu evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus exspectat: accepta benedictione erigit se, et stans aliquantum versus ad altare, incipit Missam. Si autem sit coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicae, aut Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum a cornu evangelii ut supra exspectat: dato signo facit profundam reverentiam Praelato, et versus ad altare incipit Missam.*

2. *Cum facit Confessionem, ubi dicit:* vobis fratres, *dicat:* tibi pater; *similiter in fine, ubi dicit:*

---

[1]) Haec sequensque paragraphus ea continent in seriem congesta, quae ad enunciatos titulos pertinentia rubricae Missalis in prioribus paragraphis sparsim exponunt. Confer quae habet Caerem. Episcop. lib. I, cap. XXIX, XXX.

vos fratres, *dicat:* te pater; *quod dicens, summo Pontifici genuflectit, aliis Praelatis profunde se inclinat.*

3. *Etiam si adfuerit Summus Pontifex, minister et qui intersunt, cum respondent* Confiteor, *dicunt:* tibi pater, *et* te pater, *aliquantulum conversi ad Celebrantem.*

4. *Cum dicit* Oremus, *tunc si coram summo Pontifice, aut aliis Praelatis ut supra, celebret, facta summo Pontifici genuflexione, aliis Praelatis profunda reverentia, accedit ad medium altaris ante infimum gradum, et ibi incipit secreto:* Aufer a nobis, *ut in Ordine Missae.*

Ad §. VI. *De Evangelio.*

Si celebret coram summo Pontifice, Cardinali et Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, in eorum residentiis, defertur cuilibet praedictorum (post lectum evangelium) osculandus liber, et Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit: Per Evangelica dicta.

Ad §. X. *De Oratione Dominica et aliis usque ad factam Communionem.*

Nota. Juxta Caer. Episc. loc. cit. cap. XXX. n. 2. Episcopus accipit pacem a Celebrante, per instrumentum ad ipsum delatam. Vide supra pag. 271.

Ad §. XII. *De Benedictione in fine Missae et Evangelio S. Joannis.*

1. *Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, et Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in provincia, civitate, vel dioecesi sua existente, Celebrans dicto* Placeat tibi sancta Trinitas etc. *dicit:* Benedicat vos omnipotens Deus, *et convertens se ad summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem vero et Legatum, vel alium ex supradictis Praelatis, capite inclinato quasi*

licentiam benedicendi petens, prosequitur: Pater. et Filius, † et Spiritus sanctus, *benedicens astantes a parte ubi non adest Pontifex, Cardinalis Legatus, aut Praelatus, praedicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, extra eorum provinciam, civitatem, vel dioecesim constitutis, eis absque alio respectu, ut ceteris qui intersunt, more consueto benedicit.*

2. *Finito Evangelio in fine Missae, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, et Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex praedictis celebravit, et facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo praedictorum, hujusmodi reverentiam praetermittit.*

XV. DE IIS QUAE OBSERVANDA SUNT, CUM CELEBRAT PRIVATIM EPISCOPUS.

Ad §. I. *De praeparatione Sacerdotis celebraturi.*

Si celebrans sit Episcopus, non ducit stolam ante pectus in modum crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere: et antequam accipiat stolam, accipit parvam crucem pectoralem, quam osculatur, et collo impositam sinit ante pectus cordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante stolam, nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad altare, cum in Confessione dicit Indulgentiam, *illumque prius osculatur in medio.*

Ad §. V. *De Oratione.*

Dicto hymno Gloria in excelsis, *celebrans, si sit Episcopus, dicit intelligibili voce:* Pax vobis. *Quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est hymnus* Gloria in excelsis.

Ad §. VIII. *De Canone Missae.*

Si celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis verbis: et antistite nostro,

eorum loco dicit: Et me indigno servo tuo. *Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis:* una cum famulo tuo Papa nostro N. et antistite nostro N., *dicit:* una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo praeesse voluisti. *Et continuant omnes ut sequitur:* Et omnibus orthodoxis etc.

Ad §. XII. *De Benedictione in fine Missae.*

Episcopus ter benedicit populo, etiam in Missis privatis, ut in Caeremoniali habetur.

EXCERPTA EX RUBRICIS GENERALIBUS MISSALIS
AD RITUM CELEBRANDAE MISSAE PRIVATAE PERTINENTIA.

I. DE HIS QUAE CLARA VOCE AUT SECRETO DICENDA SUNT IN MISSA.

1. *In Missa privata clara voce dicuntur:* Antiphona *et* Psalmus *ad* Introitum, Confessio *et quae sequuntur, excepta Oratione* Aufer a nobis *et* Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum etc.

Item Introitus, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Levate, *Oratio vel Orationes, Prophetiae, Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia, Evangelium,* Credo, *Offertorium,* Orate fratres, *solum haec duo verba; Praefatio;* Nobis quoque peccatoribus, *solum haec tria verba.*

Item: Per omnia saecula saeculorum etc. *cum* Pater noster; Per omnia saecula saeculorum, Pax Domini etc., Agnus Dei, Domine non sum dignus, *haec quatuor verba tantum; Communio, Oratio vel Orationes post Communionem,* Humiliate capita vestra Deo, Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *vel* Requiescant in pace, *Benedictio, et Evangelium* In principio, *vel aliud Evangelium.*

Alia omnia dicuntur secreto.

Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea quae clara voce dicenda sunt, distincte et appo-

site proferat; non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit; nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat: neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; ueque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit; sed mediocri et gravi, quae et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quae leguntur, intelligant. Quae vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

II. DE ORDINE GENUFLECTENDI ET STANDI IN MISSA PRIVATA.

1. *In Missa privata Sacerdos genuflectit quando legit Evangelium sancti Joannis* In principio *ad illa verba:* Et Verbum caro factum est, *et in Evangelio Epiphaniae* Cum natus esset Jesus, *ad illa verba:* Et procidentes adoraverunt eum.

Item in Evangelio Feriae quartae post Dominicam quartam Quadragesimae, ad illa verba in fine: Et procidens adoravit eum.

Item genuflectit Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce, ad illa verba in Epistola: In nomine Jesu omne genu flectatur etc., *et quando legitur Passio, ad illa verba:* Expiravit, *vel* emisit spiritum, *ut suis locis notatur.*

Item genuflectit cum dicit: Flectamus genua. *Item quando in Quadragesima dicit in Tractu* ℣. Adjuva nos Deus etc., *et in omnibus Missis de Spiritu sancto, cum dicit* ℣. Veni sancte Spiritus, reple etc.

Item quando Sacramentum in altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio altaris: et quandocumque in Ordine Missae, et in ritu servando in celebratione Missae notatur, quod debeat genuflectere.

2. *Circumstantes autem in Missis privatis semper*

genua flectunt, etiam tempore Paschali, praeterquam dum legitur Evangelium.

III. EX RUBRICIS DE PARAMENTIS.

1. *Paramenta altaris, Celebrantis, et ministrorum debent esse coloris convenientis Officio, et Missae diei, secundum usum Romanae Ecclesiae: quae quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubro, Viridi, Violaceo, et Nigro.*

2. *In Officio Missae Celebrans semper utitur Planeta super Albam.*

IV. DE PRAEPARATIONE ALTARIS ET ORNAMENTORUM EJUS.

Altare, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo consecratum: vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quae tam ampla sit, ut Hostiam, et majorem partem Calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata[1]*. Pallio quoque ornetur, coloris, quoad fieri potest, diei festo vel Officio convenientis. Super altare collocetur Crux in medio, et Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere. Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata: in cornu Epistolae cussinus supponendus Missali: et ab eadem parte Epistolae paretur cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus; parva campanula, ampullae vitreae vini et aquae, cum pelvicula et manutergio mundo, in fenestella seu in*

[1]) Nullae coronides ligneae circa altaris angulos ducantur, sed earum loco apponi poterunt fasciae ex auro vel serico elaboratae, ac variegatae, quibus ipsa altaris facies apte redimita, ornatiorque appareat. Caer. Episc. lib. I, c. XII.

parva mensa ad haec praeparata. Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat.

EX DECRETIS S. RITUUM CONGREGATIONIS.

Ad §. I. *De praeparatione Sacerdotis celebraturi.*

1. Ex decretis in principio Missalis positis:

Nemo audeat uti pileolo[1] *in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine.*

Item prohibetur usus rochetti, exceptis tamen quibus de jure competit; et praeter hoc statuitur et declaratur, nemini licere inservire, aut assistere in celebratione Missarum aut divinorum Officiorum cum rochetto, neque cum Cotta habente manicas angustas ad instar rochetti: et idem servandum est in Concionibus.

Paramenta non debent sumi de altari pro celebratione Missarum, cum id competat tantum Episcopis, sive solemniter, sive privatim celebrent: inferioribus vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant.

Demum renovando decreta alias facta, mandat Sacra Congregatio in omnibus et per omnia servari rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat.

2. *Ecclesiae inferiores sequi non debent caeremonias cathedralis ecclesiae in iis quae sunt contra rubricas et regulas Missalis et Pontificalis Romani.* 16. Mart. 1591 in u. Oscen. ad 17.

---

1) Vetitum est Missam celebrare velato capite. Cap. *Nullus episcopus*. 57 de Consecr., distinct. 1. Unde prohibitio pilei et pileoli, ut supra. Innocentius porro XII. locorum Ordinarios moneri jussit, ne quemquam permitterent sine dispensatione Apostolica cum *capillitio fictitio* Missam celebrare. Ferraris, Biblioth. ad v. Coma fictitia. n. 17sqq.

3. Calix et patena suam *amittunt* consecrationem per novam deaurationem, et *indigent* nova consecratione. 14. Jun. 1845 in u. Leod. Calices vero, aliaque vasa sacra unctione consecrata, quae reficienda vel fundenda iterum sunt, *non* rite, sed potius ex errore per sacerdotem vel directe et manu, vel aliquo mediante instrumento execrantur, priusquam artifici traduntur. 20. April. 1822 in u. Dubior. — In quaestione: utrum liceat Missam celebrare, quin in sacra hostia appareat imago Jesu Christi cruci affixi? *servetur consuetudo.* 26. April. 1834 in u. Imol.

4. *Soliciti ut quod usque ab ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur, declararunt et decreverunt* Emi DD. CC. sacris tuendis ritibus praepositi, *ab antiquo more sub quolibet praetextu, colore ac titulo non esse recedendum, et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante*[1]. *Aliqua tamen indulgentia utentes permiserunt, ut amictus, albae, tobaleae, mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint, usque dum consummentur; sed cum hujusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, praeceperunt. Districte vero jusserunt, ut Corporalia, pallae ac purificatoria post lapsum unius mensis a praesentis decreti publicatione, linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto ac vetito aliorum usu, quae ex gossipio supererunt. Et ita decreverunt ac ubique locorum, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, servari mandarunt.*

---

[1]) Neque ex *tela quadam composita ex lino et gossypio subtilissimo, quam vocant muscolo (mousselin).* 15. Mart. 1664 in u. Pisaur.

Decretum generale S. R. C. d. 19. Mai 1819. — Sanctitas Sua decretum approbavit, confirmavit, typisque editum publicari praecepit; ac praeterea jussit, ut *locorum Ordinarii ejusdem observantiae sedulo incumbant.* Die 18. ejusdem mensis et anni. — Juxta responsum vero d. d. 23. Mai 1835 in u. Ord. Min. casulae ex gossipio contextae in illo decreto d. d. 19. Mai 1819 *non comprehenduntur.*

Non potest sacerdos in sacrificio Missae uti palla, a parte superiore drappo serico cooperta[1]. 22. Jan. 1701 in u. Congr. Montis Cor. ad 6. — Hac lege tamen non obstante *permitti potest* palla a parte superiori panno serico cooperta, *dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa.* 10. Jan. 1852 in u. Cenoman. — Purificatorium *non* debet benedici. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 26.

5. *Non* licet in fimbriis et manicis albarum et aliarum vestium (sacrarum) sub velo transparenti fundum rubrum mittere. 17. Aug. 1833 in u. Ord. s. Joh. de Deo, ad 5. — Sacerdotes in sacrificio Missae *congruentius utuntur cingulo lineo,* quam serico. 22. Jan. 1701 in u. Congr. Mont. Cor. Item *possunt uti cingulo coloris paramentorum.* 8. Jun. 1709 in u. Brachar.

6. Praelati episcopis inferiores et usu Pontificalium gaudentes *in Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem a simplici sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tan-*

---

1) In rubricis Pontificalis Romani pro ordinatione unius Subdiaconi legitur: *Palla linea munda, non colorata, aut alterius materiae; velum parvum coloris paramentorum super ipsum calicem; bursa desuper ejusdem coloris, habens crucem in medio et intus corporale.*

tum candelas super altare adhibeant. 27. Sept. 1659 jussu Alexandri VII. P. M. §. 21. — Idem decretum fuit de quibuscumque aliis dignitatibus, canonicis etc.; ita ut *nullo modo* eis *liceat*, paramenta de altari sumere, *non* possint habere ministrum inservientem, qui Missali assistat, ac folia vertat, calicem mundet, vinum et aquam infundat, ipsum calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat, nec non eumdem calicem tergat post Communionem, suisque ornamentis instruat; sed celebrare debent ut alius quilibet simplex sacerdos, omnes relatos ritus a semetipsis explentes, et non ope ministri. 6. Jul. 1641 in u. Caurien.; 17. Juni. 1673 in u. Patav.; 20 Juni. 1686 in u. Sen. ad 2; 22. Jan. 1735 in u. Aquilan. ad 4; 3. Aug. 1737 in u. Urbevet. ad 13, 14; 24 Sept. 1788 in u. Asculan. ad 1; 4. Jun. 1817 in u. Dubior. ad 6.; et alias.

7. Annulo in celebranda Missa sacerdotes *uti non debent*, etiamsi sint Protonotarii titulares, Dignitates et canonici Cathedralis. 20. Nov. 1628; 4. Aug. 1663 in u. Dalmat. ad 11; 13. Sept. 1670 in u. Benevent. ad 2. *Neque permittitur* sacerdotibus, qui gradus sunt assequuti, *in ecclesiasticis functionibus, juxta alias decreta.* 23. Mai. 1846 in u. Bahien. ad 6. — Collegiis canonicorum vel beneficiatorum, quibus ab apostolica sede concessum fuit privilegium gestandi cruces vel numismata aurea, *non* licet ea palam deferre in paramentis sacris vel in administratione Sacramentorum. 17. Sept. 1822 in u. Dubior. ad 15.

8. *Servanda* sunt *decreta,* duos ministros in Missa lecta prohibentia. *quoad Missas stricte privatas, sed quoad Missas parochiales vel similes, diebus solemnioribus, et quoad Missas quae celebrantur loco solemnis aut cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis, tolerari possunt duo ministri Missae inservientes, servatis ordinationibus S. C. in Tuden., ad 11 et 12, sub die 7. Septembr. 1816*[1].

---

[1]) Haec decreta vide infra suis locis p. 291 et 292, nro 8.

12. Sept. 1857 in u. Molin. ad d. 7. (Anal. J. P. III, p. 336). — *Tolerari possunt* duo clerici intorticia a principio canonis sustinentes, celebritatis aut frequentioris assistentihe causa, *servata tamen forma rubricae Missalis pro Missa solemni.* §. VIII. Ibid. ad d. 8. (p. 337.). — Item diebus solemnioribus pro Missa lecta parochiali aut communitatis accendi possunt plus quam duo cerei. Ibid. ad d. 9. — Magistratu interessente Missae privatae, licet in altari accendere quatuor candelas, *dummodo incedat in habitu consulari.* 10. Sept. 1718 in u. Velitern. ad 5. — In Missa conventuali dierum solemnium, quae absque cantu ac ministris celebratur, *non* potest fieri thurificatio. 22. Jan. 1701 in u. Congreg. Mont. Cor. ad 12. *Servari* vero *potest consuetudo*, diebus solemnioribus Missae conventuali sine cantu intermiscere organa et adhibere funalia ad elevationem Ss. Sacramenti. 16. April. 1853 in u. Ord. Minor. ad 18. Vide in Fine h. Libri.

Ad §. II. *De ingressu sacerdotis ad altare.*

1. Acolythus aut alius accendens cereos ante Missam, aut ante aliam sacram functionem, incipere debet a cereis qui sunt *a cornu evangelii, quippe nobiliori parte.* 12. Aug. 1854 (Anal. II. p. 2201).

2. *Non licet* sacerdotibus deferre manutergium supra calicem tam eundo quam redeundo ab altari. 1. Sept. 1703 in u. Pisaur.

3. Sacerdos pergens ad celebrandum et calicem manu sinistra portans, ad januam sacristiae *signet se, si commode fieri potest,* aqua benedicta; *sin minus, se abstineat.* 27. Mart. 1779 in u. Ord. Min. ad 14.

4. Si sacristia est post altare, *a sacristia* ad illud *e sinistra egrediendum, a dextera ad illam accedendum.* 12. Aug. 1854 in u. Brioc. ad 17.

5. Sacerdos Missam celebraturus transiens ante altare, ubi fit populi Communio, *non* debet permanere genuflexus, quousque terminetur Communio. 5. Jul.

1698 in u. Collen. ad 17. — In quaestione: quomodo se gerere debeat sacerdos celebraturus, dum *transit* ante altare, in quo sit *publice expositum* Ss. Sacramentum? an post factam genuflexionem detecto capite, *surgens* debeat *caput tegere*, donec ad altare pervenerit? an vero *detecto* capite *iter prosequi* ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi, cum rubrica Missalis Romani non videatur loqui de hac praecisa adoratione in casu de quo agitur? *servandae sunt rubricae Missalis Romani, quae videntur innuere, quod post factam adorationem genibus flexis, detecto capite, surgens caput operiat.* 24. Jul. 1638 in u. Urb.

6. *Tam in ingressu Sacerdotis ad altare, quam ante principium Missae, reverentia Sacerdotis debet esse profunda capitis et corporis,* non capitis tantum, *inclinatio,* juxta rubricam. 8. April. 1808 in u. Compostell. ad 5. — *In accessu* ad altare, in quo habetur Ss. Sacramentum sive expositum, sive in tabernaculo reconditum, *et in recessu, in plano est genuflectendum; in infimo autem gradu altaris, quoties* (alias ante altare) *genuflectere occurrat* (e. g. in principio Missae). 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 51. — Inter Missam privatam a ministro *in transitu tantum ante medium altaris genuflectendum*, si Ss. Sacramentum inclusum est in tabernaculo, *vel inclinandum.* 12. Aug. 1854 ad 70 et 71 (Anal. II. p. 2200).

7. *Si multae sunt particulae consecrandae, satius est eas ponere in pixide*[1]*; si paucae, poni possunt in alia patena; numquam vero in alio Corporali complicato.* 12. Aug. 1854 ad 19 (Anal. II, p. 2192).

8. In Missis privatis *non* potest permitti ministro aperire Missale et invenire Missam; *et serventur ru-*

---

[1]) Ex quo patet, „vas mundum benedictum," de quo rubrica esse *pixidem*.

bricae. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 11; *neque* potest permitti ministro, si fuerit sacerdos vel diaconus sive subdiaconus, ut praeparet calicem, et ipsum extergat in fine post ablutiones. Ibid. ad 12.

Ad §. III. *De principio Missae et Confessione facienda.*

In Missa dicendum est Confiteor *pure et simpliciter, prout habetur in Missali Romano, absque additione alicujus Sancti, etiam Patroni,* nisi adsit speciale indultum Apostolicae Sedis. 13. Febr. 1666 in u. Ord. Min. ad 5; 12. Jul. 1704 in u. Valent.

Ad §. IV. *De Introitu, Kyrie et Gloria.*

In quaestione: an post signum crucis. quod fit in fine ,,Gloria in excelsis," ,,Credo" et ,,Sanctus" manus sint jungendae, etiamsi nihil hujusmodi praescribat rubrica? *serventur rubricae.* 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 30.

Ad §. V. *De Oratione.*

Congruit, ut fert praxis universalis, praesertim Urbis, quod fiat inclinatio capitis, cum pronunciatur nomen Ss. Trinitatis, sicut fit, cum profertur nomen Jesus. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 40.

Ad §. VI. *De Epistola usque ad Offertorium.*

1. *Juxta rubricas in elevatione oculorum crux est aspicienda.* 22. Jul. 1848 in u. Adiacen. ad 3.

2. Manus sinistra poni debet super missale ad Evangelium, cum dextera fit signum crucis super ipsum. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 25.

3. In Missis privatis ad verba ,,Et incarnatus est," Celebrans genuflectere debet *unico genu.* 22. Aug. 1818 in u. Hispal. ad 10.

Ad §. VII. *De Offertorio usque ad Canonem.*

1. In dubio: an in Missa privata, quando minister non est superpelliceo indutus, deceat eum, lecto Offer-

torio a Celebrante, ad altare ascendere, accipere et plicare velum calicis, vel hic ritus reservari debeat ministris superpelliceo indutis, vel etiam Celebrans ipse debeat plicare velum et super altare ponere? *servanda* est *consuetudo*. 12. Aug. 1854 ad 69 (Anal. II. p. 2200).

2. In quaestione: utrum parvi cochlearis pro aqua in calicem infundenda usus sit omnibus licitus? *servanda est rubrica*. 7. Sept. 1850 in u. Rupell. ad 13.

3. *Praxis extergendi calicem cum purificatorio* ad abstergendas guttas vini adhaerentes lateribus interioribus cuppae calicis, quae aliquando resiliunt, dum praeparatur ipsemet calix, *magis congruit et summopere laudabilis est*. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 28. — *Relinqui* vero *potest Sacerdotis arbitrio*, utrum purificatorium ponere velit super pedem calicis, dum praeparatur (vinum ad offertorium infunditur), vel potius super patenam. Ibid. ad 29.

4. Oratio „Deus qui humanae" incipienda est a sacerdote eodem momento, quo benedicit aquam; *non* vero prius aqua benedicatur nihil dicendo, atque tunc demum, facto signo crucis, illa oratio incipiatur. 12. Aug. 1854 ad d. 25. (Anal. Jur. Pontif. II. p. 2193.)

5. Cruces quae fiunt super oblata a sacerdote, non debent fieri manu transversa, sed *manu recta*. 4. Aug. 1663 in u. Dalmat. ad 4. — *In benedictionibus congruentior juxta rubricas et ritum videtur modus benedicendi manu recta, et digitis simul unitis et extensis*. 24. Jun. 1683 in u. Albing. ad 6.

6. *Congruit, ut fert praxis universalis, praesertim Urbis,* quod fiat inclinatio capitis in fine Psalmi „Lavabo" (ad „Gloria Patri"), qui dicitur in Missa, sicut praescribitur in principio Missae. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 37.

Ad §. VIII. *De Canone usque ad Consecrationem.*

1. Ad quaestionem: an Sacerdos dicere debeat „Te igitur" in principio Canonis, dum elevat manus

et oculos; vel incipere debeat, dum est jam in profundo inclinatus? *servanda est rubrica de ritu servando in celebratione Missae tit. 8, num. 1, et altera Canoni praefixa.* 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 33.

2. Omnes sacerdotes celebrantes, dum in Canone Missae Papam nominant, debent *juxta rubricam* caput inclinare. 23. Mai 1846 in u. Tuden. ad 6.

3. *In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi superiores Regularium.* 13. Febr. 1666 in decret. ad Missal. ad 11. — *Ii Religiosi, qui, Antistitis nomine tacito, ejus loco in precibus sive in Canone suae Religionis Superiorem nominant, contra caritatem faciunt.* 12. Nov. 1605 in u. Ulixbon. — *In Canone et in Collectis omnino facienda est mentio de Episcopo, etiam ab exemptis.* 25. Sept. 1649 in u. Tornac. ad 6.

4. Debet sacerdos pronuncians in Canone Missae nomen alicujus Sancti, de quo factum est Officium, vel saltem Commemoratio, facere inclinationem capitis. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 34. — Nomen s. Joseph Sponsi B. M. V. *non* potest addi *in Canone. Permittitur* vero *hujus nominis additio in Collecta „A cunctis.“* 17. Sept. 1815 in u. Urbis et Orbis.

5. Ad „Hanc igitur oblationem“ manus sacerdotis ita debent extendi, ut palmae sint apertae, pollice dextero super sinistrum in modum crucis *supra manus* posito. 4. Aug. 1663 in u. Dalmat. ad 5.

Ad §. IX. *Post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.*

1. Dum Sacerdos dicit orationem „Supplices te rogamus,“ et orationes ante Communionem, *servandae sunt rubricae, quae jubent manus ponendas esse super altare, non intra corporale.* 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 35.

2. Qui in Canone Missae post consecrationem, in oratione „Nobis quoque peccatoribus," nominatur Joannes, est s. Joannes Baptista, et ideo caput est ad hoc nomen inclinandum, dum Missa dicitur aut commemoratio fit de s. Joanne Baptista; *non* vero, quando Missa dicitur aut commemoratio fit de s. Joanne apostolo et evangelista. 27. Mart. 1824 in u. Panormit. ad 2.

Ad §. X. *De Oratione Dominica usque ad factam Communionem.*

1. Signum cum patena faciendum a sacerdote a fronte ad pectus, dum dicit orationem „Libera nos quaesumus Domine," debet esse *integrum signum crucis;* et post dictum signum crucis *est deosculanda patena.* 13. Mart. 1627 in u. Panorm. — Cum Celebrans dicit: „Da pacem Domine in diebus nostris," *patenam in extremitate, seu oram patenae, congruentius osculatur.* 24. Jun. 1683 in u. Albingan. ad 5.

2. *Pax, dummodo adsit consuetudo,* in Missa pro sponso et sponsa dari potest; attamen *danda est semper cum instrumento, numquam vero cum patena.* 10. Jan. 1852 in u. Cenoman. ad 8. (Cetera vide in Missa solemni).

3. Pars *inferior* hostiae *praecidi debet,* non superior, quando dicitur: „Pax Domini sit semper vobiscum." 4. Aug. 1663 in u. Dalmat. ad 6.

4. *Tolerari potest* consuetudo pulsandi campanulam a ministro in Missa non solum ad verba „Sanctus" etc. et in elevatione Sanctissimi, sed etiam ad verba „Domine non sum dignus" ante sumptionem, et quoties administratur Communio fidelibus, ad praedicta verba. 14. Mai. 1846 in u. Ord. Min. ad 9.

5. Sacerdos seipsum signans cum hostia et calice consecratis ante sumptionem Ss. Sacramenti, ad verba „Jesu Christi" debet caput inclinare *juxta rubricas.* 24. Sept. 1842 in u. Neap. ad 1.

6. In quaestione: an Sacerdos post sumptionem pretiosissimi sanguinis debeat parumper immorari in adoratione, prout fit post sumptionem sacrae hostiae? *serventur rubricae.* 24. Sept. 1842 in u. Neap. ad 2.

7. In quaestione: an pro abluendis vino et aqua pollicibus et indicibus in secunda purificatione post Communionem debeat Sacerdos e medio altaris versus cornu epistolae recedere? *serventur rubricae pro diversitate Missae*[1]. 22. Jul. 1818 in u. Tornac.

8. *Ante versiculum quod dicitur „Communio," cooperiendus est velo calix in anteriori parte, prout ante Confessionem.* 1. Mart. 1698 in u. Prag. ad 1. — *Tam in principio Missae, quam post Communionem calix velatus esse debet totus in parte anteriori.* 12. Jan. 1669 in u. Urbinat. — In quaestione: an deceat corporale retinere extensum super altare toto tempore, quo celebrantur Missae, et donec ab ultimo in eo celebrante reportetur ad sacrarium (sacristiam); et an conveniat corporale extra bursam deferre? *episcopus incumbat observantiae et executioni rubricarum.* 13. Sept. 1704 in u. Ravenat.

9. De Communione fidelium intra Missam: *Consuetudo* dicendi: „Ecce Agnus Dei," et: „Domine non sum dignus," idiomate vulgari, *est eliminanda,* utpote contraria Rituali et Missali Romano. 23. Mai. 1835 in u. Ord. Min. Capuc. Helv. ad 5.

Sacerdos *debet* semper, etiam communicando moniales habentes fenestrellam in parte evangelii, pro

---

[1]) *Missae diversitatem,* de qua decretum loquitur, ita intellexerunt ac suo tempore exposuerunt ipsius decreti auctores h. e. doctores Romani a. 1848, ut in *Missis solemnibus numquam* sit e medio altaris recedendum ad abluendos digitos; in *Missis non solemnibus* e contra *semper* e medio sit ad cornu Epistolae progrediendum (licet rubrica de hoc progressu sileat). Haec sententia ipsorum auctorum decreti atque interpretatio praeclare confirmatur ex universali ac constanti omnium totius Urbis ecclesiarum praxi. Cf. Attestat. Romani s. Theologiae Professoris apud Falise p. 77: „Dum revertitur e cornu Epistolae in medium altaris, digitos purificatorio abstergit."

Communione distribuenda *descendere et reverti per gradus anteriores, et non laterales altaris.* 15. Sept. 1736 in u. Tolet. ad 8.

Dum Celebrans administrat sacram Communionem in Missa privata, minister *non* debet eum comitari cum cereo accenso; sed quum purificationem, utpote quae pro populo non est in usu[1], non praebeat, nec mappam Communionis, utpote cancellis affixam, ante communicantes sustineat, tunc debet manere genuflexus in latere epistolae. 12. Aug. 1854 ad 72. (Anal. II. p. 2188 sqq.)

Servetur consuetudo dividendi consecratas particulas, si adsit necessitas. 16. Mart. 1833 in u. Veron. ad 1.

In Communione quae inter Missae sacrificium peragitur, *minister sacrificii, non ratione praeeminentiae, sed ministerii, praeferendus est ceteris quamvis dignioribus.* 13. Jul. 1658 in u. Galliar.

Patenae suppositio per sacerdotem cotta indutum in Communione generali, quae per Dignitates agitur, retinenda est. 3. Sept. 1661 in u. Andrien. — *Non* potest sacerdos sanctam Communionem sive intra sive extra Missam administrans tenere patenam inter digitos manus sinistrae, quae sacram pixidem gestat, ut eam sic mento communicantium supponat, sed *cura et solertia sacerdotis supplere debet,* ut praecaveatur sacrorum fragmentorum disperditio. 12. Aug. 1854 ad 21 et 22. loc. cit.

Quando sacra Communio ministratur Monialibus ad fenestrellam clausurae, et muri crassitudo impedit, quin sacerdos prope os communicantium pixidem admovere possit ad praecavendum ne fragmenta cadant extra ipsam, licet in hoc casu servare consuetudinem

---

[1]) Juxta Merati (Comment. ad hanc rubr. n. 34) haec purificatio retinetur solummodo „in aliquibus ecclesiis." Ubi illa non est in usu, ejusmodi consuetudo servanda est. 12. Aug. 1854 ad 23. loc. supra cit.

apponendi supra linteum ante communicantes extensum laminam argenteam deauratam seu bacile ejusdem materiae ad recipienda fragmenta quae decidere possunt, ut inde a sacerdote, postquam ad altare regressus fuerit, colligantur. 12. Aug. 1854, ad 24. l. cit. — Usus inter quasdam sanctimoniales inductus, ut, dum ad sacram Eucharistiam accedunt, ipsae et puellae earum curae commissae propriis manibus accipiant et sustentent patenam deauratam, ne fragmenta decidant, quam una alteri communicaturae successive porrigit, *permitti potest, dummodo non sit eadem patena quae sacrificio Missae inservit, sed tantum communicandis tradatur*. 17. Sept. 1853 in u. Rom.

Non licet iis qui non sunt episcopi, in administrando populis Ss. Sacramento manum porrigere osculandam, et contraria consuetudo est abusus omnino tollendus. 22. Nov. 1659 in u. Materan.

Ad §. XII. *De benedictione in fine Missae, et evangelio sancti Joannis.*

1. *In fine Missae ad quodcumque altare celebratae fit reverentia Cruci infra gradus, capite discooperto.* 13. Febr. 1666 in decret. ad Missal. ad 9.

2. *Arbitrio et prudentiae Ordinarii* relinquitur inducere praxim lavandi manus in fine Missae, postquam Celebrans exuerit vestes sacerdotales, in dioecesim, in qua non est in usu; *sed non* inducatur *per modum praecepti.* 12. Aug. 1854 ad 28. (Anal. II. p. 2193.)

Ad §. XIII. *De Missa pro Defunctis.*

1. In Missa de Requiem Sacerdos ponere debet manum sinistram super altare, dum facit dextera signum crucis ad Introitum. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 42.

2. In Missis de Requiem *non* sunt recitanda verba: „Per evangelica dicta.“ 11. Sept. 1847 in u. Veron. ad 12.

3. *In Missis de Requiem non* est inclinandum caput, dum occurrit in Canone nomen Sancti, de quo

ea die fit festum vel commemoratio. 12. April. 1823 in u. Panorm. ad 13.

4. *In Missis defunctorum, seu in paramentis nigris, non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti, extrahendo pixidem e custodia; potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est, quando fidelibus praebetur Communio cum particulis infra eamdem Missam consecratis.* 2. Sept. 1741 in u. Aquen. ad 4; 23. Mai. 1835 in u. Veron.

5. In quaestione: an toleranda consuetudo celebrandi Missas de Requiem in paramentis violaceis, ad hoc ut possit praeberi sacra Communio cum particulis praeconsecratis? *serventur rubricae*[1]. 22. Sept. 1837 in u. Mutin. ad 3.

6. *In Missa semper* dicitur: *Requiescant,* sive celebretur pro uno, sive pro pluribus defunctis. 22. Jan. 1678 in u. Urbis.

Ad §. *De Paramentis*[2].

1. *Non* licet uti colore flavo vel caeruleo in Sacrificio Missae et expositione Sanctissimi Sacramenti. 16. Mart. 1833 in u. Veron. ad 4.

Usus caerulei coloris veluti abusus est eliminandus. 23. Febr. 1839 in u. Congr. Obl. ad 2.

---

[1]) Rubricae general. tit. XVIII, n. 6. postulant simpliciter colorem nigrum in Missis Defunctorum. Attamen Maurel De Indulgentiis (Paris. 1860, Ed. VI, p. 359) refert decret. S. Rit. Congr. d. 16. Febr. 1852: „Ut fruatur altari privilegiato, sacerdos diebus non impeditis celebrare debet Missam Defunctorum, et uti paramentis nigris vel *ex rationabili causa violaceis.*" In Collect. Gardell. hoc decretum desideratur. Cf. Caerem. Episc. lib. II, c. 25, n. 6 (de feria VI. in Parasceve): „Episcopus et omnes utuntur paramentis nigris, si haberi possint, et deficientibus nigris, coloris violacei." In u. Rom. d. 16. Sept. 1801 *arbitrio Superioris localis* committitur, ut occurrente die Commemorationis omnium fidelium defunctorum in ecclesia, ubi Expositio XL horarum celebratur, in Missa solemni et privatis Defunctorum adhiberi faciat paramenta violacea. — Teste Gardellinio (Comm. in Instruct. Clement.) modo id in ejusmodi casu Romae praecipitur.

[2]) Vide supr. p. 285.

2. Paramenta coloris flavi adhiberi *non* possunt pro quocumque colore, nigro excepto. 22. Sept. 1837 in u. Mutin. ad 8. — Sacra paramenta coloris aurei inservire *non* possunt pro coloribus albo, viridi, rubro. 29. Mart. 1851 in u. Adrien. ad 5.

3. In quaestione: an possit continuari usus illarum ecclesiarum, quae pro colore tam albo quam rubro, viridi et violaceo, utuntur paramentis vel flavi coloris vel mixtis diversi coloris floribus? praesertim si colores a Rubricis praescripti in floribus reperiantur? *servetur strictim rubrica quoad colorem paramentorum*[1]. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 54; 19. Dec. 1829 in u. Vicen.

Ad §. *De praeparatione altaris et ornamentorum ejus*[2].

1. *Quoad altaria cum integra lapidea mensa, quoties fractura sit enormis, mensa omnino renovanda et ab Episcopo consecranda erit; secus licebit super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno vel altero cornu.* 3. Mart. 1821 in u. Carp.

2. Altare fixum, si mensa a stipite separata fuerit, *debet denuo consecrari.* 23. Mai. 1835 in u. S. Sever.

3. Altare cujus sepulchrum, aliis remanentibus consecrationis vestigiis, invenitur sacris Reliquiis vacuum, *indiget nova consecratione.* Idem dicendum, si obseratae quidem inveniantur sacrae Reliquiae, sed deleto episcopali sigillo, super sepulchrum hispanica cera impresso, *quia non constaret de Reliquiarum identitate et authenticitate.* 23. Mai. 1846 in u. Cadurc., 3. Jul. 1846 in u. S. Flori.

Consecrationem porro amittit altare, quando *fractum* est *sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam solummodo si hoc amotum fuerit. Ac semel exe-*

1) Quoad colorem nigrum cf. supr. pag. 299. — 2) Vide supr. p. 285.

crata ara, vel fixa vel mobilis, ex communi jure nova indiget consecratione. 23. Sept. 1848 in u. Bituric.

4. Parva crux cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum ligneum, in quo inclusum asservatur Ss. Sacramentum in Altari, *non est sufficiens* in adimplementum Rubricae volentis, quod in Altari, dum celebratur Missa, debeat apponi crux in medio candelabrorum; *sed poni debet alia crux in medio candelabrorum*[1]; si vero in Altari adest magna statua Ss. Crucifixi, haec *est sufficiens, et non indiget alia cruce,* quae apponatur, dum celebratur Missa. 16. Jun. 1663 in u. Rossan. — *Abusus* collocandi parvam crucem vix visibilem vel supra Tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco crucis collocandae inter candelabra, ut rubrica praescribit, *reprobandus* est, *et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam populo.* 17. Sept. 1822 in u. Dub. ad 8. — Tolerari *non* potest, ut tempore Missae et Officiorum candelabra Altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel tela permaneant vestita, imo ut et ipsa crux eodem modo involvatur, posita alia cruce minori prae cruce Altaris pretiosiore sic obtecta. 12. Sept. 1857 ad 11.

5. Cruces altarium *non* sunt benedicendae de prae-

---

1) Caerem. Episc. lib. I, c. XII, n. 11: In medio candelabrorum collocabitur Crux .... praealta, ita ut pes Crucis adaequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat, cum imagine Crucifixi versa ad anteriorem altaris faciem. — Ipsa candelabra non sint omnino inter se aequalia, sed paulatim quasi per gradus ab utroque altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus crucis posita. — *Excusat* vero *ab hac Caeremonialis praescriptione observanda,* si ex longa consuetudine in tota dioecesi usus obtinet, quod candelabra sint omnino inter se aequalia. 21. Jul. 1855 in u. Brioc. ad 9.

cepto, adeoque simplex sacerdos potest eas benedicere private. 12. Jul. 1704 in u. Urbis.

SUMMARIUM CAEREMONIARUM MISSAE PRIVATAE.

Quum S. Rituum Congregatio die 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 29. edixerit: *Patebit ex rubricarum collatione,* quando in Missa facienda sit reverentia simplex, quando mediocris et quando profunda tam in sacristia quam in altari etc., ejusmodi collationem breviter instituendam censuimus. Quod ut accuratius fieret, singula capita cum epitome Romae anno 1838 ad usum Collegii Urbani edita sedulo comparavimus.

I. *Inclinationes.*

Tres distingui solent. Prima est *capitis,* quae trahit secum modicam etiam humerorum inclinationem. Secunda *mediocris,* quae fit paulo magis inclinando caput et humeros. Tertia *profunda* seu integra, in qua ita flectuntur caput et corpus, ut in modum crucis manus ambae dispositae utrumque genu facile contingant.

Inclinatio capitis.

Celebrans caput inclinat:

1. Disposito calice in medio altaris, antequam vadat ad cornu epistolae, ut ibi missale super cussino vel lectorili aperiat.

2. Quoties transit ante crucem, vel accedit aut recedit ab ea, nisi mox ante vel post fecerit aut facere debeat eamdem seu majorem reverentiam.

3. Ad ℣. *Gloria Patri et Filio* etc.

4. Ad haec hymni *Gloria in excelsis* verba: *Deo; Adoramus te; Gratias agimus tibi; Jesu Christe; Suscipe deprecationem nostram;* iterum *Jesu Christe.*

5. Quoties dicit *Oremus.*

6. Proferendo nomen *Jesu, Mariae,* Sanctorum de quibus dicitur Missa aut fit in officio memoria specialis, et Papae viventis.

7. Cum sub *Credo* dicit: *In unum Deum; Jesum Christum; simul adoratur.*

8. Initio Praefationis, cum dicit *Deo nostro.*

9. Ad utrumque *Memento,* dum facit mentaliter commemorationem vivorum et defunctorum, demissum habet aliquantulum caput.

10. Cum dicit: *Tibi gratias agens,* ante utramque consecrationem.

11. Ad verba utriusque consecrationis, cubitis super altare positis.

12. Cum dicit: *Per eumdem Christum,* ante *Nobis quoque peccatoribus.*

13. Ad *Agnus Dei* etc.

14. In Quadragesima, cum dicit: *Humiliate capita vestra Deo.*

15. Ad *Placeat tibi s. Trinitas* etc.

16. Cum absolvit haec verba: *Benedicat vos omnipotens Deus.*

Nota. Cum Ss. Sacramentum patenter expositum est, versus illud fiunt inclinationes quae fierent versus crucem, si Ss. non esset praesens; sed inclinatio quae ad nomen Mariae, Sanctorum et Papae facienda est, fit semper versus librum. Item inclinatio ad nomen Jesu, quando profertur in legendo Evangelium. — Observanda autem sunt quae sequuntur S. Rituum Congreg. decreta:

Non debet celebrari Missa in altari, ubi est expositum Ss. Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo; et si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto, et non cum Sacramento. 13. Jun. 1671 in u. Angelopol. ad 6.

Non licet celebrare Missas in altari, exposito in eodem Ss. Sacramento, stante praesertim, quod adsint alia altaria, in quibus celebrari possint. 9. Aug. 1670 in u. Bonon.

Consuetudo, in feriis II, III. et IV. majoris hebdomadae celebrandi sacrosanctum Missae sacrificium in eodem altari, in quo publicae fidelium venerationi est expositum Ss. Eucharistiae Sacramentum, *tamquam abusus eliminanda* est. 11. Mart. 1837 in u. Feretr.

Juxta decreta omnino servanda non licet Missam decantare in altari, ubi Ss. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium venerationi patet expositum. 7. Sept. 1850 in u. S. Miniat.

In Missa coram Ss. Sacramento exposito celebrata *sacra Eucharistia non distribuatur.* 12. Nov. 1831 in u. Tarent[1].

---

[1]) Ceterum quae observari debent in Missis coram Ss. Sacramento exposito celebratis, vide in Commentariis Gardellinianis

Inclinatio media.

Haec fit quoties in rubrica absolute *aliquantulum* esse inclinandum praescribitur, velut:

1. Ad versum *Deus, tu conversus* etc., usque ad *Aufer a nobis* exclusive.
2. Ad *Oramus te, Domine* etc.
3. Ad *In spiritu humilitatis.*
4. Ad *Suscipe, sancta Trinitas* etc.
5. Ad *Sanctus* usque ad *Benedictus qui venit* exclusive.
6. Ad tres orationes ante communionem.
7. Ad *Domine, non sum dignus* etc.
8. Dum sumit corpus Domini.

Inclinatio profunda.

Fit a celebrante:

1. Cruci in sacristia, cum discedit ut eat ad altare, et cum reversus est.
2. Cum pervenerit ante infimum altaris gradum, si ibi non asservetur Ss. Sacramentum.
3. Ubi descendit sub infimum altaris gradum, antequam Missam incipiat, si non adsit Ss. Sacramentum.
4. Cum dicit *Confiteor* etc., donec ministro dicenti *Misereatur tui* etc., responderit *Amen.*
5. Cum dicit: *Munda cor meum* etc., *Jube, Domine, benedicere* etc., *Dominus sit in corde meo* etc.
6. Initio Canonis, cum dicit *Te igitur* etc., usque ad *petimus* inclusive.
7. Cum dicit *Supplices te rogamus* etc., usque ad *ut quotquot* inclusive.
8. In fine Missae, ante infimum altaris gradum, antequam accipiat biretum, si in eo non est tabernaculum Ss. Sacramenti.

---

ad Instruct. Clementinam §. XXX, et in op. de Cultu Ss. Sacram., a can. W. A. Maier conscripto (Ratisbon. 1860) pag. 328 sqq.

II. *Celebrans seipsum signat signo crucis:*

1. Initio Missae, dicens: *In nomine Patris* etc.

2. Cum dicit: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

3. Cum dicit: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum.*

4. Cum incipit Introitum, exceptis Missis Defunctorum, in quibus non se, sed librum signat, manu dextra extensa, quasi aliquem benedicens.

5. In fine hymni *Gloria in excelsis,* dicens: *Cum sancto Spiritu* etc.

6. Ad duo Evangelia signum crucis facit pollice dextrae manus super librum, deinde super se, in fronte, ore et pectore.

7. In fine Symboli, dicens: *Et vitam* etc.

8. In fine Praefationis, dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

9. Ad haec verba Canonis: *omni benedictione coelesti et gratia repleamur.*

10. Antequam dicat: *Da propitius pacem* etc., cum patena.

11. Cum dicit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi* etc., facit signum crucis cum hostia; et mox cum calice, dicendo: *Sanguis Domini nostri* etc.

III. *Extendit manus, elevat usque ad humeros, et deinde statim jungit ante pectus:*

1. Cum dicit: *Gloria in excelsis Deo.*

2. Cum dicit: *Veni, sanctificator* etc.

3. Ad *Te igitur,* initio Canonis.

4. Ad *Benedicat vos omnipotens Deus.*

5. Cum dicit *Sursum corda,* elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus, easque jungit, cum dicit *Gratias agamus.*

6. Cum dicit Episcopus *Pax vobis* [1].

---

[1]) Juxta Caerem. Episc. l. II, c. VIII, n. 39. — Confer etiam regulas Caeremonialis Episcoporum lib. I, cap. XIX. „De ordine

Extendit et jungit ante pectus:

1. Ad *Oremus* ante *Aufer a nobis* et Offertor.
2. Ad *Dominus vobiscum* versus populum.
3. Ad *Orate fratres.*
4. Ad *Oremus* ante Orationes in cornu epistolae extendit, jungit, statimque iterum extendit manus.

Elevat, extendit et jungit ante pectus:

Ad *Credo in unum Deum.*

Elevat ante pectus vel faciem et jungit:

1. In utroque *Memento.*
2. Dicendo: *fiat dilectissimi Filii tui.*
3. Post Hostiae sumptionem.

IV. *Junctas tenet manus super altare:*

1. Cum dicit: *Oramus te, Domine,* usque ad *quorum reliquiae hic sunt,* exclusive.
2. *In spiritu humilitatis* etc.
3. *Suscipe, sancta Trinitas* etc.
4. *Te igitur, clementissime Pater* etc., usque ad *petimus* inclusive.
5. Cum genuflectit, ante elevationem hostiae.
6. Ad *Supplices* etc., usque ad *ut quotquot* inclusive.
7. Ad tres Orationes ante Communionem.
8. Ad *Placeat tibi sancta Trinitas* etc.

V. *Habet manus extensas ante pectus.*

1. Ad Orationes quas dicit initio Missae, ad Orationes Secretas, et Postcommunionem.
2. Ad Praefationem et per majorem Canonis partem.
3. Ad Orationem Dominicam.

---

et modo jungendi, disjungendi, elevandi, tenendique manus per Episcopum aut alium Celebrantem," ubi ejusmodi actus ita describitur: „Dicturus *Gloria* etc. *Dominus vobiscum* vel *Credo* etc. et similia, manus junctas tenens, cum ea verba incipit proferre, aliquantulum disjungit, et mox, dum pronuntiat ultima verba ex praedictis eas iterum *ante oculos elevatas* jungit."

VI. *Habet manus junctas ante pectus:*

1. Ab initio usque ad *Gloria* inclusive, excipe dum se signat, percutit pectus, dicit *Oremus,* osculatur altare, dicit *Gloria.*

2. Dum vertit se ad populum vel graditur.

3. In conclusione Oration. *Per Dominum nostrum* vel *In unitate.*

4. Dicens *Munda cor meum* etc. et *Dominus vobiscum* ante utrumque evangelium.

5. Dum legit utrumque evangelium.

6. Dum recitat Symbolum.

7. Dum legit Offertorium.

8. Dum dicit: *Gratias agamus* in Praefatione.

9. A *Sanctus* ad *Benedictus.*

10. Dum orat in utroque *Memento.*

11. A *Praeceptis salut.* usque ad *Pater noster.*

12. Ab *Agnus Dei* usque ad primam percuss. pect., in Missis vero Def. usque ad ultim. *Dona eis req.*

13. Ad Antiphonam „Communio."

14. Ad *Ite Missa est,* vel *Benedic. Dom.,* aut *Requiesc. in pace.*

15. Cum aliquid est benedicturus.

VII. *Habet manus super altare separatim positas:*

1. Quoties osculatur altare, aut genuflectit.

2. Ad epistolam, nisi super librum eas ponat.

3. Ad haec verba Praefationis: *Per omnia saecula saeculorum,* et *Dominus vobiscum.*

4. Ad eadem verba: *Per omnia saecula saeculorum,* ante *Pater noster.*

VIII. *Ponit sinistram super altare:*

1. Cum dextera agit, nisi sinistram ponere debeat super librum, aut infra pectus, ut dicitur supra, in Ordine Missae, *tit. 3, n. 3, pag. 243 sq.*

2. Quoties signat hostiam, aut calicem, aut utrumque simul.

3. Cum dicit: *Nobis quoque peccatoribus.*

4. Per orationem: *Libera, nos, quaesumus, Domine.*

5. Ad *Miserere nobis* primi *Agnus Dei,* usque ad *dona nobis pacem* inclusive.

IX. *Ponit dextram super altare:*

1. Quoties sinistra vertit folium.

2. Ad *Domine, non sum dignus,* nisi cum percutit pectus.

X. *Osculatur altare:*

1. Ad haec verba: *Quorum reliquiae hic sunt.*

2. Antequam se vertat, ut dicat *Dominus vobiscum,* et *Orate, fratres.*

3. Post verbum *petimus,* initio Canonis.

4. Ad istas voces: *ex hac altaris participatione.*

5. Cum daturus est pacem, antequam dicat: *Pax tecum.*

6. In fine Missae, dicto *Placeat,* sive det benedictionem, sive non, ut in Missa Defunctorum.

XI. *Elevat oculos:*

1. Antequam dicat: *Munda cor meum.*

2. Ad *Suscipe, sancte Pater.*

3. Ad *Offerimus tibi, Domine,* per integram orationem.

4. Dicendo: *Veni, sanctificator.*

5. Ad *Suscipe, sancta Trinitas.*

6. Initio Praefationis, cum dicit: *Deo nostro.*

7. Antequam incipiat *Te igitur.*

8. Dicendo: *Et elevatis oculis,* usque ad *omnipotentem* ante consecrationem panis.

9. Ad duas elevationes Ss. Sacramenti, quod tunc habet ante oculos.

10. In fine Missae, dicendo: *Benedicat vos.*

XII. *Prolationes:*

Prolatio dicendorum in Missa triplex distinguitur: scilicet 1° *alta,* seu clara et intelligibilis, 2° *mediocris,* 3° *submissa.*

Dicit voce submissa:

1. *Aufer a nobis* etc.; *Oramus te, Domine* etc.
2. *Munda cor meum* etc.; *Jube, Domine, benedicere; Per evangelica dicta* etc.
3. *Suscipe, sancte Pater,* et alia quae sequuntur usque ad Praefationem exclusive, his duobus verbis, *Orate, fratres,* solum exceptis.
4. *Te igitur,* et caetera usque ad *Per omnia saecula saeculorum* ante *Pater,* exceptis tantum his verbis: *Nobis quoque peccatoribus.*
5. Ab *Amen* Orationis Dominicae inclusive, usque ad Antiphonam dictam *Communio* exclusive, praeter sequentia, nempe: *Per omnia saecula* etc. *Pax Domini* etc., *Agnus Dei* etc.; et quatuor haec verba: *Domine, non sum dignus.*
6. *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.

Voce mediocri:

1. *Orate fratres.*
2. *Sanctus* etc.; *Benedictus* etc.
3. *Nobis quoque peccatoribus.*
4. *Domine, non sum dignus*

Caetera omnia clara et intelligibili voce recitantur.

DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

EX MISSALI ROMANO.

I.

Sacerdos celebraturus omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad sacramentum Eucharistiae conficiendum.

Potest autem defectus contingere ex parte materiae consecrandae, et ex parte formae adhibendae, et ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, et

ordo sacerdotalis in conficiente, non conficitur sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest sacramenti. Alii vero sunt defectus, qui in Missae celebratione occurrentes, etsi veritatem sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato aut cum scandalo contingere.

II. *De defectibus materiae.*

Defectus ex parte materiae possunt contingere, si aliquid desit ex iis quae ad ipsam requiruntur. Requiritur autem ut sit panis triticeus, et vinum de vite; et ut hujusmodi materia consecranda, in actu consecrationis, sit coram sacerdote.

III. *De defectu panis.*

1. Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum.

2. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur.

3. Si coeperit corrumpi, sed non sit corruptus; similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiae Latinae, conficitur, sed conficiens graviter peccat.

4. Si celebrans ante consecrationem advertit, hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit.

5. Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia, facit oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur;* et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem corporis et sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam quam consecravit: quia praeceptum de perfectione sacramenti, majoris est ponderis quam quod a jejunis sumatur.

6. Quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua, et facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie,* ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam; ne sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo.

7. Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo: *Qui pridie quam pateretur,* facta ejus prius oblatione, ut supra [1].

IV. *De defectu vini.*

1. Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum.

2. Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

3. Si celebrans ante consecrationem sanguinis, quamvis post consecrationem corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice, debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo* etc.

4. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis: *Simili modo.*

5. Si hoc advertat post sumptionem corporis, vel hujusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum con-

[1]) Peccaret graviter Sacerdos, si hostiam in Missa consecratam reponeret in tabernaculo, et ejus loco sumeret hostiam, quae in eodem tabernaculo antea continebatur. Can. *Relatum* de Consecrat., distinct. II.

secrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi caetera.

6. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice.

7. Si autem Celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis; si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti.

8. Si materia quae esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda; ita tamen ut praetermittantur verba et signa quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum.

V. *De defectibus formae*

1. **D**efectus ex parte formae possunt contingere, si aliquid desit ex iis quae ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis quae sunt forma hujus sacramenti, sunt haec: *Hoc est enim corpus meum;* et: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti: mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis corporis et sanguinis, et in ipsa verborum immutatione

verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret.

2. Si Celebrans non recordetur se dixisse ea quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, et caetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

VI. *De defectibus ministri.*

Defectus ex parte ministri possunt contingere, quoad ea quae in ipso requiruntur. Haec autem sunt: inprimis intentio, deinde dispositio animae, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso, quoad ea quae in ipso possunt occurrere.

VII. *De defectu intentionis.*

1. Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere: item si aliquae hostiae ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare, nisi quas videt: item si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit; in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecratae; atque ideo quilibet sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

2. Si sacerdos, putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si

deprehendat post sumptionem corporis et sanguinis, aut etiam post ablutionem reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint, sive magnae, quia ad idem sacrificium spectant.

3. Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.

4. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur sacramentum; etsi curare debet sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

VIII. *De defectibus dispositionis animae.*

1. Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret, conficit quidem sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem ordinum, quae sibi erat interdicta.

2. Si quis habens copiam confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

3. Si quis autem in casu necessitatis, non habens copiam confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat; secus, si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri.

4. Si in ipsa celebratione Missae sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi.

5. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum: similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante conse-

crationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.

IX. *De defectibus dispositionis corporis.*

1. Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

2. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

3. Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquae praeter intentionem.

4. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem[1].

5. Si praecesserit pollutio nocturna, quae causata fuerit ex praecedenti cogitatione, quae sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam: abstinendum est a Communione et celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

---

[1]) Vide quae habentur pag. 320 sq.

X. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus.*

1. Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non sacro[1], vel non deputato ab episcopo, vel in altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto; si non adsint luminaria cerea[2]; si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter; si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit[3]: si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus; si vestes sacerdotales et mappae non sint ab episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedictae; si non adsit clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier[4]; si non adsit calix cum patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, non aerea, vel vitrea; si corporalia non sint munda, quae debent esse ex lino, nec serico in medio

---

[1]) Concil. Trident. Sess. XXII. De observ. et evit. in celebr. Miss.: „Ne patiantur locorum Ordinarii privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum Cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi." Item S. Rit. Congreg. 27. Aug. 1839 in u. Sedun.

[2]) In dubio super usu candelarum ex „stearina" confectarum *consulantur rubricae.* S. Rit. C. 16. Sept. 1843 in u. Massil.; et *nihil innovetur.* 7. Sept. 1850 (Corresp. de Rome p. 198). Attamen Missionariis in Oceania *permitti potest* usus candelarum efformatarum ex adipe ceti, nitore, puritate et lumine praecellentium, *dummodo preces veritate nitantur;* h. e. si pene impossibile sit in iis insulis pro Missa ceram vel (ut alias in casu indultum fuerat) oleum comparare, ita ut secus Missa omnino absque lumine celebrari deberet. 7. Sept. 1850.

[3]) Juxta communem theologorum, etiam Benedicti XIV. (in op. de Sacrif. Missae l. III, c. 13.) sententiam hic defectus non est gravis; et ex rationabili causa licet Missam ante Matutinum et Laudes celebrare.

[4]) *Mulieres* enim *servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.* Benedict. XIV. Constit. XLVII. *Allatae sunt.* §. 29. Attamen *urgente necessitate* potest sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis. S. R. C. 27. Aug. 1836 in u. Veron. ad 10.

ornata, et ab episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam superius dictum est[1]; si celebret capite cooperto sine dispensatione[2]; si non adsit missale, licet memoriter sciret Missam quam intendit dicere.

2. Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa; si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa; post consecrationem vero sacerdos accelerare poterit sumptionem sacramenti, omissis omnibus aliis.

3. Si sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, praetermittitur Missa: si post consecrationem corporis tantum, ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum[3]. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia hostia consecrata, sacerdos qui Missam supplet, dividat hostiam; et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma corporis obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, et super eumdem calicem repetat integram formam, ab eo loco: *Simili modo postquam coenatum est;* vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre, et hostiam primi sacerdotis et sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum.

4. Si quis extra hujusmodi casus necessitatis integra sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.

---

1) Vid. pag. 240 et 287. — 2) Cf. pag. 286.

3) Sacerdos hujusmodi, qui Missam ab alio inceptam complevit, *non* potest licite eadem die alteram Missam celebrare, etiamsi in illa priori Missa, servandi jejunii causa, purificationem et ablutionem non sumpserit. S. R. C. 16. Dec. 1823 in u. Carpen.

5. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in calice, misceat parum aquae, offerat ut supra, et prosequatur Missam; si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid hujusmodi, et fiat nausea sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino, finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fieret ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sanguine.

6. Si aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum: et finita Missa, sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur.

7. Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat eo modo quo dictum est; et illa servetur in tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, et corruptae deinde mittantur in sacrarium.

8. Si sumendo sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat.

9. Si hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur: quod si illius hostiae jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum aut longam moram fieri poterit.

10. Si propter frigus, vel negligentiam, hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum; sed sacerdos Missam prosequatur, faciendo caeremonias et signa consueta cum residua parte hostiae, quae non est madefacta sanguine, si commode

potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa; et sumat pariter corpus et sanguinem, signans se cum calice, et dicens: *Corpus et Sanguis Domini nostri* etc.

11. Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liqueflat.

12. Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit, si usque ad tertium, linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra.

13. At si contingat totum sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo sanguine fiat ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco: *Simili modo postquam coenatum est*, facta prius tamen calicis oblatione, ut supra.

14. Si sacerdos evomat Eucharistiam, si species integrae appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.

15. Si hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi

cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.

16. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si sacerdos ignoret ritus et caeremonias in eo servandas: de quibus omnibus in superioribus rubricis copiose dictum est.

INSTRUCTIO PRO SACERDOTIBUS BINANTIBUS.

Sacerdos, si ex indulto eadem die plures Missas celebrat, in prima vel altera Missa ***non sumat purificationem***, sed in ultima tantum, et in prima vel altera Missa ***abluat digitos in aliquo vase mundo,*** ut habetur in rubrica pro festo Natalis Domini. *Neque* in prima vel altera Missa debet fieri ***purificatio calicis***, ut declaravit S. Rit. Congr. d. 16. Sept. 1702 in u. Portugall. Decrevit insuper die 16. Sept. 1815, ***unicum adhibendum esse calicem,*** si idem sacerdos bis eadem die, in locis etiam inter se dissitis celebrare debeat. Attamen accedentibus gravibus admodum difficultatibus in ecclesiis valde dissitis ab hac regula declinare licet ***et usus duorum calicum permitti potest*** juxta decretum d. 12. Sept. 1857, et tunc sequens S. Rituum Congregationis Instructio ex mandato Pii IX. P. M. d. 11. Mart. 1858 omnino servanda est:

„Quando sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporali ponat calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus* etc. et subinde in (alio) aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* etc. et abstergat manus. Hisce peractis calicem, super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio

rursus stet in medio altari et detecto calice inspiciat, an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, quum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimodo omittendum est, quia sacrificium moraliter durat et superexstantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

„Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae fundat, quantum vini prius posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari decedat.

„Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione (i. e. in Missa alterius diei) in calicem demittatur, vel gossipio aut stuppa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit exsiccanda, relinquatur, vel demittatur in piscinam.

„Quum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si ille ipso pro altera Missa indigeat, eum secum deferat, secus vero in altera Missa diverso calice uti poterit.“

RITUS CELEBRANDAE MISSAE SOLEMNIS.

EX MISSALI ROMANO.

I. DE PRAEPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATURI.

Nota I. Nihil habet sub hoc rubricarum titulo Missale Romanum, quod ad Missam solemnem Sacerdotis referatur. Quae autem de Missa solemni ab Episcopo vel Abbate usum Pontificalium

habente, vel etiam coram Episcopo Ordinario celebranda tum in hoc tum in aliis sequentibus titulis in Missali edicuntur, heic omittenda censemus, quia illae Missalis rubricae nonnisi parcae admodum sunt, et quia plenissime de sacris his functionibus in Caeremoniali Episcoporum agitur, quod ii in promptu habere debent, qui de ejusmodi majoribus caeremoniis semetipsos vel alios instruere volunt.

Nota II. *Subdiaconus et diaconus paramenta ipsis cum sacerdote communia eodem modo ac ille accipiunt et convenienter easdem quas ille recitant orationes. Ad tunicam subdiaconus dicit:* Tunica jucunditatis et indumento salutis indue me, Domine. *Et ad dalmaticam diaconus:* Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae; et dalmatica justitiae circumda me semper.

Ceterum de diaconi et subdiaconi officiis confer quae tradit Caerem. Episcop. lib. I. cap. IX. et X; et lib. II, cap. VIII.

II. DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

1. *In Missa solemni missale apertum super altare, Calix vero et alia necessaria praeparentur in credentia cooperta linteo*[1], *antequam sacerdos veniat ad altare. Ipse autem procedit cum diacono et subdiacono, qui capite cooperto, simul cum eo tenent manus junctas ante pectus; acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quae deinde collocantur super credentia. Et cum pervenerit ante infimum gradum altaris, ibi medius inter diaconum a dextris, et subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad altare, facit cum ipsis confessionem.*

2. *In Missa Pontificali omnia serventur, ut in Caeremoniali ordinatur: cujus ordinem Episcopus numquam praetermittat, quandocumque cum diacono et subdiacono paratis celebrat.*

---

[1]) Haec credentia in plano presbyterii a latere *epistolae* paranda est. Ita Rubr. gen. Miss. tit. XX. de praepar. alt. (supr. pag. 285) et Caerem. Episcop. lib. I, c. XII, nn. 19, 22. Calix in credentia paratus, cum reliquis pro Missa ibidem praeparatis, „cooperientur velo pulchriori, quo uti debebit subdiaconus, cum patenam tenebit.“ Ibid. n. 19. Neque crux, neque sanctorum imagines in credentia ponendae sunt. Ibid. n. 20.

III. DE PRINCIPIO MISSAE ET CONFESSIONE.

Nota. Quae sub hoc titulo ad Missam solemnem pertinent, inserta habes in rubricis ejusdem tituli pro Missa privata (pag. 243 sqq.) cum quorum contextu in Missali adeo nexa sunt, ut commode disjungi nequiverint.

IV. DE INTROITU, KYRIE ELEISON, ET GLORIA IN EXCELSIS.

1. *Sacerdos facta confessione ascendit cum ministris ad medium altaris, ubi dicto:* Oramus te Domine, *et osculato altari, ponit incensum in thuribulum, ministrante diacono naviculam, et thuriferario thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem, dicit:* Benedicite Pater reverende, *et osculatur cochlear, et manum Celebrantis ante et post. Celebrans ter incensum ponit in thuribulum, dicens interim:* Ab illo bene✝dicaris [1], in cujus honore cremaberis, Amen. *Et deposito cochleari, producens manu dextra signum crucis super thus in thuribulo, illud benedicit.*

Postea diaconus dimissa navicula, accipit thuribulum, et dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate et manu illius dextera: qui facta cruci profunda reverentia, eam ter incensat, nihil dicens: et facta iterum cruci reverentia, incensat altare, ter ducens thuribulum aequali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu epistolae: ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto thuribulo: et conversus ad altare, elevans manum, incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium: ubi facta cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus altaris triplici ductu usque ad cornu evangelii: et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu evangelii

---

[1]) Heic crucis schema invenitur depictum in „Ordine Missae." Sed vide infra decret. S. Congreg. Rit. 18. Dec. 1779 in u. Ord. Min. ad 23.

duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulae partem versus medium altaris, ut fecit in cornu epistolae: deinde manu aliquantum demissa, incensat anteriorem ejus partem seu frontem, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu evangelii usque ad medium altaris, et facta cruci reverentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu epistolae: ubi reddito thuribulo ipsi diacono, ab eo ipse solus incensatur.

Si vero in altari fuerint Reliquiae seu Imagines Sanctorum, incensata cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio altaris, primum incensat eas quae a dextris sunt, id est a parte evangelii prope crucem, bis ducens thuribulum; et iterum facta cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quae sunt a sinistris, hoc est a parte epistolae: deinde prosequitur incensationem altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiae vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.

Si in altari fuerit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit; quod item facit quotiescumque transit ante medium altaris.

Diaconus et subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti cum incensat, et cum transeunt ante crucem, semper genuflectunt[1].

2. *Deinde Celebrans, diacono a dextris ejus, subdiacono a dextris diaconi stantibus in cornu epistolae, signans se signo crucis incipit et legit Introitum; quo finito, junctis manibus alternatim cum Ministris dicit* Kyrie eleison.

3. *Cum vero intonat hymnum:* Gloria in excelsis Deo, *diaconus et subdiaconus, unus post alium,*

---

[1]) Cf. quae habet Caerem. Episc. lib. I, c. XXIII. clara omnino et enucleata de toto incensationis modo, ritu et ordine.

stant a tergo Celebrantis: postea ascendunt ad altare, et hinc inde, diaconus a dextris, subdiaconus a sinistris, cum Celebrante hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem.

Quod etiam servatur cum dicitur Credo; *et cum dicitur* Dominus vobiscum, *Oratio, Praefatio, et* Pater noster, *diaconus et subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.*

V. DE ORATIONE.

Cum dicitur: Dominus vobiscum *et Oratio, diaconus et subdiaconus stant retro post Celebrantem.* Flectamus genua *dicitur a diacono; a subdiacono vero:* Levate, *illo primum genuflectente, hoc primum surgente; Celebrans vero non genuflectit.*

VI. DE EPISTOLA, GRADUALI, ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

1. *Circa finem ultimae Orationis accipit subdiaconus ambabus manibus librum epistolarum, deferens illum supra pectus, et facta altari genuflexione in medio, vadit ad partem epistolae contra altare, et cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi diacono a dextris, et item Graduale, Tractum etc. usque ad* Munda cor meum. *Epistola cantata subdiaconus facit iterum genuflexionem altari in medio, ac redit ad Celebrantem, et genuflectens osculatur ejus manum, et ab eo benedicitur, praeterquam in Missis Defunctorum.*

2. *Postea idem subdiaconus accipit missale Celebrantis, defert ad cornu evangelii in altari, et ibi ministrat Celebranti: qui in medio altaris submissa voce dicto* Munda cor meum *etc., et deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per diaconum libro evangeliorum ad altare (quem librum super medium altaris diaconus deponit), benedicit et imponit incensum in thuribulum.*

Postea diaconus genuflexus ante altare dicit

manibus junctis: Munda cor meum *(ut supra pag. 252), et accipiens librum evangeliorum de altari, petit benedictionem a Celebrante, similiter genuflexus in superiori gradu altaris, dicens:* Jube domne benedicere.

Sacerdos respondet:

Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties Evangelium suum. In nomine Patris, et Filii, † et Spiritus sancti. Amen.

Et accepta benedictione et osculata Celebrantis manu, praecedentibus thuriferario et duobus acolythis cum candelabris accensis de credentia sumptis, vadit cum subdiacono a sinistris ad locum evangelii contra altare versus populum, ubi subdiacono librum tenente, medio inter duos acolythos tenentes candelabra accensa, dicit: Dominus vobiscum, *stans junctis manibus. Cum dicit:* Sequentia etc. *sive* Initium sancti Evangelii secundum N., *pollice dextrae manus signat librum in principio evangelii, quod est lecturus, deinde seipsum in fronte, ore, et pectore; postea, dum ministri respondent:* Gloria tibi Domine, *ter librum incensat, hoc est, in medio, a dextris, et a sinistris, et prosequitur evangelium junctis manibus.*

Interim Celebrans post datam diacono benedictionem retrahens se ad cornu epistolae, ibi stat junctis manibus. Et cum diaconus dicit: Sequentia sancti Evangelii, *sacerdos etiam signat se; et cum nominatur* Jesus, *caput inclinat versus altare.*

Finito evangelio sacerdos osculatur librum a subdiacono sibi delatum, dicens: Per Evangelica dicta *etc. et a diacono ter incensatur.*

3. *Postea stans in medio altaris versus ad crucem, incipit, si dicendum sit,* Credo, *stantibus post eum diacono et subdiacono: deinde ad altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad* Gloria in excelsis.

4. *Si autem sit praedicandum, Concionator*

finito evangelio praedicet, et sermone sive concione expleta, dicatur Credo, *vel, si non sit dicendum, cantetur Offertorium.*

5. *Cum vero in Symbolo cantatum fuerit:* Et incarnatus est, *diaconus accepta bursa de credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium altaris, in quo explicat corporale, et revertitur ad Celebrantem. Cum non dicitur* Credo, *subdiaconus defert bursam simul cum calice, ut infra dicetur.*

VII. DE OFFERTORIO ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

1. *Dicto* Oremus, *diaconus et subdiaconus accedunt ad altare in cornu epistolae, diaconus amovet calicem, si est in altari, vel, si est in credentia, ut magis decet, accipit eum de manu subdiaconi; qui illum cum patena et hostia, coopertum palla et velo a collo sibi pendente, manu sinistra tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de credentia detulit, comitatus ab acolytho ampullas vini et aquae portante. Ipse diaconus calicem detegit, et dat patenam cum hostia Celebranti, osculando ejus manum: subdiaconus extergit calicem purificatorio, diaconus accepta ampulla vini de manu subdiaconi, imponit vinum in calice; subdiaconus interim ampullam aquae ostendens Celebranti, dicit:* Benedicite Pater reverende, *qui facto versus eam signo crucis, dicit orationem:* Deus qui humanae etc. *Interim subdiaconus infundit paululum aquae in calicem; diaconus illum Celebranti dat, et pedem calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, cum eo dicit:* Offerimus tibi Domine etc.; *quem postea positum in altari ut supra palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu epistolae, ponit in dextra manu patenam, quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pendentis: qui vadit post Celebrantem ante medium altaris,*

et facta genuflexione ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicae, ut dicetur. In Missis autem Defunctorum, et in Feria sexta Parasceves, patena non tenetur a subdiacono.

2. *Dicto:* Veni sanctificator etc., *Celebrans, ministrante diacono naviculam, et dicente:* Benedicite Pater reverende, *benedicit et ponit incensum in thuribulum, dicens:*

Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene✠dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde accepto thuribulo per manum diaconi, nullam tunc faciens cruci reverentiam, incensat oblata, ter ducens thuribulum super calicem et hostiam simul in modum crucis, et ter circum calicem et hostiam, scilicet bis a dextra ad sinistram, et semel a sinistra ad dextram (diacono interim pedem calicis tenente manu dextra), dispensans verba quaelibet in incensatione, hoc modo:

In prima incensatione: Incensum istud, *in secunda:* a te benedictum, *in tertia:* ascendat ad te, Domine; *in quarta:* et descendat super nos, *in quinta et sexta:* misericordia tua.

Deinde facta reverentia, incensat crucem et altare, ut dictum est supra, assistente eodem diacono, interim dicens:

Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.

Et cum incensatur crux, diaconus amovet calicem ad partem epistolae, et incensata cruce reponit in loco suo. Cum reddit thuribulum diacono, dicit:

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae caritatis. Amen.

Et incensatur ab eo: deinde diaconus incensat chorum, et postremo subdiaconum tenentem patenam; et ipse diaconus incensatur a thuriferario, et thuriferarius postea incensat acolythos et populum.

Celebrans postquam incensatus fuerit, lavat manus, ministrantibus acolythis ampullam aquae cum pelvicula et manutergio.

3. *Cum dicitur Praefatio, diaconus et subdiaconus stant retro post Celebrantem: et paulo antequam dicatur* Sanctus, *accedunt ad altare, ubi cum Celebrante hinc inde dicunt* Sanctus, *et quae sequuntur usque ad Canonem.*

Deinde diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens dum dicitur Canon, nisi alius sacerdos assistat; quia tunc ipse staret ad dexteram aliquantulum post Celebrantem. Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem.

VIII. DE CANONE MISSAE USQUE AD CONSECRATIONEM.

1. *Ad finem Praefationis accenduntur duo saltem intorticia ab acolythis, quae extinguuntur post elevationem calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post communionem. In diebus etiam jejuniorum, et in Missis pro Defunctis tenentur accensa usque ad communionem.*

2. *Cum autem Celebrans dicit:* Quam oblationem etc., *diaconus accedit ad ejus dexteram, et ibi in superiori gradu altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbrias planetae elevat, et quando opus est, se erigens, calicem discooperit et cooperit, et cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco suo. Thuriferarius genuflexus in cornu epistolae ter incensat hostiam, cum elevatur et similiter calicem, posito incenso in thuribulum absque benedictione.*

Reposito calice, diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Ceteri surgunt, et stant in locis suis.

IX. DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

Cum Celebrans dicit: Per quem haec omnia etc., *diaconus facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, et quando opus est, discooperit calicem, et cum Celebrante adorat: similiter cooperit, et iterum genuflectit.*

Cum incipit: Pater noster, *idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat dum dicitur Oratio Dominica.*

X. DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

1. *Cum in Oratione Dominica dicitur:* Et dimitte nobis debita nostra, *diaconus facta retro post Celebrantem, ubi stabat, genuflexione, vadit ad dextram Celebrantis: et subdiaconus circa finem Orationis Dominicae, facta item genuflexione, revertitur ad altare, et stans in cornu epistolae porrigit patenam diacono, qui eam discooperit, et purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, et quando opus est, discooperit, et cooperit calicem, et cum Celebrante adorat.*

Subdiaconus reddita patena, et deposito velo, quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, et descendit retro post Celebrantem; et cum dicitur: Pax Domini, *iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, et simul dicunt:* Agnus Dei. *Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus exspectat pacem: et cum Celebrans osculatur altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra corporale, et a Celebrante dicente:* Pax tecum, *complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet:* Et cum spiritu tuo.

Postea iterum Sacramento in altari adorato, vertit se ad subdiaconum retro post Celebrantem, et similiter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace a diacono, et facta altari genuflexione, comitatus ab acolytho vadit ad chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis; et reversus ad altare, facta genuflexione, dat pacem acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis acolythis circa altare dat pacem[1].

Deinde subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, discooperit calicem, accipit ampullam vini, et infundit quando Celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem subdiacono vadit ad librum; et dum Celebrans se communicat, stant ipse et subdiaconus profunde inclinati versus altare.

2. *Si in Missa solemni fiat communio, omnia serventur ut in Missa privata dictum est*[2], *sed prius communicet diaconum et subdiaconum, deinde alios per ordinem: et diaconus purificationem eis ministret. Interim a choro cantatur Antiphona quae dicitur* Communio.

XI. DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

1. *Facta purificatione a Celebrante, diaconus defert librum missalis ad cornu epistolae, deinde vadit retro post Celebrantem; subdiaconus vero vadit ad cornu evangelii, ubi calicem mundat, aptat cum purificatorio, patena et palla cooperit, plicat corporale, reponit in bursam, et illam ponit super calicem coopertum velo, quem collocat in altari, vel super credentia, ut prius. Postea redit ad locum suum retro post diaconum: qui cum dicit:* Ite Missa est, *cum Celebrante vertit se ad populum:*

---

[1]) Lege quae de pacis osculo dando distinctis verbis praescribit Caerem. Episcop. lib. I, cap. XXIV.

[2]) Vide supra pag. 274 sq., 296 sqq.

et in Quadragesima dicto per Celebrantem Oremus, *diaconus in cornu epistolae vertens se ad populum, junctis manibus dicit:* Humiliate etc., *quo dicto vertit se versus altare a tergo Celebrantis, et Celebrans dicit Orationem super populum.*

XII. DE BENEDICTIONE IN FINE MISSAE, ET EVANGELIO SANCTI JOANNIS.

Celebrans eadem voce et modo quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus (qui ter benedicit populo, ut in Caeremoniali habetur): et dicto Evangelio secundum Joannem, vel alio, ministrante subdiacono librum, si opus est, discedit cum ministris ordine et modo quo venerat.

XIII. DE HIS QUAE OMITTUNTUR IN MISSA PRO DEFUNCTIS.

1. *In Missa solemni non incensatur altare ad Introitum, et subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur. Diaconus dicit quidem* Munda cor meum, *sed non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantum acolythi sine candelabris stant unus a dextris et alter a sinistris subdiaconi tenentis librum evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber evangeliorum osculandus. Oblata et altare incensantur ut supra: incensatur solus Celebrans; et non incensantur alii. Subdiaconus non tenet patenam post Celebrantem; sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu epistolae illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem, quae porrigitur.*

2. *Si distribuendae sunt candelae, distribuantur post epistolam, et accendantur ad Evangelium,*

ad elevationem Sacramenti, et post Missam, dum fit Absolutio. Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante absolutionem.

XIV. DE IIS QUAE OBSERVANDA SUNT, QUANDO MISSA SINE MINISTRIS SACRIS CANTATUR.

Si quandoque Celebrans cantat Missam sine diacono et subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis; Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu evangelii, qui et in fine Missae cantat Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *aut* Requiescant in pace, *pro temporis diversitate.*

XV. DE HIS QUAE CLARA VOCE AUT SECRETO DICENDA SUNT IN MISSA.

In Missa solemni, quando dici debent, a Celebrante Gloria in excelsis, *et* Credo *intonantur, et cantantur* Dominus vobiscum, *et Orationes ante Epistolam,* Dominus vobiscum, Oremus, *ante Orationes et ante Offertorium, Praefatio,* Per omnia saecula saeculorum *cum* Pater noster, Per omnia saecula saeculorum *cum* Pax Domini, *et Orationes post Communionem. Alia quae in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni a Celebrante dicuntur submissa voce.*

XVI. DE ORDINE GENUFLECTENDI, SEDENDI ET STANDI IN MISSA SOLEMNI.

1. *In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia quae supra pro Missa privata dicta sunt (pag. 284), praeterquam ad* Flectamus genua; *et tunc ipse solus stat, diaconus vero et subdiaconus, et omnes alii genuflectunt. Ad versum vero:* Adjuva nos Deus etc., *et ad versum:* Veni sancte Spiritus etc. *genuflectit usque ad finem.*

Item genuflectit in die Annuntiationis B. Ma-

riae, et in tribus Missis Nativitatis Domini, quando cantatur in choro: Et incarnatus est etc.

Aliis diebus, si sedeat, cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantum profunde inclinat apertum; si non sedet, genuflectit.

2. *Ministri semper genuflectunt cum Celebrante, praeterquam subdiaconus tenens librum ad Evangelium, et acolythi tenentes candelabra; qui tunc non genuflectunt. Et cum diaconus cantat illa verba ad quae est genuflectendum, ipse versus librum, Celebrans et omnes alii versus altare genuflectunt.*

3. *In choro genuflectitur ab iis qui non sunt Praelati, ad Confessionem cum suo Psalmo. In Missis autem feriarum Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, et Vigiliarum quae jejunantur, ac in Missis Defunctorum genuflectunt omnes etiam ad Orationes, et dicto per Celebrantem* Sanctus, *usque ad* Pax Domini, *et ad Orationem post Communionem, et super populum; excepta Vigilia Paschae et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, et Quatuor Temporibus Pentecostes.*

Et similiter ab omnibus genuflectitur quando elevatur Sacramentum.

4. *In Missa item solemni Celebrans medius inter diaconum et subdiaconum sedere potest a cornu epistolae juxta altare cum cantatur* Kyrie eleison, Gloria in excelsis, *et* Credo: *alio tempore stat ad altare vel genuflectit, ut supra.*

5. *In choro non sedent, qui actu cantant; reliqui autem possunt sedere quando Celebrans sedet, et praeterea dum cantantur Epistola, et Prophetiae, Graduale, Tractus, vel* Alleluia, *cum Versu, ac Sequentia, et ab Offertorio usque ad incensationem chori, et si non incensatur, usque ad Praefationem, et ad Antiphonam quae dicitur Communio. Ad alia stant, vel genuflectunt, ut supra.*

XVII. DE QUALITATE PARAMENTORUM.

1. *Dalmatica et tunicella utuntur diaconus et subdiaconus in Missa solemni, et Processionibus, et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.*

2. *In diebus vero jejuniorum (praeterquam in Vigiliis Sanctorum) et in Dominicis et Feriis Adventus et Quadragesimae, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica* Gaudete, *etiam si ejus Missa infra Hebdomadam repetatur, et Dominica* Laetare, *Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato sancto in Benedictione Cerei, et in Missa, ac Quatuor Temporibus Pentecostes), item in Benedictione Candelarum et Processione in die Purificationis B. Mariae, et in Benedictione Cinerum, ac Benedictione Palmarum et Processione: in cathedralibus et praecipuis ecclesiis utuntur planetis plicatis ante pectus: quam planetam diaconus dimittit cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur: aut ponitur aliud genus stolae latioris in modum planetae plicatae; et facta Communione, resumit planetam, ut prius. Similiter subdiaconus dimittit eam cum lecturus est Epistolam, quam legit in alba; et ea finita, osculataque Celebrantis manu, planetam resumit ut prius.*

In minoribus autem ecclesiis, praedictis diebus jejuniorum alba tantum amicti ministrant: subdiaconus cum Manipulo, diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.

EX DECRETIS S. RITUUM CONGREGATIONIS.

Ad §. I. *De praeparatione Sacerdotis celebraturi.*

1. *Potest permitti, data necessitate,* quod deficiente subdiacono pro Missa solemni per Superiores substituatur constitutus in Minoribus ad cantandam epistolam, paratus absque manipulo. 5. Jul. 1698 in u. Coll. ad 18. — Tolerari vero *non* potest usus, Missam

solemnem celebrandi cum solo diacono vel subdiacono, cum praesto non est aliquis ministrorum. 16. Apr. 1861 in u. s. Jac. de Chile. — *Extra casum absolutae et praecisae necessitatis non potest a Superiore permitti, ut clericus in Minoribus pro subdiacono suppleat in Missis solemnibus paratus sine manipulo; et pro hujusmodi effectu ab episcopo abscindenda est consuetudo contraria.* 18. Dec. 1784 in u. Amerin. ad 1. — Permitti potest *in casu necessitatis,* ut *clericus* regularis subdiaconi officio fungatur in Missa solemni, *dummodo non sit alter* vel sacerdos vel in majoribus constitutus Ordinibus; qui ut subdiaconus inservire potest eidem Missae solemni. 22. Julii 1848 in u. Florent. ad 5. — *Consuetudo,* ubi desunt diaconi et subdiaconi pro caeremoniis Missarum solemnium, duos laicos sive juvenes sive uxoratos induendi vestibus sacris, nimirum amictu, alba, cingulo, tunica vel dalmatica, numquam tamen stola et manipulo, per Missam majorem, quorum alter diaconi munere fungi, alter subdiaconi ministerium adimplere censetur, quin tamen aliquam functionem ad hos sacros ordines pertinentem obeant, — *tamquam abusus omnino eliminanda, et in casu Missa cantetur per solum presbyterum.* 11. Sept. 1847 in u. Bles.

2. Quum in Missa solemni officia diaconi et subdiaconi adimpleri debent a duobus, quorum alter est ordinis presbyteralis, alter ordinis diaconalis, *indifferens est,* a quo ex his duobus subdiaconi munus expleatur. 7. Sept. 1850 in u. Paris. ad 4.

3. *Usus,* ut simplices sacerdotes (non praelati, neque ob insignem dignitatem privilegio muniti) praeter diaconum et subdiaconum adhibeant in Missa solemni presbyterum assistentem cum pluviali, *nequaquam permittendus, sed omnino tamquam abusus prohibendus est*[1]. 15. Mart. 1721 in u. Pistor.

---

[1]) Excipe primam Missam solemnem neopresbyterorum. Cf. supra pag. 105.

4. Diaconus et subdiaconus *non* debent adjuvare celebraturum, dum sacerdos induit vestes. 13. Jun. 1676 in u. Neapol. ad 3.

Ad §. II. *De ingressu Sacerdotis ad altare.*

1. In Missa solemni *non* possunt permitti duo Missalia, unum in cornu epistolae, aliud in cornu evangelii. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 13.

2. Diaconi, quando Celebrans facit reverentiam Cruci in sacristia, *non tenentur ad genuflectendum*, sicuti in altari genuflectunt, quando Celebrans Crucem salutat transeundo ante illam, et in accessu et recessu. 18. Dec. 1779 in u. Ord. Min. ad 20.

3. Celebrans post aspersionem aquae die Dominica, potest in medio altaris ante gradus se spoliare pluviali, et induere casulam eodem loco, *dummodo casulam non accipiat de altari.* 4. April. 1699 in u. Burg. s. Sep. ad 3.

4. A cantoribus in choro *non* potest incipi Introitus Missae, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad altare pervenerit. 14. April. 1753 in u. Conimbr. ad 7.

5. *Non licet* sacerdoti Missam solemniter celebranti facere Confessionem a cornu epistolae, praesente ibidem rege vel alio simili principe loci, qui sit magnus et supremus, non recognoscens superiorem. 18. April. 1643 in u. Januen.

Ad §. IV. *De Introitu, Kyrie et Gloria.*

1. Servari *non* potest consuetudo, qua diebus non festivis in Missa conventuali (cum ministris sacris celebrata) non adhibetur incensum. 14. April. 1753 in u. Conimbr. ad 3; sed omnino „adhibenda sunt ceroferaria et apponendum incensum.“ 14. Jun. 1845 in u. Macerat. ad 1. — Episcopus tolerare *non* potest, quod canonici Missam solemnem, etiamsi sit de Requiem, cum diacono et subdiacono aliquando cantent nulla adhibita incensatione. 29. Nov. 1856 in u. Salut. ad 6.

2. Diaconus ministrans thus canonico celebranti, *dicat: „Benedicite, Pater Reverende;"* non vero: Pater Revme. 4. April. 1699 in u. Burg. s. Sep. ad 6.

3. Diaconus, etsi sit canonicus, Celebrans vero neque canonicus, neque in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus, *tenetur* in Missa solemni, porrigendo cochlear, patenam, calicem, et post petitam benedictionem evangelii, osculari manum Celebrantis; et oscula hujusmodi *non* sunt omittenda. 4. Jun. 1817 in u. Dubior. ad 5, et 22. April. 1690 in u. Urbis.

4. Ad quaestionem: an in impositione thuris debeant proferri verba: „Ab illo benedicaris," quando imponitur incensum in thuribulo, ut videtur insinuari in rubrica generali, vel dum efformatur signum crucis, ut exequitur in rubrica particulari (in Ordine Missae), in qua crucis effigies invenitur inserta in verbo „Bene✝dicaris," uti etiam similiter fit in omnibus aliis benedictionibus, ubi crux manu describitur illo in verbo, ubi crucis schema extat depictum? *serventur rubricae generales Missalis Romani cap. IV. de Introitu, n. 4*; *et Caeremoniale Episcoporum lib. I, cap. XXIII, §. 1 et 2*[1]. 18. Dec. 1779 in u. Ord. Min. ad 23.

5. *Non est de necessitate, in sculptis Sanctorum imaginibus in altari dispositis sacras includere Reliquias, ad hoc ut, incensata Cruce, valeant illae a Celebrante thurificari.* 21. Mart. 1744 in u. Bergom. ad 4.

---

[1]) Heic servanda praecipiuntur: „Cum acolythus affert thuribulum cum prunis ardentibus sinistra, naviculam autem cum thure et cochleari dextera, ad Celebrantem, diaconus accipit de manu praedicti acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea existens, cum osculo cochlearis et manus episcopalis (Celebrantis), et offert eam episcopo (Celebranti) dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime (Reverende).* Episcopus (Celebrans) vero, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex navicula thus, illudque etiam ter in thuribulum mittit, dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis.* Quo facto ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse episcopus (Celebrans) format manu dextera signum crucis super thus in thuribulo." — Cf. supr. pag. 323.

6. *Non tenentur juxta dispositionem Caeremonialis* diaconus et subdiaconus, qui sunt canonici, in Missa solemni genuflectere, transeuntes per medium altare[1], quando super hoc asservatur Ss. Sacramentum. 13. Sept. 1670 in u. Benevent. ad 3.

Ad §. VI. *De Epistola usque ad Offertorium.*

1. In Missa conventuali, quando decantatur Evangelium, ceroferarii cum cereis accensis assistere, et diaconus, quotiescumque thurificatur altare, incensum ministrare *tenetur*. 5. Sept. 1648 in u. Benevent. ad 4.

2. *Quoniam libri osculandi oblatio Celebranti* post cantatum Evangelium *facienda non modo maxime decens est, sed etiam mysterio non caret, et Celebrans, antequam „Credo" incipiat, thurificandus est a diacono, sine cujus et subdiaconi assistentia inconveniens est, ut „Credo" intonet; ideo omnino exspectandum est Celebranti, donec subdiaconus ei librum offerat osculandum, et a diacono incensetur*. 17. Nov. 1592 in u. Abulen. ad 3. — *Nullo modo dandum est Evangelium* (postquam cantatum vel lectum fuit) *ad osculandum saecularibus, etiam Praesidi, in celebratione Missarum*. Iisdem saecularibus *prohibitus est usus baldachini et assistentia in presbyterio*. Decret. generale 13. Mart. 1688[2].

3. *„Credo" in Missa solemni dici debet post concionem, non ante, juxta rubricas Missalis et consuetudinem Romanae ecclesiae*. 16. Mart. 1591 in u. Oscen. ad 8.

4. *Non* potest Celebrans, dicto „Munda cor meum . . ." benedicere incensum et diaconum, et Evangelium legere, dum illud cantatur; neque Missam prosequi

---

1) Subintellige: nisi quando Celebrans ipsi genuflectere tenetur. Cf. pag. 324.

2) Juvat addere, quae praecipit Caeremoniale Episcoporum lib. I, c. XXIX, n. 9: „Si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus porrigendus esset, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus (Celebrans), sed alius liber consimilis illi porrigatur."

statim ac a choro cantatus sit versiculus Symboli „Et incarnatus est.“ 16. Apr. 1861 in u. s. Jac. de Chile. — *Non potest* Celebrans prosequi Missam, dum cantatur Symbolum. 13. Sept. 1670 in u. Benevent. ad 11.; 17. Dec. 1695 in u. Januen.

Ad §. VII. *De Offertorio usque ad Canonem.*

1. *Non videtur sub quovis praetextu consuetudinis excusandus diaconus. Evangelii, quin chorum thurificet juxta regulas libri Caeremonialis.* 15. Mart. 1608 in u. Alexandr. ad 10. — *Non licet,* quod, si clerus sit numerosior, diaconus thurificatis dignitatibus et canonicis, alium subdeleget, qui reliquos de choro thurificet; *sed servanda est dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. I. c. XXIII.* 31. Mart. 1640 in u. Placent.

2. *Circa thurificationem forma libri Caeremonialis Episcoporum lib. II. cap. III.* (nn. 11, 12) *servanda est, ut scilicet Celebrans tantum triplici ductu thuribuli, dignitates et canonici duplici ductu, ceteri vero de choro unico ductu thuribuli thurificandi sint.* 30. Jan. 1616 in u. Valcuv.; 20. Jun. 1686 in u. Altamur. — Seminarii episcopalis alumni choro assistentes cota induti *incensandi sunt per modum unius.* 3. Aug. 1839 in u. Bobien. ad 4.

3. *Thurificatio* (nisi adsint specialia jura) *incipienda est a parte digniore, ea vero ordine successive absoluta, continuenda est ab altera parte, facto initio a digniore illius partis.* 26. Sept. 1643 in u. s. Marci. *Quod si dignitates sunt distributae in utraque parte chori, primo loco thurificari debent dignitates et immediate canonici existentes in parte dextera chori a cornu evangelii, et postea dignitates et canonici existentes in altera parte chori a cornu epistolae, juxta dispositionem Caeremonialis Romani.* 17. Jun. 1673 in u. Venusin.; 20. Jul. 1686 in u. Altamur. ad 3. Si in una parte tantum adsunt dignitates, *servandum est Caeremo-*

niale, nempe incipiendum est a latere, ubi adsunt dignitates. 17. Mai. 1692 in u. Altamur.

4. Magistratus est thurificandus[1], *et serventur decreta.* 22. April. 1690 in u. Baren. ad 2. — *Thuris et Pacis honor inter Missarum et Vesperarum solemnia mulieribus non debetur, juxta libri caeremonialis dispositionem*[2], ideoque canonici *prohibendi sunt, ne id faciant, etiamsi quaevis adesset contraria consuetudo, quam abusum esse* declaravit S. Rituum Congregatio. 3. Jun. 1617 in u. Lucerin.

5. In Missa solemni quando chorus existit in loco superiori et ab altari remoto, debet incensari, si *chorus existat intra ambitum et aream ecclesiae*[3], minime vero, *si* existat *in loco, ad quem accedere nequeant, nisi exeundo ab ecclesia.* 18. Dec. 1779 in u. Ord. Min. ad 22. — Quando contingit celebrari Missam solemnem in altari laterali, etiam tunc chorus existens post altare majus est incensandus, *quia chorus interveniendo Sacerdoti respondet; et idcirco etiam ad osculum pacis est admittendus.* 16. April 1853 in u. Ord. Min. ad 28.

6. *Non* potest Celebrans omittere cantum Praefationis et Orationis Dominicalis, ne iis quidem diebus, quibus habetur concio. 16. Apr. 1861 in u. s. Jac. de Chile.

7. In quaestione: an subdiaconus ad „Sanctus" ascendere debeat cum diacono ad altare ad dicendum „Sanctus" cum Celebrante? *servetur cujuscumque loci consuetudo*[4]. 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 32.

---

[1]) Supponitur vero, quod magistratus ex officio, in corpore et in habitu consulari assistat Missae solemni, ut ex Caerem. Episcop. liquet. De ejus incensatione vide ibid. lib. I, c. XXIII, n. 30.

[2]) Reginis tamen et magnis Principissis hic thuris honor in Caer. Episcop. lib. I, c. XXIII, n. 31 conceditur.

[3]) Non improbatur vero, quod in hoc casu ejusmodi incensatio peragatur a thuriferario, postquam diaconus subdiaconum thurificavit, de quo usu in dubio sermo erat.

[4]) Quare praecepto rubricae (vid. pag. 329) hac in parte aliquatenus derogatum est, quemadmodnm pro Missa Pontificali derogat Caer. Episc. lib. I, c. X, n. 6; lib. II, c. VIII, n. 67.

Ad §. VIII. *De Canone usque ad Consecrationem.*

1. *Permitti* potest post Praefationem cantus rythmi „Divinum mysterium," *dummodo non omittatur solemne Trisagium.* 1. Sept. 1838 in u. Aret. ad 2. — In elevatione Ss. Sacramenti in Missis solemnibus cani potest „Tantum ergo," vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria. 14. April. 1753 in u. Conimbr. ad 6.

2. Ubi cantus chori non producitur ad elevationem hostiae, „Benedictus qui venit" *cantari debet post elevationem,* et non immediate post primum „Hosanna in excelsis." 12. Nov. 1831 in u. Mars. ad 33. (Cf. Caer. Episc. lib. II, c. 8).

Ad §. X. *De Oratione Dominica usque ad factam Communionem.*

1. *Dispositio P. Gavanti,* quod in recipienda Pace diaconus supponit brachia sua sub brachiis Celebrantis, et quod similiter id facere debet subdiaconus, accipiens pacem a diacono, *servanda est in omnibus.* 23. Mai. 1846 in u. Tuden. ad 9.

2. *Pax debet dari omnibus in choro interessentibus.* 15. Jul. 1724 in u. Leirien. — Pax potest dari a Subdiacono, stante consuetudine, domino loci, *dummodo pax non cum osculo, sed cum instrumento domino praedicto loci communicetur.* 21. Mart. 1609, 28. Jan. 1612 in u. Pacen. — Magistratui[1] datur Pax *cum instrumento ab aliquo ministro superpelliceo induto.* 5. Jun. 1614 in u. Calagur.; 10. Sept. 1718 in u. Veliter. ad 3; 9. Dec. 1730 in u. Bonon. ad 5; 25. Jun. 1735 in u. Anagn.; *servata tamen forma Caeremonialis lib. I, cap. XXIV.* (n. 6.) 22. April. 1690 in u. Baren. ad 1. Ad summum permittitur (in u. Barchin. d. 23. Mart. 1743 ad 1), quod Pax detur *magistratui cum instrumento ab eodem ministro, qui illum per osculum defert dignitatibus et canonicis, ceterisque choro interessentibus.*

[1]) Supponitur idem quod in thurificatione, supra pag. 341.

3. De Communione intra Missam solemnem.

Celebrans, qui non habet usum Pontificalium, sacrum Christi Corpus communicantibus distribuens, *non* potest sibi tenere facere pixidem a diacono et per subdiaconum patenam. 13. Jun. 1676 in u. Neapol. ad 2.

Licet, ubi talis est consuetudo, dum Celebrans sacram Communionem ministrat, patenam a diacono supponi sub mento communicantium. 12. Aug. 1854 ad 20. (Anal. J. P., II. p. 2192).

In quaestione: an eo tempore quo distribuitur sacra Communio, diaconus debeat ministrare clericis purificationem, prout indicat Rubrica Missalis, II. part., tit. X? *juxta consuetudinem* agendum est[1], *sed purificationem etiam clerici subministrare possunt.* Ibid.

*In Missa solemni, a simplici presbytero celebrata, dum administratur populo sacra Communio, *potest servari laudabilis consuetudo,* ut duo acolythi, si non sustineant mappam ante communicantes, comitentur Celebrantem *cum facibus.* 12. Aug. 1854 ad 73.

Ad §. XI. *De Communione et Orationibus post Communionem dicendis.*

In Missa solemni Sacerdos *non* debet dicere *Ite Missa est,* sed dicitur tantum a diacono; dicere vero debet *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace,* cum cantantur a diacono. 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 36.

Ad §. XIII. *De his quae omittuntur in Missa pro defunctis.*

In Missis de Requiem, quae celebrantur *cum cantu, saltem quatuor* cerei accensi in altari esse debent. 12. Aug. 1854 in u. Brioc. ad 7. — *Aliquas strophas* Sequentiae „Dies irae“ *cantores praetermittere possunt*[2]. Ibid. ad 12. Ceterum in ejusmodi Missis in

---

[1]) Cf. de Communione intra Missam privatam, pag. 297.

[2]) In Missis de Requiem non sunt pulsanda organa. Caerem. Episc. lib. I, c. XX.

choro *canenda sunt omnia, quae precationem suffragii respiciant.* 11. Sept. 1847 in u. Taurin. ad 2; ac nominatim non omittendus, sed *canendus est versus „Absolve" et Sequentia „Dies irae."* 27. Febr. 1847 in u. Verulan.

Ad §. XIV. *De iis quae observanda sunt in Missa cantata sine ministris sacris.*

1. In Missa conventuali absque diaconis cantata, adsistentibus tantum thuriferario et ceroferariis, et praesente clero seu communitate, *non* potest adhiberi thus tam in principio Missae, quam in evangelio et offertorio. 18. Dec. 1779 in u. Ord. Min. ad 21. Neque altare, neque chorus thurificari potest. 19. Aug. 1651 in u. Urbis ad 3.

2. In Missa quae canitur absque diacono et subdiacono, Celebrans sedere potest, dum canitur „Gloria" et „Credo." 12. Aug. 1854 in u. s. Miniat.

3. In Missa cantata sine diacono et subdiacono *servanda est rubrica* (supra pag. 333), *et epistola canenda ab aliquo Lectore superpelliceo induto.* 30. Mart. 1697 in u. Januen. ad 1. — *Non licet* in Missis festivis celebrari solitis a parocho sine diacono et subdiacono, alteri sacerdoti cum superpelliceo et stola canere Evangelium; sed *servandae sunt rubricae* (vide supra pag. 333), et contrarius agendi modus est *abusus.* 21. Nov. 1671 in u. Cusent.; 19. Nov. 1667 in u. Albingan.

4. In Missa absque ministris sacris cantata *servari potest ab acolythis laudabilis consuetudo adstandi cum facibus* Celebranti tempore Communionis populi. 12. Aug. 1854 ad 73 (Anal. J. P., II, p. 2188).

Ad §. XV. *De his quae clara voce aut secreto dicenda sunt in Missa.*

1. In Missa solemni dici debent submissa voce omnia verba ab „In nomine Patris" usque ad Introitum; insuper „Orate fratres," „Sanctus," „Nobis quoque

peccatoribus," et „Domine non sum dignus;" *dummodo intelligantur a ministris.* 7. Sept. 1816 in u. Tuden. ad 14. — In Missa solemni tam de festo quam de Requiem, dum Sequentia cantatur in choro, eadem submissa voce recitari debet *a solo Celebrante,* non alternatim a Celebrante cum sacris ministris. 11. Sept. 1817 in u. Veron. ad 7.

2. In Missa conventuali cani semper debent *juxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum* „Gloria," „Credo," totum Graduale, Offertorium, Praefatio et „Pater noster[1]." 14. April. 1753 in u. Conimbr. ad 2.

3. *Abusus,* quod hymnus „Gloria in excelsis" in Missa cantata integre sub organo moduletur[2], *omnino est tollendus.* 19. Sept. 1654 in u. Segunt. ad 2. — *Abusus,* quod Symbolum in Missa cantata sub organo moduletur, *minime tolerandus est, sed omnino per episcopum providendum, ut integre intelligibili voce Symbolum decantetur, ita ut a populo distincte audiri valeat.* 10. Mart. 1657 in u. Segunt. ad 3.

4. *Submissa voce dicenda sunt a choro, quae omittuntur ob sonitum organi; quando non pulsatur, integra sunt cantanda.* 22. Jul. 1848 in u. Sen. ad 4. *Servari potest* consuetudo pulsandi tantum organum ad respondendum, dum in Missa cantatur „Ite Missa est." 11. Sept. 1847 in u. Angelopolit. ad 6.

Ad §. XVI. *De ordine genuflectendi, sedendi et standi.*

1. Ad quaestionem: an liceat manere genuflexos in choro tempore quo standum est, sedere quum est standum? *serventur rubricae quoad tempus standi, sedendi, et genuflectendi in choro.* 12. Nov. 1831 in u. Pis. ad 1.

2. Canonici induti rochetto sive aliis sacris vestibus

---

1) Cf. supra pag. 339, ad VI, n. 4; et p. 341, ad VII, n. 6.

2) Cf. Caerem. Episc. lib. I, cap. XXVIII. de usu Organi. *Quoad Organi sonitum strictim servanda est Caeremonialis dispositio, non obstante consuetudine.* 11. Sept. 1847 in u. Taurin. ad 1.

stantes debent facere confessionem. 5. Mart. 1667 in u. Sen. ad 4.

3. *Diaconus et subdiaconus sedere possunt una cum Celebrante, dum cantatur a choro „Kyrie eleison,“ „Gloria“ et „Credo;“ et si dabitur tempus, licebit eis etiam sedere dum cantatur Epistola a subdiacono, et Graduale a cantoribus.* 16. Mart. 1591 in u. Oscen. ad 6. — *In Missa solemni, quando Celebrans et ministri sacri sedent, possunt, etiam in gradibus presbyterii, sedere acolythi, et etiam thuriferarius, quando non gerit vicem caeremoniarii.* 18. Dec. 1779 in u. Ord. Min. ad 18.

4. *Celebrantes Missam solemniter sedeant in loco parato pro celebrantibus a latere epistolae.* 12. Jun. 1627 in u. Brundus. ad 2. — *Tam Celebrans quam assistentes* (ministri) *in Missa solemni sedere debent in scamno,, et non in sede coreacea.* 31. Jul. 1665 in u. Reginat. — In quaestione: an Celebrans uti possit sede, an vero scamno cooperto aliquo tapete aut panno? *servanda est dispositio Caeremonialis* (quod lib. I, c. XII. jubet aptari scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete aut panno, a latere epistolae, in quo sedeat sacerdos celebrans cum diacono et subdiacono). 22. Nov. 1653 in u. Cajet. — *Non* est tolerandus abusus, qui nimium invaluit, adhibendi in Missis solemnibus pro Celebrante, loco scamni cooperti tapete, sedes camerales serico damasceno ornatas, et pro ministris similia scabella; sed potius reprobandus atque damnandus. 17. Sept. 1822 in u. Dubior. ad 7; et 16. Apr. 1861 in u. s. Jac. de Chile.

5. *Non* possunt, neque vi assertae consuetudinis, Celebrans ejusque ministri sedere in latere Evangelii. 16. Apr. 1861 in u. s. Jac. de Chile.

6. Celebrans in Missa solemni, quando sedere debet, dum cantatur „Gloria“ et „Credo,“ procedere debet ad praeparatam sedem operto capite, et ita regredi ad altare; et dum sedet, ad illa verba, quae cantantur in choro, ad quae fieri debet inclinatio, Celebrans se

debet inclinare nudo capite. 21. Mart. 1676 in u. Collen. ad 1. — Celebrans *non* debet pergere capite operto ad scamnum, neque ita redire ad altare; et *non* licet ei capite contecto inclinari ad eos versiculos, ad quos est inclinandum. 12. Nov. 1831 in u. Pis. ad 13. — Consuetudo numquam cooperiendi caput, dum divina officia peraguntur, toleranda est quoad *eos* canonicos, aliosque in choro praesentes, *qui sacris paramentis non sunt induti.* 16. Apr. 1861 in u. s. Jac. de Chile.

7. Chorales, quum in Missa solemni bini et bini recitant „Credo," debent juxta rubricam genuflectere in iis verbis: „Et incarnatus est," quum ipse Celebrans et Ministri genuflectunt; item genuflectere debet caeremoniarius, quum Celebrantem (sedentem) monuerit de inclinatione facienda (dum cantatur a choro: „Et incarnatus est" etc.). 12. Aug. 1854 in u. Brioc. ad 2, 3; 25. Sept. 1852 in u. s. Miniat. ad 1.

8. In quaestione: an ad verba „Et incarnatus est" et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a cantoribus ad ambonem aut chorum regentibus, dum ea proferuntur actualiter et alii genuflectunt; vel post finitum versum, qui ab ipsis cantatur, et aliorum tunc actu non cantantium levationem? *serventur rubricae Missalis . . . et Caeremonialis Episcoporum; sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, haec fiat, dum verba quae cantantur, genuflexionem exquirant; quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum.* 8. Mart. 1738 in u. Ulixbon. ad 5.

9. Ad „Incarnatus est" (dum canitur a cantoribus in Missa solemni) *ab omnibus qui sunt in choro, sedendum est, praeterquam in diebus Nativitatis Domini et Annunciationis B. M. V., in quibus ab omnibus est genuflectendum.* 22. Jul. 1848 in u. Adiac. ad 2. *Ab iis tamen, qui non sunt canonici,* ad illa verba sedendum *non* est, *nisi adsit contraria consuetudo.* 21. Jul. 1855 in u. Rhedon. ad 2.

10. *Ad versum:* Et incarnatus est, *omnes, nec excepto episcopo, tenentur genuflectere, quandocumque stantes incidant in illa verba, tum si ab ipsis ore proferantur, tum si a cantoribus canantur; vel etiam si sedeant, in ipsa Nativitatis die, nec non Annunciationis B. M. V. Ceteris vero diebus indiscriminatim sedentes omnes, nemine excepto, tenentur caput detectum inclinare. Nec eo casu locum habet dispositio Caeremonialis* (lib. I, c. 18), *quod caput inclinantibus canonicis inferiores genuflectunt.* 15. Febr. 1659 in u. Neapolit. ad 2; 17. Jun. 1673 et 13. Febr. 1677 in u. Majoric. ad 2. Porro *ii tantum de choro qui stant, tenentur ad genuflexionem, non alii extra chorum; diebus tamen Nativitatis Domini et Annunciationis B. M. V. omnes de choro, etiam Celebrans et Ministri.* 13. Jun. 1671 in u. Angelopolit. ad 4.

11. Quoties in Missa solemni, dum chorus cantat „Credo," ad verba „Et incarnatus est," usque ad ea „Et homo factus est," Celebrans et sacri ministri genuflectunt ante altare, debent simul caput inclinare, et *non* sufficit sola genuflexio sine capitis inclinatione. 23. Mai. 1846 in u. Tuden. ad 8.

12. Dum a Celebrante legitur Communio, canonici et reliqui de choro *sedere* debent. 11. Sept. 1847 in u. Angelopolit. ad 4.

13. Ad benedictionem Sacerdotis in fine Missae solemnis sive cum cantu, ministri et alii de choro *genuflectere* debent, *stare* vero, si sint *canonici, se profunde inclinantes.* 27. Aug. 1836 in u. Veron. ad 12.

Ad §. XVII. *De qualitate paramentorum.*

1. *Congruit quod dalmaticae et tunicellae* [1], *si fieri potest, conformes sint planetae Celebrantis*

---

[1]) Tunicella ejusdem formae est, cujus est dalmatica diaconi, nisi quod strictiores, longioresque aliquantulum manicas habet. Caer. Episcop. lib. I, c. X, n. 1.

(etsi hic dignitate Ministris excellat), *quia sacra haec indumenta non Ministrorum ornatui, sed ecclesiasticae functionis decori inserviunt.* 4. Jun. 1817 in u. Dubior. ad 4.

2. *Rubrica concedit usum planetarum complicatarum ante pectus diaconis et subdiaconis ministrantibus in Missa solemni in Cathedralibus et praecipuis ecclesiis*[1] *in diebus jejuniorum, cum limitatione, ut ibi*[2]*; in minoribus vero ecclesiis ministris praedictis dat tantum usum albae cum manipulo subdiacono, et cum stola et manipulo diacono.* 13. Jun. 1671 in u. Angelopolit. ad 3. Vide in Fine.

3. *Quicumque ille sit qui ministret in Missa, canonicus aut inferioris ordinis sacerdos, uti debet dalmatica aut planeta plicata, prout exigit sacrae actionis qualitas; contra faciens plectendus poena, arbitrio episcopi, pro qualitate defectus.* 6. Mai. 1826 in u. Alexandr. ad 4.

4. Consuetudo non adhibendi planetas plicatas in Missa solemni tempore Adventus et Quadragesimae est eliminanda, adeo ut si casulae plicatae vel quae plicari valeant, non adsint, Missa potius celebranda sit a solo sacerdote sine sacris ministris. 11. Sept. 1847 in u. Londin. (Anal. J. P., II. p. 2193.) Sed hoc *decretum non respicit minores ecclesias, de quibus loquitur rubrica Missalis part. I, tit. 19, n. 7.* (Vide supra pag. 335). 12. Aug. 1854. (Anal. ibid. p. 2203.)

---

[1]) Intelliguntur certo ecclesiae Collegiatae (Caer. Episc. lib. II, c. XIII, XVII, XVIII). Quaenam vero aliae, non omnino constat. Simplices parochiales ecclesiae non gaudent ejusmodi privilegio: S. R. C. 16. Jun. 1663 in u. Eugub. ad 5; neque per se ecclesiae monialium: 13. Jun. 1671 in u. Angelopolit. ad 3.

[2]) Vide supra, p. 335.

PARS QUINTA.

CONTINENS VARIAS GRATIARUM ACTIONES POST MISSAM.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

EX MISSALI ROMANO.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quae Antiph. in Festis Duplicibus tantum duplicatur, et tempore Paschali additur in fine Alleluia.

CANTICUM TRIUM PUERORUM. *Dan. 8.*

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es Domine in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio, et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro: laudate eum in cordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri etc.

Deinde repetitur Antiphona: Trium puerorum etc. *pag. 350.*

Deinde Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.
℟. Et sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Laetabuntur in cubilibus suis.
℣. Non nobis, Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO S. THOMAE AQUINATIS.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae, satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi; et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae ac libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio; contra

insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum tam carnalium quam spiritualium perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu, cum Filio tuo et Spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO S. BONAVENTURAE.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et apostolica sanctissima caritate; ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi et esse tecum. Da ut anima mea te esuriat, panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis: te, in quem desiderant angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa

et firma et immobiliter sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

RHYTHMUS SANCTI THOMAE AD SACRAM EUCHARISTIAM.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia, te contemplans, totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Nil hoc veritatis verbo verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam praestans homini,
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud quod tam sitio:
Ut, te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

ORATIO AD DOMINUM JESUM CHRISTUM.

Pius IX. P. M. omnibus Sacerdotibus, post peractum Missae Sacrificium sequentem Orationem

devote recitantibus, Indulgentiam trium annorum concessit. D. 11. Dec. 1846.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar, atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus, potusque, quibus pascar, inebrier, atque delecter: aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum: mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ADSPIRATIONES S. IGNATII AD SS. REDEMPTOREM.

Pius IX. P. M. omnibus Sacerdotibus et Christifidelibus, qui sequentes Adspirationes post Ss. Missae Sacrificium aut post S. Communionem devote recitaverint, Indulgentiam septem annorum concessit; omnibus vero Christifidelibus, quoties easdem corde contrito recitaverint, Indulgentiam 300 dierum; omnibus denique, qui easdem singulis diebus semel saltem devote recitare solent, Indulgentiam plenariam semel in mense lucrandam, quo die vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti Ecclesiam vel Oratorium publicum visitaverint, ibique juxta Summi Pontificis mentem aliquamdiu oraverint. D. 9. Jan. 1854.

Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Inter tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me.
Et jube me venire ad te:
Ut cum sanctis tuis laudem te
In saecula saeculorum. Amen.

ORATIO AD S. JOSEPHUM.

Pius VII. P. M. omnibus Sacerdotibus, quoties sequentem Orationem devote recitaverint, unius anni Indulgentiam concessit. D. 23. Sept. 1802.

Virginum custos et pater, sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit: te per hoc utrumque carissimum pignus Jesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

ORATIONES DIVERSAE POST MISSAM.

Percipientes, Domine, gloriosa mysteria, tibi referimus gratias, quod nos in terris positos jam coelestium praestas esse participes.

Repleti, Domine, muneribus sacris, da, quaesumus, ut in gratiarum semper actione maneamus.

Reple Domine, quaesumus, tuorum corda fidelium; et ut bona tua, te largiente, percipiant, ipsorum primitus bonas effice voluntates.

Sumentes, Domine, ex altari tuo mysterium fidei, da nos, quaesumus, ejusdem virtute ex fide viventes, temporalia quae videntur, despicere; et aeterna quae non videntur, perpetuo contemplari.

Deus spei, qui nobis promissionum tuarum pignus in hoc sacramento praebuisti, reple nos omni gaudio et pace in credendo, ut abundantes in spe et virtute Spiritus sancti ad promissa bona viriliter properemus.

Deus, vita fidelium, gloria humilium, beatitudo justorum, propitius accipe supplicum preces, ut animae quae promissiones tuas sitiunt, de tui amoris abundantia repleantur.

Ne nos sinas, Deus, conformari huic saeculo; sed fac reformemur in novitate sensus nostri, ut ejus carne nutriti cui cibus fuit facere voluntatem tuam, semper

probemus potiora, et quae sit voluntas tua bona et beneplacens et perfecta.

Per haec sacramenta, Domine, maneat in nobis sapientia desursum descendens, quae nos a terrenae et animalis sapientiae deceptione tueatur, et temporalium doceat detrimentum facere, ut consequamur aeterna.

Deus, a quo omne opus bonum inchoari credimus et perfici, da per haec sacra mysteria supplicandi perseverantiam, quibus affectum ipsum supplicandi tribuisti.

Perceptum, Domine, humilitatis tuae sacramentum, omnem a nobis superbiae sensum amoveat; ut non indignationem tuam provocemus elati, sed gratiae tuae capiamus dona subjecti.

Gratiam Spiritus sancti, Domine Deus, cordibus nostris clementer infunde, quae nos gemitibus lacrymarum efficiat maculas nostrorum diluere peccatorum, atque optatae nobis, te largiente, indulgentiae praestet effectum.

Exaudi, Domine, preces nostras, et ne velis cum servis tuis adire judicium; quia sicut in nobis nulla justitia reperitur de qua praesumere valeamus, ita te fontem pietatis agnoscimus, a quo et a peccatis nostris ablui, et a necessitatibus liberari confidimus.

Subde tibi nostras, quaesumus, Domine, voluntates; ut operante hujus sacramenti virtute, in bono stabiles, semper et fide, quae praecipis, et actione sectemur.

Emptos pretio magno, et angelorum pane nutritos, fac nos, Deus, glorificare et portare te in corpore nostro; et ne permittas vel nominari in nobis quidquid non decet sanctos.

Domine Jesu Christe, qui per sacramentum corporis tui in cordibus nostris hospitari dignaris, reple ea tuae majestatis praesentia; ut quae te indigna sunt respuentes, quae tibi sunt placita, cogitemus semper et agamus.

Deus, qui nobis per haec sacramenta fortissimum praeparas in omni tribulatione solatium; concede propitius, ut sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per eum abundet consolatio nostra.

Animam nostram carne et sanguine Filii tui nutritam, quaesumus, Domine, in caritate tua confirma; ut voluntati tuae obediens usque ad mortem, cum pace et fiducia de corpore suo exire, et ipsius resurrectionem ad vitam mereatur in coelis exspectare. Per eumdem Dominum etc.

ORATIO AD DEUM PATREM.

Omnipotens, sempiterne Deus, conservator animarum, mundique redemptor, me famulum tuum ante majestatem tuam prostratum benignissime respice; et sacrificium quod in honorem nominis tui, pro salute fidelium tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice; iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor, atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

ALIA ORATIO AD EUMDEM.

Pater sancte, quomodo tu, cujus tanta est magnificentia, ut nulla queat explicare creatura, quem coeli et terra capere non possunt, dignatus es me, pauperem et humilem servum, admittere ad tuam regalem mensam, in qua non agnum typicum, sed sanctissimum Filii tui corpus proponis manducandum, in qua sunt omnes deliciae paradisi, et epulantur nobiscum angeli sancti! Ita egisti, piissime Pater, non propter mea merita, sed *propter nimiam caritatem tuam qua dilexisti me*. Quantum igitur dignus es amari; et quae esset duritia cordis mei, si non redamarem te! Amo te, o mi Pater! et magis amare volo; sed ut amem quantum debeo, dilata me in amore, ut discam interiori cordis ore degustare, quam suave sit amare, et

in amore liquefieri et natare. Tenear amore, vadens supra me prae nimio fervore et stupore. Cantem amoris canticum; sequar te dilectum meum in altum; deficiat in laude tua anima mea, jubilans ex amore. Amem te plus quam me; nec me, nisi propter te; et omnes in te, qui vere amant te, sicut jubet lex amoris lucens ex te. Aperi, Domine, cor meum in lege tua, et in praeceptis tuis doce me ambulare. Da mihi intelligere voluntatem tuam, et cum magna reverentia ac diligenti consideratione beneficia tua, tam in generali quam in speciali memorari; ut digne tibi exhinc valeam gratias referre, et ex intimo affectu tibi adhaerere ac servire. Amen.

TERTIA ORATIO AD DEUM PATREM.

E lib. IV. de Imitatione Christi, cap. II.

Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et in conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari ut debemus, concede nobis tamen digne flere mala quae gessimus; ut in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito, tibi ferventius de caetero deservire valeamus. Amen.

ORATIO AD DEUM PATREM ET FILIUM.

Gratias ago tibi, omnipotens et misericors Deus; gratiarum actiones tremendae majestati tuae, piissime et immense Pater, habeo, quia me indignissimum et nefandissimum peccatorem pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi consolari et satiare dignatus es. Quaeso igitur, dulcissime Domine Jesu, ut haec sancta Communio non sit mihi ad judicium et condemnationem; sed tua gratia et pietate sit mihi suavitas et dulcedo, animae meae salus et sanctitas, in omni tentatione pax et gaudium, in omni tribulatione lumen et virtus, in omni verbo et opere solatium, et tutela finalis in morte, ad evadendas omnium inimi-

corum meorum insidias, et proficiat mihi ad salutem corporis et animae in vitam aeternam; et praesta ut illic nulla remaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt sacramenta. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO AD DEUM FILIUM.

O dulcedo cordis mei, et vita animae meae, et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; signanter vero, quia hodie me dignum fecisti, verum et immaculatum corpus et sanguinem tuum pretiosum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam et in remissionem omnium peccatorum, tam meorum quam illorum pro quibus orare et offerre proposui, illoque in salutem et consolationem animae meae cibari et nutriri. Quapropter vere dicere audeo: Cibus meus Christus, et ego ejus. Multiplico ergo, et quotiescumque respiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus; precorque beatissimam Virginem, angelos, sanctos, sanctas et creaturas universas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo quia ista minime sufficiunt, te supplico ut tibi ipsi gratias agere, te laudare et glorificare complaceas; et quia dignatus es istam indignam, tuam tamen facere habitationem, dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Uni me tibi intime, et totum transforma, ac transmuta in te. Salva me, Jesu Christe, et cunctam a me hostis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam passionem. Oro itidem ut digneris gratias et indulgentias omnes quas, hoc sacrificio vel Communione mediante, acquirere et lucrari possum, concedere tam mihi quam aliis vivis et defunctis quibus applicare proposui; quia teipsum, et pro ipsis exoro pro quibus et tu vis et sanctissimus pontifex intendit hac de causa me debere orare. Amen. *Pater noster*, et *Ave*.

ALIA ORATIO AD DEUM FILIUM.

Obsecro te, mitissime ac bone Jesu, ut haec immortalis hostia pro me tibi gratias referat, me tibi reconciliet, me tibi restituat, mihique peccatori veniam tribuat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

TERTIA ORATIO AD EUMDEM.

O Jesu, magister amantissime! fac ut in te requiescant animae nostrae. Diligamus nos invicem, ut simus tecum consummati in unum, sicut tu unum es cum Patre. Sanctifica nos in veritate, ut jam non simus de hoc mundo, sed libenter in eo pressuram et persecutionem patiamur, et sequamur te, magistrum nostrum, quem priorem mundus odio habuit. Domine, serva nos a malo, ut fructum afferamus, et fructus noster maneat. Ita, Jesu sancte, perficiamus cursum nostrum et ministerium quod posuisti in manibus infirmis, ut recipere mereamur coronam justitiae, et depositum gloriosum quod repromisisti nobis. Amen.

ORATIO AD B. VIRGINEM MARIAM.

O serenissima et inclyta mater Domini nostri Jesu Christi, virgo Maria, regina mundi, quae eumdem Creatorem omnium creaturarum in tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem sacratissimum corpus et sanguinem sumpsi, ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris; ut quidquid in hoc ineffabili sacramento ignoranter, negligenter, irreverenter, et accidentaliter omisi, tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

O Regina plena majestatis! ne avertas oculos tuos misericordes a nobis: fac precibus tuis, Mater carissima, ut Deus consummet adoptionem discipulorum, et gloriosum titulum filiorum, et cohaeredes effecti dilectissimi Filii tui, tecum ejus semper laetemur aspectu. Amen.

ORATIO AD OMNES SANCTOS.

Avete, omnes electi et dilecti Dei, angeli et beati omnes, praesertim N. N. quibus me nunc et semper humillime commendo. Ego indignus laudo, honoro et imploro vos; et in augmentum gloriae et exultationis vestrae, offero vobis omnis salutis bonique fontem et thesaurum, nempe dulcissimum cor J. C. D. N. Gratias ex corde ago Deo, qui vos elegit et justificavit per immensam gratiam suam; qui praevenit vos in benedictionibus dulcedinis suae, quique vos conservavit in via per omnia salutis obstacula, et sic demum beatificavit in gloria. Gratias aeternas ago Deo pro omnibus donis et beneficiis, quae in tempore dedit vobis, et in aeternum daturus est.

Eja, felices amici Dei, obtinete mihi, clienti vestro, plenam peccatorum veniam, et perfectam mei ipsius abnegationem; ut per viam angustam sequar vestigia vestra; sed et pacem Dei, quae exsuperet omnem sensum, seu tranquillitatem animi; intimum ac sincerum Dei amorem, quo omnes succensi mundum, carnem, daemonem, et omnia vitae praesentis adversa fortiter et gloriose vicistis, per vos supplex exposco. Orate, quaeso, pro me, nunc et in hora mortis, quando hinc migraturus, et ad summi Judicis horrendum tribunal sistendus sum, ut non intret mecum in judicium, sed secundum infinitam misericordiam suam me judicet; ut sic tandem admitti possim in felicissimum vestrum consortium, in illa superna Jerusalem, ubi simul laudemus ac superexaltemus Deum ac Dominum nostrum in saecula. Amen.

ORATIO PRO OMNIUM NECESSITATIBUS.

Domine Jesu Christe, qui per apostolum tuum Jacobum dixisti: *Orate pro invicem, ut salvemini,* respice propitius ad preces quas pro singulorum necessitatibus effundimus, et miserere omnium quos fecisti; emitte lucem tuam et veritatem tuam in gentes quae te non noverunt, et adduc eas in montem sanctum

tuum et in tabernacula tua. Sanctifica Ecclesiam tuam quam acquisivisti sanguine tuo; et ab ea aufer omnia scandala, dissensiones et schismata, ut tandem aliquando fiat unum ovile et unus pastor. Da summo Pontifici nostro cunctisque praelatis, ut oves sibi commissas fideliter pascant fructu orationis, exemplo bonae conversationis, verbo praedicationis, et subsidio caritatis. Sit perpetua in illis oneris sibi impositi consideratio, et sacerdotio fungantur sine reprehensione. Reforma omnes ecclesiasticos ordines, ut et ipsi luceant coram hominibus, sitque in eis virtutum decus et splendor sanctitatis. Reduc omnes religiones ad fervorem et perfectionem in qua fuerunt institutae. Da superioribus zelum disciplinae, subditis obedientiam, ut professione sua omnes digni inveniantur. Da praedicatoribus vocem virtutis, ut a coeno vitiorum peccatores educant, et perducant ad timorem et amorem tuum. Illumina sapientia tua omnes reges et principes, cunctosque magistratus, ut subditis sibi populis justitiam fideliter administrent, pacem diligant, Ecclesiam venerentur, mandata tua custodiant, et de hostibus sanctae fidei, te protegente, triumphent. Defende fideles tuos a fame, peste et bello, ab omni angustia et calamitate; et illos adjuva quos affligi et tribulari permisisti, ut omnes sibi misericordiam tuam sentiant adfuisse. Ne sinas eos labi qui in periculo et occasione peccandi versantur, eosque conserva quos gratiae tuae pretiosissimo munere locupletasti. Adesto agonizantibus, ut vera contritione purgati, et amore tuo succensi, diaboli insidias evadant, et a damnatione perpetua liberentur. Memento tot miserabilium peccatorum, qui in foveam peccati mortalis infeliciter lapsi, sine ope tua inde emergere non possunt, et uberiorem da illis gratiam, ut surgant et resipiscant. Omnibus item inimicis nostris caritatem et dulcedinem tuam benignus infunde, et libera nos a malorum insidiis. Da illis quos ego offendi aut scandalizavi, veniam peccatorum et veram emendationem. Omnes autem amicos et benefactores, consanguineos,

affines nostros, illustra gratia tua, succende amore tuo, ut te solum quaerant, te solum diligant, omnique tempore opera illorum plena inveniantur in oculis tuis. Custodi omnes mihi commissos et commendatos, et pro quibus orare debeo, praecipue vero N. et N. Rege et salva eos juxta beneplacitum tuum, ut nemo ex illis pereat. Succurre omnibus pro quibus me orare tu vis, et ego nescio. Protege servos tuos omnes qui te maxime diligunt, quamvis eorum numerum et nomina ignorem; justis autem tepidis et imperfectis auge fidem, spem, caritatem atque fervorem, ut ad culmen perfectionis cito perveniant. Respice benignis oculis animas in purgatorio detentas, illas praesertim quae suffragiis nostris magis indigent; et da illis requiem sempiternam. Mei denique memento, omnium miserrimi et indignissimi, qui gratiae tuae auxilio tanto majori prae caeteris indigeo, quanto infirmior sum et ad malum pronior. Extingue in me omnia terrena desideria, et ignem tui amoris accende. Posside me jugiter secundum beneplacitum tuum, ut te in omnibus et ubique inveniam, donec per felicem mortem ad te merear pervenire. Amen.

ASPIRATIONES V. CARD. BONA POST MISSAM.

Quae etiam saepius per diem utiliter repetuntur.

Quis me separabit a caritate tua, Domine Deus meus? non timor mortis, quia tu es vita mea; non amor mundi, quia ipsum sperno et omnes pompas ejus; non tribulatio, quia tu, dum tribulor, mecum es; non fames, non nuditas, non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum et divitiae meae; non persecutio, non gladius, quia haec dulcia mihi sunt propter te; non creaturae, quia ante te nihil sunt.

Quando educes me de isto carcere? cui te relicto adhaesit anima mea! Quando trahes me post te, captum specie tua et pulchritudine tua? Quando mihi et toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, et tu vivas in me?

O si semper te amarem, te semper possiderem, a te nunquam discederem, in te prorsus converterer!

Quid possum extra te desiderare, cum in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non sufficis.

O amor, qui omnia potes, quando facies ut diligam te toto corde, tota anima, totis viribus?

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum.

Refice, Domine, esurientem animam meam; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemptum et oblivionem.

Erige cor meum ad te in coelum, et ne permittas me vagari super terram.

Penetret, quaeso, hujus sacramenti virtus omnia intima mea; et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet et eradicet.

In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea; taedeat me gaudii quod est sine te; amara mihi sit omnis quies, quae non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios qui me succendant, et quidquid terrenum in me est, comburant et consumant, ut igne inextinguibili caritatis tuae ardeam, et vetus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te, et in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat.

CONCLUSIO EXERCITIORUM.

Recedo ad te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas et omne bonum animae meae; et me amantissimo cordi tuo cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis humillime commendo. Ama nos, Domine, et transforma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te, nihilque sit objectum ver-

borum meorum, actionumque mearum internarum et externarum, nisi tu, amor meus, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

GRATIARUM ACTIONIS POST MISSAM EXERCITIA

PRO SINGULIS HEBDOMADAE DIEBUS.

Observatum est supra, pag. 176 et 183, permagni referre ut, peracta Missa, aut Communione, non statim a templo sancto Domini recedamus, sed sufficiens gratiarum actioni tempus inpendamus, suavissimo fruentes hospite nostro, et gustantes quam bonus sit his qui recto sunt corde.

Hunc autem in finem sequentia dare duximus exercitia, ut (dictis, redeundo ab altari ad sacristiam, Antiphona Trium puerorum, *et cantico* Benedicite, *cum Versiculis et Orationibus, ut suo loco ponuntur) inde quisque seligere possit quod magis arriserit, fastidiumque ex crebra unius repetitione nasci solitum, pellere ac removere.*

DOMINICA.

HYMNUS. *Dan. III.*

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Et benedictum nomen gloriae tuae, quod est sanctum: et laudabile et gloriosum in saecula.

Benedictus es in templo sancto gloriae tuae: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es super thronum sanctum regni tui: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es super sceptrum divinitatis tuae: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es, qui sedes super Cherubim, intuens abyssos: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es, qui ambulas super pennas ventorum, et super undas maris: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedicant te omnes angeli et sancti tui: et laudent te, et glorificent in saecula.

Benedicant te coeli, terra, mare, et omnia quae in eis sunt: et laudent te, et glorificent in saecula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: et laudabili et glorioso in saecula.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen. Et laudabili et glorioso in saecula.

Ant. Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

PRECES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos etc.
℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus.
℟. Escam dedit timentibus se.
℣. Benedicam Dominum in omni tempore.
℟. Semper laus ejus in ore meo.
℣. In Domino laudabitur anima mea.
℟. Audient mansueti, et laetentur.
℣. Magnificate Dominum mecum.
℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Visita, quaesumus Domine, familiam tuam et corda sacris dicata mysteriis pervigili tuere pietate; ut remedia salutis aeternae, quae, te miserante, percipiunt, te protegente custodiant.

Cognoscimus, Domine, tuae circa nos clementiae largitatem: et ideo fiducialius imploramus, ut quos pascere non desinis immeritos, et digne tibi servire perficias, et donis uberioribus prosequaris.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ne perire patiaris quibus tanta remedia providisti; sed cum divini frequentatione mysterii crescat nostrae salutis effectus.

Pignus amoris tui, Domine, quo pascimur, inter-

cedente beata Deipara Virgine Maria, det nobis in tuo servitio perseverantiam; ut qui filii sumus adoptionis, filii resurrectionis esse mereamur,

Prosint nobis, Domine, ad salutem corporis et animae visibilia sacramenta, quae sumpsimus; et praesta horum virtute, ut illo invisibili cibo et potu mereamur perfrui, quo custos angelus noster utitur et nutritur.

Praestent nobis, Domine, divina quibus communicavimus mysteria, ut, qui filii sanctorum sumus, eorum precibus et imitatione, concessam ipsis, et promissam nobis haereditatem consequamur aeternam. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

EXERCITIUM POST MISSAM AUT COMMUNIONEM.

Ex Antonio Molina Carthusiensi, in Instructione Sacerdotum.

O Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui ex abundantia infinitae caritatis tuae dedisti nobis unigenitum Filium tuum, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam; utque ex immenso meritorum ejus thesauro nostra suppleatur inopia: en ego miser peccator, sed per misericordiam tuam vocatus in societatem Filii tui, nunc quoque particeps factus sum corporis et sanguinis ejus. Proindeque illum jam in pectore meo complector, et tamquam rem meam intime mihi conjunctam possideo.

Atque ut talem, in unione caritatis, qua seipsum olim dedit pro nobis in ara crucis, et modo se dat et communicat in sacramento altaris, tibi eum offero una cum omnibus meritis atque virtutibus in aeternam laudem et gloriam tuam: ut in illo tibi perfecte complaceat, et nos, qui tibi placere de actibus nostris non valemus, dilectissimi Filii tui meritis et patrocinio perfecte placeamus.

Offero tibi, Pater sanctissime, omnem ejus caritatem, religionem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, mansuetudinem, patientiam, cum aliis omnibus virtutibus quibus excelluit, ut totum quod mihi deficit, per illas suppleatur.

Cumque ego debitas tibi gratias agere nequeam, pro beneficiis in me collatis, offero tibi omnes laudes quas ipse obtulit, cum visibilis inter homines versaretur in terra, et quas tibi nunc offert in gloria.

Cum vero satisfacere nequeam tibi pro debitis seu peccatis meis, offero tibi omnes labores ejus, jejunia, vigilias, fatigationes, orationes, quidquid denique fecit aut pertulit a primo instanti conceptionis, quousque spiritum emisit in cruce; omnes angustias, dolores, ac tormenta passionis, omnem sanguinem pro me effusum, omnia vulnera pro me accepta, ac mortem pro me toleratam.

Ecce hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam spem reposui; hae sunt divitiae, quas offero in satisfactionem debitorum meorum.

Aspice, pie Pater, in faciem Christi tui; et cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi bene semper complacuit, qui mihi nunc intime conjunctus est, supplex rogo, ut me quoque aspicias oculis misericordiae tuae. Sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius, compareo coram te; ut illum praecipue intuens, me quoque clementer ac benigne respicias tamquam mancipium ejus ac servum perpetuum.

Ne permittas, obsecro, ut pereat illa anima quae toties in se recepit Filium tuum, qui a te missus venit in mundum quaerere et salvum facere quod perierat. Hoc praesta mihi per infinitam misericordiam tuam. Amen.

DEVOTAE ASPIRATIONES AD CHRISTUM.

I. Mirantur, bone Jesu, creaturae omnes, te in purissimum Mariae, Matris tuae, uterum descendisse, cum tamen integerrima illa, et omni virtute ac gratia refertissima fuerit: an non mirari magis debeo, quod volueris ad me divertere, a me recipi, a me teneri, *paupere, nudo, miserabili?*

Tune, Domine, sanctus sanctorum, in me manere dignatus es, qui sum sordes peccatorum? Itane voluisti honorare me, qui tamdiu fui immundum vas, ut fie-

rem templum tuum, tabernaculum tuum, et quasi theca sacrarum reliquiarum corporis et sanguinis tui, quae longe omnes sanctorum reliquias excedunt? Benedicant te omnes angeli tui, pro tanta in me dignatione. Effice ergo ut jam sciam, et *sciam* semper *vas meum possidere, non in passione desiderii. sicut gentes quae ignorant Deum, sed in sanctificatione et honore.*

Da mihi, dulcissime Jesu, praesentiae tuae effectus persentire. Memini benedictionum quibus cumulasti eos qui te aliquando in domum suam exceperunt. Maria, mater tua, ubi te in suum recepit uterum, omnibus gratiae donis repleta est. Zachaeo publicano, cujus usus es hospitio, *salus a Deo facta est.* Simul atque, obita pro nobis morte, in limbum descendisti, illum in *paradisum* quemdam commutasti. Domum *Obededom et omnia ejus,* propter arcam testamenti, large benedixisti. Benedic quoque domum cordis mei in quam ingressus es, eam, quaeso, in paradisum converte, et tuo sancto imple Spiritu.

Memini, piissime Jesu, sacris de te litteris esse mandatum, quod *omnis turba quaerebat te tangere,* quia *virtus de te exibat, et sanabat omnes.* Ecce ego te jam non tetigi tantum, sed in me quoque recepi; exeat, quaeso, a te virtus illa divina, quae sanet animam meam, curet omnem ejus languorem, et novas ei addat vires ad serviendum tibi omnibus diebus in sanctitate et justitia.

II. Statim ac anima tua, o bone Jesu, egressa est e tuo pretioso corpore, voluisti illud, myrrha et aromatibus conditum, sindone purissima involutum, inferri in sepulchrum novum, petra bene munitum, et jam toto orbe gloriosum. Ecce modo (quod tui muneris est) corpus idem tuum, a morte suscitatum, animaque beatissima informatum, mihi porrigis, ut in me tamquam in sepulchro recondam. Fac, o Domine! per haec mysteria, tanta caritatis tuae munera, ut sacratissimum illud corpus aromatibus et bono virtutum odore

condiam, et sindone purae conscientiae involutum, in cor novum mundumque reponam. Utinam tu in me, et ego in te jugiter maneam et requiescam! Amen.

GRATIARUM ACTIO AD EUMDEM.

Quid *retribuam tibi*, Dòmine Jesu, *pro omnibus quae retribuisti mihi*, praesertim hodie? Sollicitus mei, dedisti mihi corpus tuum in cibum et sanguinem tuum in potum, et utrumque in pignus futurae gloriae. *Quis audivit umquam tale? Quis vidit huic simile?* Utinam aperiantur labia mea, et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, et enarrem universa mirabilia tua.

Magnificet anima mea Dominum, tot tantisque affecta beneficiis, et exultet spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem servi sui, et fecit mihi magna qui potens est, et esurientem implevit bonis. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi; quoniam confirmata est super me misericordia ejus. Laudate eum omnes angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus, reges terrae et omnes populi, principes et omnes judices terrae; juvenes et virgines, senes cum junioribus.

Sed et lingua mea, o pie Jesu! meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo; magnificus in donis tuis, et sanctus in omnibus operibus tuis. Jucundum sit tibi eloquium meum; ego vero delectabor in te, et in mandatis tuis exercebor. Tene manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me, ut aliquando cum gloria suscipias me. Amen.

ORATIO CLEMENTIS PAPAE XI.

Quomodo hac me gratia dignatus es, Domine, ut corporis et sanguinis tui sacramento satiares; ita me quoque hujus operationibus atque virtutibus cunctis impleas, quaeso.

Credo, Domine; sed credam firmius. Spero, Domine: sed sperem securius. Amo, Domine; sed amem ardentius. Doleo, Domine; sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium, desidero ut finem ultimum, laudo ut benefactorem perpetuum, invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint ad te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quod vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro, Domine, intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

A superbia non inficiar; adulatione non afficiar; a mundo non decipiar; a Satana non circumveniar.

Gratiam praesta memoriam purgandi, linguam frenandi, oculos cohibendi, sensus coercendi.

Defleam praeteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vitiosas propensiones; excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum saeculi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Jesu! mandati tui et exempli, inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniatoribus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida corporis Christi communione, continua mentis recollectione, pura cordis intentione.

Discam a te, Deus, quam tenue quod terrenum, quam grande quod divinum, quam breve quod temporaneum, quam durabile quod aeternum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DEPRECATIO PRO ALIORUM NECESSITATIBUS.

Ex Constitut. Apost. lib. VIII. cap. 15.

Domine Deus omnipotens, Pater Christi tui benedicti Filii, exauditor eorum qui recte invocant te, cognitor precum etiam eorum qui tacent; gratias agimus tibi quod nos dignos censuisti qui participaremus sancta tua mysteria, quae praebuisti nobis ad plenam eorum quae bene cognovimus persuasionem, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum; quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos. Qui segregasti nos ab impiorum communione, aduna cum iis qui tibi sunt consecrati; confirma nos in veritate per sancti Spiritus adventum; quae ignoramus, revela, quae deficiunt, supple, quae novimus, corrobora. Sacerdotes inculpatos conserva in cultu tuo, reges tuere in pace, magistratus in justitia, aërem in temperie, fruges in ubertate, mundum in omnipotente providentia. Gentes bellicosas seda; errantes converte; populum tuum sanctifica; virgines conserva; conjuges custodi in fide; castos robora; nuper initiatos firma; catechumenos erudi, ac dignos initiatione redde; nosque omnes congrega in regnum coelorum, in Christo Jesu Domino nostro; cum quo tibi gloria, honor ac veneratio, et sancto Spiritui, in saecula. Amen.

ORATIO AD B. VIRGINEM MARIAM.

Commendo me tibi, serenissima vereque inclyta virgo Maria, coeli terraeque regina, quae in tuis sacratissimis visceribus eumdem Dominum et omnium Creatorem quem modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum, digne portasti; precor te Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eumdem Filium tuum intercedas, et quidquid quacumque ratione, in summi hujus sacramenti celebratione deliqui, hujus negligentiae et indignitatis meae veniam mihi impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, sanctior, Deoque gratior evasisti: utinam et ego tam divini sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum! Tu, concepto Filio tuo de Spiritu sancto, magnificas laudes decantasti, et in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti; fac meritis et precibus tuis, Virgo Mater, ut cum hac sacra Communione novum et ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione pie verser; tantoque Redemptori et hospiti me numquam ingratum exhibeam, sed fidelem in omnibus servum ac ministrum. Amen.

ORATIO ECCLESIAE AD OMNES SANCTOS.

Ant. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Laetamini in Domino et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

Protege, Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

Omnes sancti tui, quaesumus Domine, nos ubique adjuvent; ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam.

Iter, actus et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuae prosperitate dispone, benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

FERIA II.

HYMNUS SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur etc. *ut supra pag. 129.*

Ant. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terrae.

PRECES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos etc.
℣. Domine, Deus virtutum. ℟. Quis similis tibi?
℣. Cibasti nos ex adipe frumenti.
℟. Et de petra, melle saturasti nos.
℣. Confiteantur tibi populi, Deus.
℟. Confiteantur tibi populi omnes.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis verum de coelo panem dedisti, ut qui ex eo manducaverit, non moriatur; praesta, quaesumus, sic nos illum digne sumere, ut resurrectionis ad vitam consortes esse mereamur.

Concede, quaesumus Domine, ut panis vitae quem, te donante, sumpsimus, adversus mortiferum peccati venenum corda nostra muniat, et nobis jugiter conferat vitae spiritualis incrementum.

Domine Jesu, lux indeficiens, qui de coelo descendisti, ut mundum ab ignorantiae tenebris liberares; da nobis, per haec mysteria, illuminatos oculos cordis, ut et viam vitae cognoscere, et in ea sine offensione incedere valeamus.

Quos Filii tui corpore et sanguine satiasti, Domine, intemeratae Matris ejus intercessione ab omni macula custodi, ut tanti fructum mysterii percipere mereamur.

Panis angelorum, Domine, det nobis angelicam puritatem et fortitudinem, ut, debellato daemone, tibi sine macula ab ipsis praesentari, et cum ipsis de te in aeternum satiari mereamur.

Cordibus nostris gratiam tuam, Domine, benignus infunde; et, intercedentibus sanctis protectoribus nostris, contra diabolicos tuere semper incursus.

Animabus, quaesumus Domine, famulorum famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuae redemptionis facias esse participes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OBLATIO POST MISSAM FACIENDA AETERNO PATRI.

1. *Ad ipsius honorem et gloriam.*

Sanctissime Pater, en ego indignissima creatura tua suscepi dilectissimum Filium tuum, eumque tamquam rem meam, mihique conjunctam in pectore meo adhuc contineo; illum ergo in modum justi Simeonis in ulnas meas suscipiens, tali affectu et intentione, quali semetipsum tibi obtulit jacens in praesepio, et pendens in cruce, offero majestati tuae ad supremam laudem et gloriam tuam, in recognitionem tui supremi dominii, in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli umquam creaturae concessorum, et in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo umquam tibi irrogatae.

2. *In memoriam et cultum Christi, B. Mariae Virginis et omnium sanctorum.*

Offero illum quoque ad supremam laudem et gloriam ejusdem Domini nostri Jesu Christi, in cultum et memoriam Ss. incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis, omniumque mysteriorum vitae et mortis ejus; item in cultum et augmentum gaudii, gloriae et beatitudinis sanctissimae et immaculatae Virginis Matris ejus, omniumque angelorum et sanctorum, maxime illorum quorum hodie memoriam agimus, et dilectorum patronorum meorum.

3. *Pro ipso Celebrante.*

Et quia, o Domine! suscipiendo Filium tuum factus sum particeps omnium ipsius meritorum, his innixus audeo te rogare pro sanctissima gratia tua, qua perficere possim sanctissimam ejus voluntatem; ad hoc enim ipse me tanti sacramenti consortem fecit, ut deinceps tibi vivam, mihi moriar, ut sim humilis, patiens, caritate repletus, castus et perfectus. Da ergo mihi, sanctissime Pater, ut adimpleam hanc Ss. Filii tui voluntatem; exorna me his sanctis virtutibus, fide, spe, caritate, patientia, castitate etc., omnibusque gratiis quas scis mihi esse necessarias: largire purissimam illuminationem intellectus ad cognoscendum beneplacitum tuum, et faciendam voluntatem tuam; ut in omnibus et per omnia tibi placeam, tibi fideliter serviam, teque sincere et constanter amem et diligam.

4. *Pro tota Ecclesia.*

Sanctifica, o piissime Pater! Ecclesiam tuam; aufer ab ea omnia scandala et schismata, ut fiat unum ovile et unus pastor; effunde misericordiam tuam in gentes quae te non noverunt, et illumina corda illarum ut te cognoscant et ament; dissipa consilia impiorum, ne regno tuo officiant et propagationi gloriae tuae; da summo Pontifici, praelatis, ordinibus ecclesiasticis ac

regularibus, divinum tuum amorem, ut suo officio rite fungantur; regibus, principibus, cunctisque magistratibus sapientiam, qua justitiam fideliter administrent, pacemque sequantur, ac populo tuo tuam benedictionem; tribue agonizantibus veram contritionem tuumque amorem, peccatoribus veniam ac veram emendationem, inimicis meis tuam caritatem et dulcedinem, amicis, benefactoribus et consanguineis tuam dilectionem; nosque et omnia nostra dirige, ut cultus tuus semper et ubique vigeat et perseveret; animabus in purgatorio detentis, illis maxime quae suffragiis nostris indigent, vel quibus sum obligatus, requiem sempiternam concede ac beatam tui fruitionem.

GRATIARUM ACTIO.

Quis sum ego, bonitas infinita, ut me sacris altaribus adstare volueris, tibique offerre de donis tuis sanctum sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiae tuae? Venite et audite, omnes angeli et sancti Dei, et narrabo vobis quanta fecit Dominus animae meae. Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me, et constituit me cum principibus populi sui, ut comederem panem et biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitae meae. Quas ego tibi gratias agam, clementissime Jesu, Salvator mundi, aut quid retribuam tibi pro omnibus quae retribuisti mihi? Vere enim de te, sponso Ecclesiae, illud Canticorum intelligitur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciat eam.* Tu omnia quae habes, mihi largitus es, corpus, sanguinem, animam et divinitatem tuam; etsi ego tribuam tibi omnem substantiam domus meae, corpus, animam et libertatem, cum omnibus quae nunc habeo, vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur in comparatione immensi et inaestimabilis doni tui. Tantum tibi debeo quantum ipse vales, qui infinitus es; quare debitum meum omnem facultatem

meam excedit. Audeo tamen rogare te, ne despicias munusculum quod tibi offero in simplicitate cordis mei, dicens cum sponsa: Dilectus meus mihi, et ego illi. Nam sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animae meae, ita ego me totum servituti tuae consecro; et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum, tibi penitus trado, ut me totum tibi vindices; nec quidquam mei superesse mihi patiaris. Amen.

PIAE ASPIRATIONES.

Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector. Te, amor et gaudium meum, obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. De omnibus necessitatibus meis erue me, Domine; fac ut tam plene tibi sim, quam tu mihi. Tu es creator et plasmator meus; cor mundum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Tu es rex et Dominus meus; posside me, et nemo praeter te. Tu es doctor et magister meus; bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Tu es advocatus meus apud Deum Patrem; fac avertat iram suam a me. Tu es qui venturus es judicare vivos et mortuos; ne intres in judicium cum servo tuo. Tu es dilectus meus sponsus; desponsa me tibi in misericordia et miserationibus. Tu dux et defensor meus; pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es; in Domino sperans non infirmabor. Tu salvator et redemptor meus es; consumma opus tuum, et labor tuus non sit cassus. Tu es pars haereditatis meae, et portio mea in terra viventium; haereditatem meam restitue mihi. Tu es gloria mea, corona et merces nostra magna nimis; admitte me in bona Domini quae praeparasti diligentibus te. O Jesu! o piissime Jesu! o Jesu, Fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, caritatem, castitatem, humilitatem, ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire, et in te gloriari, nunc et in perpetuum. Amen.

ALII PII AFFECTUS.

Quam pulcher es, dilecte mi, dilecte votorum meorum, Christe Jesu! Quam pulcher es! quam bonus et amabilis! O unicae deliciae meae! o vita mea! o gaudium meum! o suavitas summa! o Deus meus et omnia! ad te suspiro, clamo, anhelo. Complector et amo te totis praecordiorum affectibus, quia tu es Deus, ipsissima bonitas, amor aeternus, sapientia inexhausta, potentia infinita, perfectio absoluta. Ecquid tandem me poterit separare a caritate tua? An voluptas brevis, opes caducae, honores falsi, nugae nugarum? Nec illae nec istae facient, o bone Jesu! *mihi enim adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Adjuva me, pie Jesu, in sancto proposito meo, et promissionum mearum ne me sinas umquam oblivisci. Sit mihi sacratissimum sacramentum tuum contra omnium peccatorum meorum vulnera efficacissimum medicamentum, ac omnis gratiae et virtutis complementum; sit contra omnia mala et pericula validissimum tutamentum, aeternaeque beatitudinis solidissimum fulcimentum. Amen.

ORATIO AD B. VIRGINEM MARIAM.

O Maria, virgo et mater sanctissima! ecce suscepi dilectissimum Filium tuum quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, atque sanctissimis amplexibus strinxisti. Ecce cujus aspectu laetabaris, omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento amandum, sanctissimae Trinitati in supremum latriae cultum, pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Tu maternam vim apud Deum obtines, et fieri non potest ut non exaudiaris. Sit igitur pietatis tuae, ipsam qua apud eum vales, gratiam notam facere mundo; sanctis tuis precibus obtinendo reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem. Amen.

ORATIO AD OMNES SANCTOS.

O sancti, sanctaeque Dei omnes, et beati spiritus angelici, quos Deus mellifluo vultu suo semper laetificat! orare pro me non dedignemini. Saluto et veneror vos, sincerasque Domino gratias ago, qui vos elegit et in suis benedictionibus praevenit. Eja, impetrate mihi veniam, impetrate gratiam et perfectam cum Deo unionem. Amen.

ORATIO AD EOSDEM,

qua postulatur perseverantia.

Intercedente beata Maria semper virgine, quae somno sanctorum obdormuit, cum omnibus sanctis qui in Domino mortui sunt, Domine Jesu, per sanctissimam mortem tuam mihi indigno concedere digneris perseverantem in tua voluntate famulatum; ut secundum cor tuum esse, juxta beneplacitum tuum vivere, et in tua caritate ac dulci osculo mihi mori, ac tandem ad te detur pervenire. Amen.

Divinum auxilium, matris Dei praesidium, angelorum subsidium, sanctorum sanctarumque suffragium maneant semper nobiscum. Amen.

FERIA III.

Psalmus 102.

Benedic, anima mea, Domino: et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic, anima mea, Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Qui repiet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae juventus tua.

Faciens misericordias Dominus: et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi: filiis Israel voluntates suas.

Miserator et misericors Dominus: longanimis et multum misericors.

Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundum altitudinem coeli a terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus: homo, sicut foenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab aeterno: et usque in aeternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum: his qui servant testamentum ejus.

Et memores sunt mandatorum ipsius: ad faciendum ea.

Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino, omnes angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino, omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino, omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino.

Gloria Patri etc.

Ant. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes,

Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim quoque ac Seraphim, omnes sancti et sanctae Dei, Dominum pro me benedicite in aeternum.

PRECES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos a malo.
℣. Benedic, anima mea, Domino.
℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.
℣. Benedic, anima mea, Domino.
℟. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, et replet in bonis desiderium tuum.
℣. Benedicite Domino, omnes angeli ejus.
℟. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Praestent hoc nobis, Domine, sumpta mysteria, ut misericordias tuas et hic et in aeternum cantare mereamur.

Omnipotens et misericors Deus, qui nos sacramentorum tuorum participes efficis et ministros; praesta, quaesumus, ut per haec quae fideliter sumpsimus, et purgemur a vitiis et a periculis omnibus eruamur.

Fiant in nobis, quaesumus Domine, sacramenta quae sumpsimus, fons aquae salientis in vitam aeternam; et cibus noster sit facere voluntatem tuam, quia Deus noster es tu.

Deus, qui beatam Virginem Mariam, ut digna Unigeniti tui Mater efficeretur, immaculatam reddidisti, praesta nobis per sacramenta quae sumpsimus, dignum eidem in cordibus nostris habitaculum praeparare, quem misisti Jesum Christum.

Concede nobis, misericors Deus, ut pane angelorum quo pascimur in via, jugiter cum ipsis satiari mereamur in gloria.

Intercedentibus sanctis tuis quos patronos recolimus, misericordiam tuam, Deus, multiplica super nos, quos corpore et sanguine Christi reficere dignatus es. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DEVOTAE ASPIRATIONES AD CHRISTUM.

Ecce, Domine, jam habeo te qui habes omnia. Possideo te qui potes et possides omnia. Ergo, o Deus meus et omnia! abstrahe cor meum a caeteris omnibus extra te, in quibus nihil nisi vanitas et afflictio spiritus; in te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, et vera felicitas, et felix aeternitas.

Sentiat, o Jesu! mens mea dulcedinem praesentiae tuae: gustet quam suavis sis, Domine, ut inescata amore tui, nihil quaerat extra te unde gaudeat; quia tu es gaudium cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum.

Tu es medicus animae meae, qui languores nostros tuo livore sanasti. Ego vero sum infirmus ille, ad quem sanandum de coelo venisti; itaque sana animam meam, quia peccavit tibi.

Tu es pastor meus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Ecce ego ovis illa quae perierat, et tamen dignaris me pascere corpore et sanguine tuo: suscipe me nunc in humeros tuos. Quid negabis mihi, qui teipsum dedisti? Rege me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae, ubi me collocasti, donec ad pascua vitae aeternae perducar.

O lux vera quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum! illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.

O ignis jugiter ardens et numquam deficiens! ecce me tepidum et frigidum: ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem enim venisti mittere in terram, et quid vis, nisi ut accendatur?

O rex coeli et terrae, dives in misericordia! ecce ego egenus et pauper sum; tu nosti ubi magis egeam,

tu solus me ditare et juvare potes. Deus, adjuva me, et ex thesauris bonitatis tuae succurre inopi animae meae.

O Domine meus et Deus meus! ecce servus tuus sum ego; da mihi intellectum, et excita affectum, ut sciam et faciam voluntatem tuam.

Tu es agnus Dei, agnus sine macula, qui tollis peccata mundi; tolle de me quod mihi nocet, et tibi displicet; et da quod nosti tibi placere et mihi prodesse.

Tu es amor meus et omne gaudium. Tu es Deus meus et omnia. Tu es pars haereditatis meae et calicis mei. Tu es qui restitues haereditatem meam mihi.

O Deus meus et omnia! absorbeat, quaeso, mentem meam vis ignita et melliflua amoris tui, ut amore tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, o Deus meus et omnia! Amen.

ORATIO S. BONAVENTURAE.

Domine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura? Nam fetidus sum peccator, vermis nequissimus et vanissimus homo. Tu autem Deus deorum, Dominus dominantium, omne bonum, honestum et pulchrum. Tu rogas me, et ego fugio; tu de me es sollicitus, et ego de te non curo; mihi semper servis, et ego te semper offendo; te mihi tribuis, et ego te contemno. Sed ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum; sed pietatis tuae viscera, et dolorem tuorum vulnerum considera. Miserere mei, et dele iniquitatem meam.

Intret, obsecro, dolor tuus intima mea, et omnem amorem expellat alienum. Sim tecum crucifixus mundo, ut sic mortuus, vita mea sit tecum abscondita in Deo. O vita mea! vita felix quae abscondita est ipsi mundo, et sociata ipsi Christo, in Deo centro suo quietatur. Unum est mihi necessarium, et solum unum quaero. Abscedat ergo phantasmatum multitudo; unus est dilectus meus, unus est amor meus, Jesus Christus, Deus meus, sponsus meus. Nihil ergo mihi sapiat,

nihil me delectet, nihil me alliciat, nisi Jesus Christus; totus sit meus, totus sim suus, et fiat cor meum unum cum ipso, nihil me judicans scire, vel affectare, nisi Dominum Jesum Christum et hunc crucifixum.

ALIA ORATIO EJUSDEM SANCTI DOCTORIS.

Domine Jesu Christe, esto propitius peccatis meis per sumptionem corporis et sanguinis tui. Tu enim loquens dixisti: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Ideo te supplex deprecor, ut in me cor mundum crees, et spiritum rectum in visceribus meis innoves; ut spiritu principali me confirmare digneris, atque ab omnibus insidiis custodire, et vitiis emendare, ut coelestium gaudiorum merear esse particeps. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

GRATIARUM ACTIO

ex Missa sancti Basilii.

Gratias agimus tibi, Domine Deus noster, propter participationem illibatorum, immortalium et coelestium tuorum sacramentorum, quae dedisti nobis propter beneficium et sanctificationem, et medelam animarum et corporum nostrorum. Ipse, Domine omnium, concede, ut fiat nobis communio sancti corporis et sanguinis Christi tui, ad fidem inconfusam, ad caritatem non fictam, ad sapientiae copiam, ad medelam animae et corporis, ad omnis rei adversae aversionem, ad mandatorum tuorum observantiam, et non rejiciendam excusationem coram terribili tribunali Christi tui. Suscipe, Domine, salva, miserere et conserva. Quia tu es sanctificatio nostra, et gloriam tibi referimus, Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

ALTERA PRECATIO.

Adoro te et gratias ago tibi, benignissime Domine Jesu Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere

dignatus es ad splendidum vivificumque sacrae mensae convivium. Heu mihi, quia nimis indigne complevi hoc sanctum sacrificium! miserere mei, ignosce mihi. Ego quod egi, commendo divino cordi tuo emendandum et corrigendum. Suscipe, quaeso, haec sacrosancta corporis tui mysteria quae tibi obtuli, ad gloriam nominis tui sempiternam; ad honorem dulcissimae Genitricis tuae virginis Mariae; ad honorem omnium sanctorum tuorum omniumque beatorum angelorum; ad salutem meam et omnium fidelium, tam vivorum quam defunctorum. Suscipe hoc praecellentissimum sacramentum in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi.

Per illud instaura omnes ruinas meas spirituales, et supple omnem inopiam meam. Per illud mortifica in me quidquid tibi displicet, et effice me hominem secundum cor tuum. Per illud conforma spiritum, animam et corpus meum, spiritui, animae et corpori sacrae humanitatis tuae, meque totum luce divinitatis tuae illustra. Per illud largire, ut in te stabiliar, te perfecte et perseveranter diligam, intime tibi uniar, ac totus in te transmuter, ad laudem nominis tui quod invocatum est super nos.

Converte, Domine, miseros peccatores, revoca haereticos atque schismaticos; illumina infideles te ignorantes; adesto omnibus qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt; adesto his qui se meis precibus commendarunt, aut commendatos esse cupiunt: adesto parentibus, propinquis et benefactoribus meis, vivis et defunctis. Miserere omnium pro quibus orare debeo, et tu rogari vis; da vivis veniam et gratiam; da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Tibi laus, Christe Jesu, in saecula saeculorum. Amen.

COMMENDATIO AD BEATAM VIRGINEM.

O Domina mea, sancta Maria! me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, et in sinum

misericordiae tuae, hodie et quotidie et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo: omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam, tuique Filii voluntatem. Amen.

ORATIO AD OMNES SANCTOS.

Felices sancti, qui jam nostrae mortalitatis pelagus pertransistis, securi de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de mea supplici miseria; date manus infirmo, coelestis patriae cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello. Ad me respicite, gens illustrissima et haereditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de coelo opem et consolationem. Circumdate me gaudentem et exultantem de vestra beatitudine, et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi, ut vestris suffragiis adjutus particeps fiam vestri gaudii et coronae. Amen.

FERIA IV.

Psalmus 144.

Exaltabo te, Deus meus rex: et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.

Per singulos dies benedicam tibi: et laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio et generatio laudabit opera tua: et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur: et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent: et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt: et justitia tua exultabunt.

Miserator et misericors Dominus: patiens et multum misericors.

Suavis Dominus universis: et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua: et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentiae regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium saeculorum: et dominatio tua in omni generatione et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes qui corruunt: et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis: et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet: et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Ant. Fiat, Domine, sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te, Deus noster.

PRECES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos etc.
℣. Confiteantur Domino misericordiae ejus.
℟. Et mirabilia ejus filiis hominum.
℣. Quia satiavit animam inanem.
℟. Et animam esurientem satiavit bonis.
℣. Quis sapiens, et custodiet haec?
℟. Et intelliget misericordias Domini.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Da nobis, quaesumus, misericors Deus, ut sancta tua quibus incessanter explemur, sinceris tractemus obsequiis, et fideli semper mente sumamus.

Divini participatio sacramenti, quaesumus Domine, adaperiat cor nostrum in lege tua, et det nobis cor omnibus ut colamus te, et tuam faciamus voluntatem corde magno et animo volenti.

Haec nos, Domine, communio purget a crimine, et intercedente beata Maria semper virgine, coelestis remedii faciat esse consortes.

Refecti corpore et sanguine tuo, Domine Jesu Christe, te supplices exoramus, ut Genitricis tuae sponsi meritis et precibus, te in corpore nostro portantes in aeternum glorificare mereamur.

Deus, qui nobis panem angelorum in hoc sacramento manducare tribuis, concede propitius ut eorum puritatis in terris, et beatitudinis in coelis participes esse mereamur.

Precibus sanctorum patronorum nostrorum adjuti,

quaesumus Domine, ut cum Christus quem sumpsimus, apparuerit, vita nostra, tunc et nos cum ipso appareamus in gloria. Per eumdem etc.

ASPIRATIONES AD CHRISTUM.

O Jesu! dulcis hospes, prospere processeris ad hunc pauperculum et humilem servum. Intraveris fauste sub hoc angustissimum et vile tectum. Benedictus et superexaltatus qui venisti in cor meum, oriens ex alto.

O rex pacifice! fuga ex animo et corde meo catervas vanarum cogitationum, ut te solum, pacis auctorem, contemplari et diligere queat anima mea. Ecquid praeter te, o pax, tranquillitas et dulcedo cordis mei, quaerat et gustet anima mea?

O fons amoris perpetui! quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, et teipsum mihi dare? Fecisti, ultra omnem spem, misericordiam cum servo tuo; et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista?

Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! utinam vel uno die dignum servitium exhibere sufficerem! Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude aeterna. Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor tibi servire, nec umquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero; et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.

Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret. Da mihi semper desiderare et velle quod tibi magis acceptum est et clarius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur, et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum; nec aliud posse velle, aut nolle, nisi quod tu vis et non vis.

Da mihi omnibus mori quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo.

Da mihi, super omnia desiderata, in te quiescere, et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies, extra te omnia sunt dura et inquieta. In hac pace, in idipsum, hoc est in te uno, summo et aeterno bono, dormiam et requiescam. Amen.

ALIAE ASPIRATIONES AD EUMDEM.

O Jesu! splendor aeternae gloriae, quid te ad me *hominem peccatorem* traxit, nisi amor? Quid a me petis et exoptas, nisi amorem? Igitur diligo te propter te. Quid dignius, aequius et justius? Offero me totum tibi in rationabile et sempiternum obsequium.

Numquid saeculi vanitatibus rursum aperirentur oculi mei, postquam te, salutare Dei, viderunt? Absit. Ad te, o pulchritudo antiqua! ad te erunt semper deinceps oculi mei; alioquin obscurentur et pereant.

Numquid os meum, corpore tuo consecratum, tuoque purpuratum sanguine, vaniloquia et scurrilia, falsa, detractoria et turpia adhuc loqueretur? Absit. Si enim locuturum sit, sermones tuos tantum loquetur; si quid esurierit et sitierit, te solum angelorum panem esuriet, te solum, vitae fontem, sitiet; et in eo non erit, nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi caritas.

Numquid cor meum in quo propter nimiam caritatem tuam tibi sanctuarium parasti, ut jam te in hoc exilio possideam, aliud praeter te, aut nisi propter te amaret? Absit iterum, o Jesu! absit. Ex omnibus caris eris solus dilectus specialis, diligentur omnia propter te, et tu propter teipsum; quia tu, Domine, Deus meus, super omnia bonus es. Indica mihi quid me velis facere, ut placeam tibi omnibus diebus vitae meae. Da quod jubes, et jube quod vis.

Hic audi quid loquatur in te Dominus, qui hunc N. tibi aperiet defectum, et suaviter exprobrabit, mediaque ad ejus exterminationem suggeret, postulabitque pariter a te tale sacrificium, vel talem mortificationem per diem exercendam. An quidpiam ei denegare poteris qui se tibi totum tradidit?

Consultissimum erit renovare hic idemtidem castitatis votum, aliasque Deo factas promissiones. Deinde dices:

Adjuva me, Domine Deus, in bono proposito et sancto servitio tuo, et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est quod hactenus feci. Eleva mentem pressam mole peccatorum, et ad coelestia totum desiderium meum suspende; ut gustata suavitate supernae felicitatis pigeat de terrenis cogitare. Junge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quoniam tu solus sufficis amanti, et absque te frivola sunt universa[1].

ORATIO AD CHRISTUM.

Ex Missali Lugdunensi.

O clementissime et piissime Domine Jesu Christe! qui transiturus de hoc mundo ad Patrem, postquam coenatum est, corpus et sanguinem tuum discipulis, ob tui memoriam, tribuisti, et nobis sumendum dereliquisti: cuique placuit ut, tuo refecti corpore et potati sanguine, essemus os de ossibus tuis, et caro de carne tua; peto et obsecro per virtutem ejusdem ineffabilis sacramenti, ut tanti particeps factus mysterii, redemptione non frauder, sed ut per ipsius participationem merear veniam peccatorum, et gratiam proficiendi in fide, spe et caritate, ut ad gaudia sempiterna pertingam. Qui vivis et regnas etc.

ALIA ORATIO AD EUMDEM.

Domine Jesu Christe, in mysterio sanctissimo adorande, qui in hac miseriarum valle dignaris nobiscum misericorditer conversari, divina praesentia tua moestos consolari, ac debiles magnifice confortare, quique sacratissimo corpore tuo, tamquam excellentissimo manna, pauperes servos et humiles enutriens, te nobis tradis in edulium, sicut moriendo te nobis tradidisti in pretium: fac, dilectissime Salvator, ut cor meum sit in

1) De Imit. Chr. passim.

te, ubi est thesaurus meus; manducans te, vivam propter te; immolans te, immoler pro te; frigidus, accendar a te, liquefiam in te, suspirem jugiter ad te, sentiam in me quod sentis in te; ac feliciter carne tua refectus in terris, felicius te aliquando fruar in coelis. Amen. Fiat. Fiat.

GRATIARUM ACTIO

ex S. Joanne Chrysostomo.

Gratias agimus tibi, benigne Domine, benefactor animarum nostrarum, quod etiam praesenti die dignos fecisti nos coelestium tuorum et immortalium mysteriorum. Viam nostram dirige; confirma nos in timore tuo; custodi viam nostram; fac securos gressus nostros, precibus et intercessione gloriosae Deiparae et semper Virginis Mariae, et omnium sanctorum: exaltare super coelos, Deus, et super omnem terram gloria tua, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO

ex Liturgia S. Jacobi Apostoli.

Domine Deus, qui propter ineffabilem benignitatem tuam dignatus es humiles servos tuos mensae hujus coelestis participes facere; ne condemnes nos peccatores ob perceptionem immaculatorum mysteriorum tuorum, sed conserva benigne in sanctificatione spiritus tui, ut sancti effecti consequamur partem et haereditatem cum omnibus sanctis, qui tibi ab initio accepti fuerunt, in lumine vultus tui, per misericordiam unigeniti Filii tui Domini et Dei, ac Servatoris nostri Jesu Christi, cum quo benedictus es cum sancto et vivifico Spiritu tuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

ALIA ORATIO

ex Liturgia S. Basilii.

Domine, impletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione ob perceptionem sanctorum tuorum

mysteriorum. Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, ea praeparasti, Deus, diligentibus nomen sanctum tuum, et revelasti ea parvulis Ecclesiae sanctae tuae. Ita Pater, quia sic fuit beneplacitum ante te. Benedictus es, o Deus! Pater Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et mittimus tibi sursum gloriam, honorem et adorationem, Patri, Filio et Spiritui sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Dominator Domine, Deus Pater omnipotens, qui facis misericordiam in millia invocantibus te in veritate, respice de coelo facie benigna et oculo sereno super servos tuos. Tibi enim inclinaverunt colla cordium suorum, exspectantes a te misericordiam et benedictionem consequi. Benedic eos omni benedictione spirituali, sanctifica eos in Spiritu tuo sancto. Angelum pacificum uniuscujusque nostrum vitae praefice, custodientem, servantem, protegentem, illuminantem, dirigentem nos ad omne opus bonum. Miserans miserere, et clementer salva, et miserere; in aeternum est misericordia tua. Sanctum etiam hunc diem, omnesque dies vitae nostrae da nobis, Domine Deus, sine peccato transigere, cum omni gaudio, pace, salute, beneficiis, sanctimoniaque omni, per gratiam, miserationes et benignitatem Christi Jesu, cum quo benedictus es, et glorificatus cum Spiritu sancto.

Domine, qui benedicis benedicentes te, et sanctificas eos qui in te confidunt, salva populum tuum, et benedic haereditati tuae, et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, et ne derelinquas, Deus, sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aerem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, ecclesias, reges, sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos qui in quacumque tribu-

latione et angustia sunt, salva, et nobis gratiam tribue per preces et orationes quas faciet pro nobis domina omnium nostrum, mater Dei, diva et sancta Maria, et sancti Michael, Gabriel et Raphael, omnesque coelestes ordines; per orationes Patriarcharum et Prophetarum, dominorumque patrum Apostolorum et omnium martyrum, omnis chori cruce signatorum, justorum piorum, sapientium virginum, et angeli diei istius benedicti. Veniat benedictio eorum, caritas eorum, patientia eorum, auxilium eorum: et benedictio Dei et Domini Salvatoris nostri boni, sit cum omnibus nobis usque in aeternum. Amen.

FERIA V.

CANTICUM. *Sap. XII. et XVI.*

O quam bonus et suavis est, Domine: spiritus tuus in omnibus!

Angelorum esca nutrivisti populum tuum: et paratum panem de coelo praestitisti illi sine labore.

Omne delectamentum in se habentem: et omnis saporis suavitatem.

Substantia enim tua dulcedinem tuam: quam in filios habes, ostendebat.

Et deserviens uniuscujusque voluntati: ad quod quisque volebat, convertebatur.

CANTICUM. *Isai. XII.*

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me.

Ecce Deus salvator meus: fiducialiter agam et non timebo.

Quia fortitudo mea et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

Notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus.

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra.

Exulta et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Ant. O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples bonis, divites dimittens inanes!

PRECES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos etc.
℣. Lauda, Jerusalem, Dominum.
℟. Lauda Deum tuum, Sion.
℣. Quoniam posuit fines tuos pacem.
℟. Et adipe frumenti satiat te.
℣. Non fecit taliter omni nationi.
℟. Et judicia sua non manifestavit eis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos Filii tui corporis et sanguinis pascis alimento, ejus divinae naturae facias esse consortes.

Amoris tui sacramento, Domine, caritas nostra magis ac magis abundet; ut justitiae fructibus repleti, bonis mereamur perfrui sempiternis.

Domine Jesu Christe, qui ex hoc mundo transiturus ad Patrem sacramentum corporis et sanguinis tui in alimentum simul et solatium Ecclesiae tradidisti; da nobis ut teipsum, quem nunc absconditum in mysterio veneramur, revelata facie in coelesti gloria mereamur contemplari.

Fac nos, quaesumus Domine, tuis semper dignos

muneribus, intercedente beata virgine Genitrice tua, quam, moriens in cruce, matrem nobis pio favore dedisti.

Quos tantis, Domine, in vitam aeternam dignaris pascere sacramentis, angelico ministerio dirige in viam justitiae.

Concede nobis, quaesumus Domine, ut sacra quae sumpsimus, sanctorum nostrorum tuteliarum precibus, ad devotionis et salutis augmentum nobis proficiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

O clementissime Salvator, Christe Jesu! quam suavis es et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te! Cum enim non essemus, divina potentia *creasti* nos; cum inimici tui essemus, e coelo veniens mira sapientia *redemisti* nos; et quia sine te tam corpore quam spiritu vivere, moveri et esse non possumus, immensa *bonitate* tua, tot sacramentis et auxiliis gratiae, nos usque conservas; imo corpus et sanguinem tuum, id est *teipsum*, modo prorsus admirabili in hoc sacramento largiris. O caritas! o pietas! o novum et grande mysterium.

Tu ne, Deus meus, ad me venire dignaris? rex ac Dominus summae majestatis ad infimum servum? Deus ad hominem? Creator ad creaturam? Unde hoc mihi ut tu, Domine, venias ad me? O Deus et Dominus noster! quam admirabile est nomen tuum in universa terra! et quis narrabit potentias tuas, et auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas, et omnes vitae meae respirationes in tui laudes et gratiarum actiones, attamen longe minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde agnoscens insufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturae tuae mecum et pro me laudent et benedicant nomen tuum in aeternum.

Sed anto omnia, o clementissime Deus! accipe laudes et gratiarum actiones, quas Filius tuus Salvator noster

in assumpta humanitate, ab instanti incarnationis, toto vitae suae decursu persolvit; et illas praecipue quas instituens hoc sacramentum, et quasi jam tum agnoscens impares nos esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in coelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, omnium nostrum nomine tibi gratias egit.

Suscipe etiam, o mitissime Pater! illas gratiarum actiones quas B. V. unigeniti Filii tui Mater tibi obtulit, quando eum quem ego ipse jam inclusum pectori meo complector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, gestavit et peperit; nec non et illas quas toto vitae suae tempore, et potissimum quoties jam sublatum in coelos in sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio et intima devotione persolvit.

Benedicant quoque et laudent te omnes angelici spiritus, qui throno majestatis tuae jugiter et trementes assistunt, et cantant incessabili voce, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes sancti et amici tui, tecum modo regnantes in coelis, quorum communionem credimus, meam insufficientiam compensent suis dignissimis laudibus, quas umquam hic in terris in usu et veneratione hujus sacramenti devotissime obtulerunt; et quas tibi modo decantant, cum revelata facie comedunt panem vitae, et torrente voluptatis tuae potantur. Participem me fac, Deus, omnium timentium te et custodientium mandata tua.

O utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, et omnia tibi in terris placentium vota, desideria et merita, in me unum colligere possem, et sic tota animi intentione te amare et honorare, pro tanto amore et honore quo me in hoc sacramento cumulare dignatus es.

OBLATIO.

1. *Offer Deo Patri Filium, una cum omni ejus meritorum thesauro.*

O Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! quomodo dilexisti nos! ita nimirum, ut Filium

tuum unigenitum dares, semel quidem in pretium, sed in dies in cibum! Quid tibi pro tanta caritate, vilis ego creatura, retribuam? Hoc ipsum quo tu nihil dignius dare poteras, ego nihil majus accipere. Ipsum, inquam, dilectissimum Filium tuum offero tibi, mi Pater, quem pro salute mea tam amanter obtulisti, et in hoc sacramento *(sacrificio)*, quod pro jugi illius memoria celebramus, tam gratiose sumendum *(offerendum)* dedisti.

Quem potius tibi offeram, o Pater aeterne! quam Filium tuum dilectum, in quo tibi bene complacuit? Quem alium dirigam intercessorem tibi ego reus, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris? Suscipe igitur sanctam hanc et immaculatam hostiam Filii tui, quam ego indignus famulus tuus tibi offero, una cum omnibus ejus virtutibus, meritis, vulneribus, cruciatibus, plagis, suspiriis, sacri sudoris ac cruoris guttis; in unione illius amoris quo ipse tibi in ara crucis semetipsum obtulit; in laudem et gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me et in totum genus humanum collatis; in expiationem quoque peccatorum meorum; in suppletionem omnium defectuum meorum; in solatium et refrigerium omnium fidelium defunctorum etc. Per eumdem, quem hic offero Dominum Jesum Christum, Filium tuum etc.

2. *Offer teipsum Christo, qui se tibi tam amanter offerre dignatus est.*

O amantissime Salvator! quam magna est misericordia tua super me! *Totus nostros in usus expensus es.* Quid retribuam tibi pro omnibus quae retribuisti mihi? Visne ut praebeam tibi cor meum? nihil aequius. Verum quae mutatio, si pro te reddam me, pro Domino servum, pro Deo hominem! Sed tu, Domine, qui dignum habuisti me, pro quo dares non alium quam te; nunc quoque suppliciter rogo, ne avertas faciem tuam a me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Suscipe servum tuum in bonum, qui acce-

pisti pro me formam servi; suscipe hominem, qui factus es homo; suscipe peccatorem, qui venisti peccatores salvos facere; require ovem perditam, qui venisti quaerere et salvum facere quod perierat, qui es pastor bonus, et Agnus sine macula, tollens peccata mundi.

Suscipe pariter obsequium servitutis meae, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, in unione illius sacrificii quo tu temetipsum pro me Deo Patri, in ara crucis, hostiam obtulisti. Conjunge vile servitium meum cum omnibus quae egisti et passus es, ut de tua abundantia mea ditetur inopia, et quam ex meipso nullatenus mereor, te mediante gratiam obtineam. In manus tuas commendo spiritum meum, o Domine Deus veritatis, qui me redemisti. Tibi deinceps adhaerere mihi bonum est, et ponere in te, Domine, spem meam. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Tu es pars haereditatis meae et calicis mei; tu es qui restitues haereditatem meam mihi.

PETITIO.

O clementissime Salvator! in multitudine misericordiae et bonitatis tuae introivi ad mensam convivii tui *(ad altare tuum)*, a qua conscius miseriae et iniquitatis meae merito abstinere debuissem, ne forte accessu temerario reus fierem corporis et sanguinis tui. Verum tu, dulcissime Domine, delicta mea et ignorantias meas ne memineris, sed potius reminiscere miserationum tuarum, Domine, ut non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ecce, o Domine! confiteor adversum me injustitiam meam; tu, quaeso, remitte impietatem peccati mei. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; sed tu, qui venisti peccatores salvos facere, salva me, nec projicias me a facie tua, pro cujus salute temetipsum sponte tradidisti in pretium, cujus pro alimonia temetipsum in cibum dedisti. O quanta erit fiducia peccatoris, cui cognita est tanta pietas Salvatoris!

O benignissime Deus! cupio ex toto corde tibi servire deinceps in justitia et sanctitate omnibus diebus vitae meae. Verum, o Domine! velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio, quia in membris meis invenio aliam legem repugnantem legi mentis meae, ut non, quod volo, bonum, hoc faciam. Ad te itaque, o Domine! levavi oculos meos, quia imperfectum meum vident oculi tui. Tu respice, precor, oculis misericordiae tuae infirmitatem meam, et deduc me in semitam mandatorum tuorum. Eripe me de inimicis meis, Domine, qui parasti in conspectu meo mensam (cujus nunc ex gratia tua factus sum particeps), adversus eos qui tribulant me; et doce me facere voluntatem tuam. O scrutator cordis mei! vides quam fragilis et pronus sum ad hoc N. vel illud N. vitium; ego quidem lapsum cavere propono, sed tamen qui labor, nisi tu manum supponas! Adjuva ergo, o bone Deus! infirmitatem meam gratia tua, et in nomine tuo salvum me fac.

Et quia, *o Domine! amas animas, quoniam tuae sunt: miserere, quaeso, omnium, et respice eas; et ostende eis lucem miserationum tuarum.* Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exultent. Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te. Salvum fac populum tuum, et benedic haereditati tuae. Memor esto congregationis tuae quam possedisti ab initio. Miserere propinquorum et benefactorum meorum, et N. N., iisque communica meritum beatae passionis tuae, ut tua adjuti gratia sic vitam praesentem instituant, ut tandem in coelis aeternae vitae praemia recipiant. Audi etiam, Domine Deus, orationem mortuorum Israel, et ab omnibus peccatis suis solve eos, ut tandem videant bona tua in terra viventium. Amen.

ORATIO AD B. MARIAM VIRGINEM.

O Domina mea, o Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro

tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

O Domina mea, o Mater mea, memento me esse tuum!

Maria mater gratiae,
Dulcis parens clementiae:
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

ORATIO AD SANCTOS.

O sancti Dei omnes! qui in carne viventes, sic Domino servistis ut jam cum ipso sine fine regnetis, adeste mihi, quaeso, precibus meritisque vestris, ut panis ille coelestis, et viaticum divinum quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen; ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam, et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

FERIA VI.

Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae: propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians, quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Gloria Patri etc.

Psalmus 148.

Laudate Dominum de coelis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes angeli ejus: laudate eum, omnes virtutes ejus.

Laudate eum, sol et luna: laudate eum, omnes stellae et lumen.

Laudate eum, coeli coelorum: et aquae omnes quae super coelos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi: praeceptum posuit, et non praeteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quae faciunt verbum ejus.

Montes et omnes colles: ligna fructifera et omnes cedri.

Bestiae et universa pecora: serpentes et volucres pennatae.

Reges terrae et omnes populi: principes et omnes judices terrae.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super coelum et terram: et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus: filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Gloria Patri etc.

Ant. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

PRECES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos etc.
℣. Quam bonus Israel Deus!
℟. His qui recto sunt corde.
℣. Panem coeli dedit eis.
℟. Panem angelorum manducavit homo.
℣. Quid est homo, quod memor es ejus?
℟. Aut filius hominis, quoniam visitas eum?
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Tribue nobis, Domine, coelestis mensae virtute satiatis, et desiderare quae recta sunt, et desiderata percipere.

Domine Deus noster, qui oblatum semel in cruce sacrificium quotidianis renovas sacramentis, praesta, ut quoties haec sancta mysteria celebramus, novum toties percipiamus tuae redemptionis effectum.

Dent nobis, Domine, sumpta mysteria intelligere passiones hujus temporis non esse condignas ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis, ut communicantes Christi passionibus, in revelatione gloriae ejus gaudeamus exultantes.

Interveniat pro nobis, quaesumus, Domine Jesu Christe, apud tuam clementiam, nunc et in hora mortis nostrae, piissima Mater tua, cujus sacratissimam animam, in hora benedictae passionis tuae, doloris gladius pertransivit.

Per hujus virtutem sacramenti nos, quaesumus Domine, gratia tua confirmare digneris, ut in hora mortis nostrae non praevaleat contra nos adversarius,

sed a sanctis angelis adjuti, felicem ad vitam transitum habere mereamur.

Precibus et meritis beatorum patronorum nostrorum, praestet nobis, quaesumus Domine, coelestis cibus quem sumpsimus, ut in te morientes, a loco peregrinationis nostrae ad patriam claritatis perducamur aeternae. Per Christum Dominum nostrum.

GRATIARUM ACTIO.

1. *Admirare, gratias age etc.*

Tu ne, Deus meus, suprema majestas, infinita bonitas, qui venisti ad me, qui mansionem apud me voluisti facere, et meus esse?

Quis mihi tribuat, ut omnem affectum meum in te refundam, et revertatur tota anima mea in originem suam? O abyssus misericordiae et caritatis! vide afflictionem et paupertatem meam, et qui dives es in omnes, ne despicias me.

Benedicite Domino omnia opera ejus: benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus. Utinam affectu omnium angelorum et sanctorum tuorum te complectar et tibi gratias agam; et omnis spiritus laudet te, Domine, bone Domine!

Suscipe, obsecro, in gratiarum actionem, Pater aeterne, vitam et mortem unigeniti Filii tui; et per hanc da mihi, ut vivam et serviam tibi omnibus corporis membris et potentiis animae meae.

Domine, ante te est hoc desiderium meum. Sed imperfectum N. meum viderunt oculi tui. Verum ecce vota N. mea tibi, Domine, reddo in conspectu omnis populi tui; et memor beneficiorum tuorum et immensae caritatis tuae, dico et devoveo tibi omnia opera mea.

Credo tibi, et in te spero, et toto corde te diligo, o Deus meus, veritas mea, misericordia mea, et refugium meum, et omnia.

2. *Offer Deo Patri Filium suum.*

Clementissime Pater, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium et in cibum, et cum eo omnia, respice in faciem Christi tui in quo tibi bene complaces. Hunc ergo dilectum Filium, et cum eo cor meum retribuo tibi pro his quae hodie retribuisti mihi. Complaceat tibi, Pater, hodie in illo; ac per eum indignationem tuam avertas a me.

Ecce mediator Dei et hominum, Christus Jesus, advocatus et Pontifex, qui interpellat pro me. Hunc ego offero tibi, ipsum, inquam, qui peccatum non fecit, sed tulit peccata mundi, et languores nostros suo livore sanavit. Suscipe igitur, o sancte Pater! hanc immaculatam hostiam, in laudem et gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis; in remissionem quoque peccatorum meorum, et in supplementum omnium defectuum meorum.

3. *Ama Jesum, qui prior dilexit te.*

Amo te, Deus meus, amo te et magis amare volo. Da mihi, Domine Deus meus, speciose prae filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te quantum volo et quantum debeo. Immensus es, et sine mensura debes amari, praesertim a nobis quos sic amasti, sic salvasti, sic exaltasti et nutrivisti, pro quibus tanta et talia fecisti.

O amor, qui semper ardes et numquam extingueris! dulcis Christe, bone Jesu, caritas, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, dulcedine tua, dilectione tui, desiderio tui, caritate tua, jucunditate et exultatione tua, pietate et suavitate tua, voluptate et concupiscentia tui, quae sancta est et bona, quae casta est et munda, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma caritatis tuae vaporatus, diligam te, Dominum meum, dulcissimum et pulcherrimum, ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, et ex omni intentione mea, cum multa cordis contri-

tione et lacrymarum fonte, cum multa reverentia et tremore; habens te in corde et in ore, et prae oculis meis semper et ubique; ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus[1].

4. *Offer te ipsum Christo, qui se tibi tam amanter offerre dignatus est.*

O Domine! quia ego servus tuus et filius ancillae tuae, abrenuntio Satanae et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus: tu solus Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum; tu solus pars haereditatis meae et calicis mei; tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Suscipe ergo solus universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis, nec quidquam aliud ultra poscam[2].

5. *Virtutes christiano homine, et tuo potissimum statu, seu vocatione dignas expende, ad easque speciale auxilium gratiae, per virtutem hujus sacramenti, pete.*

O Christe Jesu, mitis et humilis corde, qui cum in forma Dei esses, teipsum exinanisti, formam servi accipiens, ac etiamnum humilias te ad manus cujuslibet indigni sacerdotis; qui demittis te ad species panis et vini, adeoque a multis viliter et contemptim te tractari sinis! da mihi, ut non sit exaltatum cor meum, neque elati sint oculi mei, ut non ambulem in magnis, neque in mirabilibus super me; ut non altum sapiam, sed timeam.

O mi Domine, qui cum dives esses, pauperis servi formam accepisti! inclina cor meum, Deus, in testimonia tua et non in avaritiam; ut delecter in via

---

[1]) S. Augustin. in Manuali, c. 10. — [2]) S. Ignat. Loy.

testimoniorum tuorum, sicut in omnibus divitiis; ut habens victum et amictum, his contentus sim.

O Agne immaculate, qui de Virgine nasci voluisti! da mihi puritatem mentis et corporis per illud quod hic nobis das, *Vinum germinans virgines*. Cor mundum crea in me, Deus!

O Christe Jesu, qui ut agnus innocens ductus es ad victimam, et tot injurias et opprobria passus! da mihi spiritum patientiae et mansuetudinis. Discam a te mitem esse et humilem corde.

O Christe Salvator, qui sitiens aceto et felle potatus es, et omnes spiritus delicias nobis in hoc sacramento parasti! aufer a me ventris concupiscentias. Da ut tibi, Deo meo, serviam, non ventri aut voluptati, et ut juxta praeceptum tuum semper attendam, ne umquam gravetur cor meum crapula et ebrietate.

O Domine, qui in horto cum sudore sanguinis prolixe et ferventissime orasti! fac ut laudem te ex toto corde, ne dormitet anima mea prae taedio in tuo cultu ac servitio. Redde mihi laetitiam salutaris tui.

O Domine, qui ex vera caritate pro inimicis tuis orasti! fac ut diligam proximum sicut meipsum, et benefaciam his qui oderunt me.

O dulcissime Salvator et scrutator cordium! tu nosti quid sit in homine, qui omnes vias meas consideras; tu scis optime quibus in hoc statu N. (officio N.) in quo per gratiam tuam constitutus sum, virtutibus et donis magis indigeam; tribue itaque mihi gratiam tuam, tu qui tam copiosum gratiae thesaurum, imo teipsum gratiae auctorem nobis in hoc sacramento dedisti, et me nunc ad illius participationem tam clementer admisisti. Quae autem non obvenient illi bona, ad quem divertere dignatur fons ipse bonorum? Ingressus aliquando Zachaei domum, dixisti: *Hodie huic domui salus facta est*. Ingressus jam es, o Christe! domum animae meae; dic ei, quaeso: *Salus tua ego sum;* quia dicere tuum est facere; et tu solus es, Deus, Salvator meus.

Adjuva me, Deus salutaris meus, et propter gloriam nominis tui libera me et salva me. Quid est enim Jesus, nisi Salvator? Vere non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

O Domine! Quia tam dignanter venisti ad me, non dimittam te, nisi benedixeris mihi, tu qui aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione. O utinam accipiam benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari meo; quatenus eam de virtute in virtutem, donec clare te videam Deum deorum in Sion, quem nunc in sacramento velatum, et per speculum in aenigmate video!

6. *Pete quoque proximis tuis, his praesertim quos habes singulariter commendatos, hujus sacrificii aut sacramenti fructum applicari.*

O Domine, cujus viscera misericordiae patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subiisti, et hoc sacramentum instituisti: da, quaeso, sacerdotibus concordiam et innocentiam; regibus et principibus tranquillitatem et pacem; virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam; poenitentibus indulgentiam; justis perseverantiam; peccatoribus, ut mihi misero, veniam; viduis et orphanis sustentationem; pauperibus protectionem; peregrinantibus reditum; lugentibus consolationem; omnibus denique fidelibus christianis, vivis atque defunctis, gratiam et vitam aeternam. Amen [1].

7. *Per manus et merita B. V. Mariae pete commendari Deo sacrificium, aut communionem tuam.*

O beata Maria! quis tibi digne valeat justa gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes

[1]) S. Aug. in Medit. c. 40.

fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones; et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus. Quia tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, et in te, beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem [1].

8. *Sanctorum et inprimis patronorum ope et intercessione fructum hujus sacrificii aut communionis a Deo pete.*

Dominator Domine, valde misericors Jesu Christe, precibus super omnes illibatae Deiparae et semper virginis Mariae, virtute pretiosae et vivificae crucis, protectionibus venerandarum coelestium virtutum incorporearum, venerandi et gloriosi prophetae, praecursoris et Baptistae Joannis, sanctorum gloriosorum et percelebrium Apostolorum, et inclytorum Martyrum, sanctorum Doctorum et Pontificum, beatorum monachorum et deiferorum patrum nostrorum, sancti N. cujus memoriam celebramus, sanctorum justorum Dei parentum Joachim et Annae, et omnium sanctorum, acceptam redde nostram orationem: peccatorum nostrorum veniam largire; sub protectione alarum tuarum nos fove; omnem inimicum et adversarium a nobis expelle: pacificam vitam praebe: nostri populique

[1]) S. Augustin. Serm. XVIII. *de Sanctis* (Brev. Rom. die 9. Dec.).

tui miserere, et animas nostras, ut bonus et clemens, salva. Amen [1].

SABBATO.

CANTICUM ZACHARIAE. *Luc. I.*

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui a saeculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorarj testamenti sui sancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri et Filio etc.

CANTICUM B. MARIAE VIRGINIS. *Luc. I.*

Magnificat anima mea Dominum etc. *ut supra pag. 94.*

---

1) **Ex Rituali Graecorum, inter orat. Lucernarii.**

CANTICUM SIMEONIS. *Luc. II.*

Nunc dimittis servum tuum, Domine: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parasti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelatione mentium: et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri et Filio etc.

Ant. Quid Domini bonum est et pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in laetitia.

PRECES.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos etc.

℣. Calix benedictionis cui benedicimus.

℟. Communicatio sanguinis Christi est.

℣. Et panis quem frangimus.

℟. Participatio corporis Domini est.

℣. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.

℟. Et labiis exultationis laudabit os meum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cujus clementia non solum beneficia praestat immeritis, sed affectum quoque nobis quo gratias referamus, inspirat; da nobis, hujus participatione mysterii, ut pietatis tuae repleti muneribus, laudes quas numquam sufficienter exsolvimus, numquam reddere desinamus.

Gratias tibi agimus, omnipotens Deus, qui refecisti nos pane coelesti et poculo spirituali, clementiam tuam implorantes, ut per infusionem Spiritus sancti tui, in quibus coelesti cibi virtus introivit, sinceritatis gratia perseveret.

Deus, qui magno misericordiae munere docuisti nos redemptionis nostrae sacrificium celebrare, sicut obtulit Pontifex noster Jesus Christus in terris; da nobis, quaesumus, ut sanctificati per oblationem corporis et sanguinis ejus, cum ipso mereamur in sempiternum consummari.

Tuere nos, Domine, quaesumus, per tua dona quae sumpsimus, et interveniente beata Maria semper virgine a cunctis hostibus et periculis redde securos.

Quos angelorum pane satiasti, Domine, fac ut angelus tuus bonus praecedat semper et custodiat in via, et introducat in locum quem parasti eis.

Da, quaesumus Domine, nobis sacro munere refectis, eo Spiritu in sinu ecclesiae mundari, quo beatus Joannes intra viscera materna est sanctificatus.

Deus, qui justo Simeoni Christum tuum videre, et in ulnis suscipere tribuisti; concede nobis, quaesumus, eumdem Dominum in mysteriis susceptum facie ad faciem videre in coelis.

Ineffabili dono mensae coelestis refecti, sic tibi, Domine, exemplo et meritis Ss. Patronorum nostrorum adhaeramus; ut cor nostrum et caro nostra nunc et in perpetuum, in te Deum vivum exultent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ACTUS AMORIS.

Amo te, Domine Jesu, jucunditas mea et requies mea; amo te, summum et unicum bonum meum, ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus meis; et si tu vides me in hoc deficere, saltem desidero amare te; et si satis id non opto, saltem desidero id multum desiderare. Succende, Domine, igne tuo ardentissimo viscera mea, et quandoquidem non nisi amorem petis a me, da quod jubes, et jube quod vis. Nisi enim dederis mihi velle et perficere, peribo utique in infirmitate mea. Sonet vox tua in auribus meis, vox illa dulcissima et efficacissima, *volo;* nam si vis, potes me mundare et illuminare; potes me ad supre-

mum amoris gradum elevare. Sicut voluisti pro me pati et mori, ita etiam velis ut appareat in me fructus passionis et mortis tuae. Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti; tu enim dixisti: Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. O dulcissimum verbum: tu in me, et ego in te! O quantus amor, tu in vilissimo peccatore, et ego in te, Deus meus, cujus majestas incomprehensibilis est! Unum est mihi necessarium, et hoc solum quaero, in te vivere, in te quiescere, a te numquam separari. Felix est qui te quaerit, felicior qui te possidet, felicissimus qui in hac possessione perseverat et moritur. O dies infelices quos turpiter transegi diligens vanitatem, et recedens a te! Et nunc, Domine, qui venisti in hunc mundum ut peccatores salvos faceres, redime animam meam in sola fiducia miserationum tuarum respirantem, et aufer a me omnia amoris tui impedimenta. Procul sit a me omnis terrena delectatio, nihil sapiat mihi, nihil me alliciat, nisi tu. Vive et regna semper in me, fidelissime amator animae meae; in te enim sunt omnia bona, et jam deinceps paratus sum omnia potius mala perpeti, quam ut umquam cessem amare te. O corpus sacratissimum quinque vulneribus sauciatum! pone te ut signaculum super cor meum, et imprime illi caritatem tuam. Obsigna pedes meos, ut sequar vestigia tua; obsigna manus, ut bona semper opera exerceam; obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in aeternum. O sanguis pretiosissime qui omnem hominem abluis et purificas! lava animam meam, et pone signum in faciem meam, ut nullum praeter te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei et vita animae meae! sicut tu in Patre, et Pater in te est, ita ego per gratiam tuam unus tecum sim amore et voluntate, mihique mundus crucifixus sit, et ego mundo. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

Gratias tibi ago, benignissime Deus, quod me vilissimum peccatorem admittere dignatus sis ad vivifi-

cum tuae mensae convivium. Et quis sum ego pulvis et cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans coelos tuos et descendens, ut sanguine tuo purissimo sordes meas lavares, et deficientem prae fame animam meam, non manna de coelo, sed carne tua immaculata reficeres et satiares! Si coeli coelorum te capere non possunt, et angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis ego sum, et quae domus mea, ut ad me venire, et indignis manibus meis contrectari, ac in me commorari volueris? Quid in me invenisti, rex tremendae majestatis, quod a templo gloriae tuae traheret te, et descendere faceret in abyssum miseriarum? Vos, angeli sancti, vos omnes electi Dei, venite, audite, et narrabo vobis quanta fecit Deus animae meae; cum enim essem pauper et abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad coelum prae multitudine iniquitatum mearum, ille me de pulvere suscitavit, erexit de stercore, ut sederem cum principibus, et de mensa ejus comederem omnibus diebus vitae meae. Gratias illi agite ex me, vos amici mei fidelissimi; ego enim puer sum, non annis, sed sensu, et nescio loqui, nec verba invenio quibus possim, ut par est, tam copiosum munus gratiae extollere et praedicare. Quis enim amor infinitae caritati ejus a me reddi potest, qui frigus et gelu dici, non autem amor mereatur? Quae laus, quae adoratio, quale obsequium meum erit, quod nullum non reddat infinita ejus perfectio et dignitas, et ima ac summa indignitas mea? Sed tu, Domine, miserator et clemens, et immensae bonitatis, tu nosti figmentum meum, non despicies humillimam gratiarum actionem quam tibi offero de paupertate mea, et sacrificium laudis meae honorificabit te. Tua est magnificentia, tua est gloria, et tibi laus in perpetuas aeternitates pro tam excelso et incomparabili beneficio. Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant universi populi, tribus et linguae, omnes angeli et sancti tui, quoniam misericordia tua magnificata est super me, et miserationes tuae super omnia opera tua. Jubilent tibi omnes creaturae, quae-

cumque coeli, terrae et abyssi ambitu continentur, et laudem tibi perpetuam dicant, quae a te exiens, in te refluat omnium rerum principium et finem. Jubilent tibi et gratias agant cor meum et anima mea, vires, sensus, potentiae, et omnia membra corporis mei; tibique soli honor et gloria, a quo, per quem et in quo omnia; qui es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.

OBLATIO.

Servus tuus ego sum, Domine Deus meus, et pro tributo servitutis meae aliquid tibi offerre vellem, quod majestate tua dignum et acceptabile foret; sed excedit omnem facultatem meam debitum meum, quia tantum tibi debeo quanti tu vales, qui infinitus es. Et ex me quidem nihil possum, nihil sum; habeo tamen ex gratia tua donum praeclarissimum, quod nullo modo recusare potes; habeo dilectissimum Filium tuum, Dominum meum Jesum Christum, qui ita se mihi communicavit, ut ego in illo, et ille in me sit. Quare verba Prophetae tui aptissime usurpabo, et dicam[1]: *Benedic, anima mea, Domino; et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus.* Ipse enim Filius tuus digne pro me nomini tuo benedicet, teque amabit et glorificabit; nam intra me sacramentaliter existens factus est unum mecum, et ego unum cum illo. Ipsum igitur offero tibi ut thymiama suavissimi odoris, ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis; in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens majestati tuae. Praesta ut deinceps nec

---

1) Ps. CII.

membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi. Tu sapientia mea, tu lux mea es; tu fortitudo mea et robur meum; doce me, illumina me, corrobora me, ut cognoscam et faciam voluntatem tuam. Offero me tibi in servum perpetuum, meque totum resigno in beneplacitum tuum, abjecta de me omni cura et sollicitudine. Quidquid mihi evenire permiseris, a divina manu tua amantissime suscipiam. In tempore et in aeternitate id volo quod tu ab aeterno de me decrevisti, sive prosperum illud sit, sive adversum. Vivat semper et regnet super me beneplacitum tuum, quod in omni verbo, actione, cogitatione et levissimo quoque motu implere desidero. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Desunt enim mihi verba quibus explicem affectum meum; sed projicio me in ardentissimam fornacem amoris tui, quo succensus ad me venire dignatus es, et mansionem apud me facere. Succende me, Domine; inflamma cor meum; viscera combure, ut jugiter tibi ardeam, in te vivam et in te moriar. Amen.

PETITIONES.

Dulcissime amator, Domine Jesu Christe, qui me corpore tuo immaculato et pretiosissimo sanguine refecisti, ignosce, obsecro indignitati meae, et quidquid deliqui in hujus Missae celebratione, misericorditer indulge. Agnosco enim et confiteor praesumptionem meam, quia ad hoc tremendum mysterium accedere ausus sum sine debita praeparatione, reverentia, humilitate et caritate. Respice in me oculis misericordiae tuae, et supple excessu meritorum tuorum meam nimiam imperfectionem. Heu! quotidie venisti ad me, ut pauperrimam animam meam donis tuis locupletares. Ego autem contempsi te, et abii in regionem dissimilitudinis post prava desideria cordis mei. Cumque inutiliter dissipata omni substantia, ad te nudus et fame consumptus reversus sum, tu suscepisti me, et omnium

iniquitatum mearum oblitus es. Bonum mihi quod amasti me amore aeterno et infinito; nisi enim infinita esset bonitas tua, nullo modo posses tolerare miseriam meam. Vincat igitur et absorbeat bonitas tua malitiam meam. Riga me lacrymis quas fudisti pro me, unge me myrrha doloris tui, adstringe vinculis; ablue sanguine, cruce erige, morte vivifica. Penetret amor tuus viscera mea, et omnem alienum amorem expellat. Abscedat phantasmatum multitudo, meque totum in te transforma, ut in te pereat omnis substantia mea, meque amplius non inveniam nisi in te. Imprime cordi meo amorem crucis et humiliationis, qui, ut me redimeres, uno nequidem momento sine cruce esse voluisti. Ne patiaris me sine fructu a te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum sanctis tuis operatus es; et fac me ambulare in fortitudine cibi istius usque ad montem perfectionis. Succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecum consummatus in unum, omnino abstractus a me ipso et ab omni creatura. Omnibus quoque famulis tuis pro quibus obtuli hoc sacrificium, et pro quibus orare debeo, seu tu rogari vis, da pacem, salutem et tuam benedictionem. Converte miseros peccatores ad te. Revoca haereticos atque schismaticos. Illumina infideles te ignorantes. Adesto omnibus qui in aliqua necessitate et tribulatione constituti sunt. Esto propitius propinquis et benefactoribus meis. Miserere omnium adversantium mihi, vel qui me aliqua molestia affecerunt. Succurre illis qui se meis precibus commendarunt. Da vivis veniam et gratiam, da fidelibus lucem et requiem sempiternam. Amen.

ASPIRATIONES AD B. VIRGINEM, ANGELOS ET SANCTOS.

Respice in me, gloriosissima Virgo Maria, quia dignum objectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo, qui me corpore et sanguine suo suavissime refecit, et offer ei merita tua in supplementum imperfectionis meae. Gratias age ei pro me, et impetra mihi ut sacramen-

tali sua praesentia non discedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

Angeli sancti, ministri Dei altissimi, facientes verbum illius, aspicite Primogenitum Patris aeterni, quem introeuntem in orbem terrarum jussu Patris adorastis, et facite me in eo spiritu et veritate illi servire, quo vos eidem in hac vita ministrastis, et nunc in coelesti patria servitis.

Sancti Patriarchae et Prophetae, viri desideriorum, conscii secretorum Dei, intuemini promissum ab initio mundi Redemptorem, quem tam ardenter desiderastis, et tanto tempore exspectastis, nec videre potuistis: facite me toto affectu ad ipsum suspirare, ut reliquae promissiones ejus fideles inveniantur, et sentiam promissos hujus sacramenti effectus.

Apostoli Jesu Christi, ejusque Evangelii clarissimi praedicatores, aspicite in me ipsum dilectissimum Magistrum vestrum quem tantopere dilexistis: et impetrate mihi, ut intimis visceribus ipsum super omnia amem, ejusque fervoris particeps fiam, quem tunc experimentaliter gustastis, quando hoc cibo de manu ejus refecti fuistis.

Invictissimi martyres, Christum respicite crucifixum, pro cujus amore sanguinem vestrum tam libenter fudistis: ipsumque orate, ut me semper in cruce vivere et mori faciat, quatenus vicem quam possum ejus dilectioni rependam.

Beati Pontifices, dominici gregis pastores, Agnum cernite immaculatum quem omnipotenti Deo in sacro altari toties immolastis: et vestris precibus facite me tanti sacrificii dignum ministrum, ut meipsum bonis operibus perpetuo immolem tam sacrae oblationi associatum.

Servi fideles Christi, sancti monachi et eremitae, videte dulcissimum Dominum vestrum, pro quo omnia hujus mundi oblectamenta et affectu et re ipsa reliquistis: et facite me pro ejusdem amore prospera mundi despicere, nulla ejus adversa formidare, et ad fastigium sanctitatis quantocius pervenire.

Purissimae virgines, Sponsum vestrum intuemini, cui cum summa exultatione virginitatem vestram consecrastis: illibatam mihi mentis et corporis puritatem obtinete, ut, hujus vitae cursu peracto, mundus ab omni labe in conspectu Domini merear praesentari.

Omnes sancti et sanctae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos praesertim patroni et protectores mei, aspicite magistrum, auctorem et praemium sanctitatis vestrae, ac universam vestram felicitatem intra viscera mea manentem; mihique ab ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis, ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

MONITA AD SACERDOTES.

I. DE GRATIARUM ACTIONE POST MISSAM.

Ex s. Joanne Chrysostomo.

Audiamus, et sacerdotes et subditi: ante gratiarum actionem resilire, domumque redire, non mediocrem contemptum habet . . . Vultis, dicam cujusnam opus perficiant illi qui, coena absoluta, gratiarum actionis hymnos non offerunt? Durum fortasse videbitur quod sum dicturus, sed necesse est tamen ut, ob plerorumque negligentiam, dicatur. Quando ultimae coenae communicavit Judas, nocte illa postrema, caeteris omnibus recumbentibus ipse se proripiens excessit; illum imitantur et isti qui ante gratiarum actionem discedunt. Haec igitur mente versemus, haec apud nos cogitemus, et huic propositam sceleri damnationem reformidemus. Ipse suam tibi carnem largitur; at tu, ne verbis quidem eum remuneraris, neque pro iis quae accepisti, gratias agis. Atqui dum hoc corporeo vesceris cibo, post mensam ad orationem te convertis; dum vero spiritualis, et omnem creaturam tum visibi-

lem tum invisibilem superantis, fis particeps, tametsi homo sis et vilis naturae, non exspectas ut gratias agas et verbis et factis? Quid hoc est aliud quam extremo supplicio sese obnoxium reddere[1]?

Haec nos cogitantes, quae nostra sunt omnia erga proximum impleamus, Deoque semper gratias agamus. Etenim absurdum esset, cum quotidie ejus beneficiis fruamur, ne verbo quidem ejus gratiam confiteri, cum maxime confessio illa magnam nobis utilitatem afferat. Neque enim ille rebus eget nostris, sed nos ejus opibus egemus. Nam gratiarum actio illi quidem nihil adjicit, sed nos ipsi magis familiares facit. Nam si hominum beneficia in mentem revocemus, magis eorum amore succendimur; multo magis si Domini erga nos beneficia assidue in mente versemus, ad ejus mandata servanda studiosiores erimus. Ideo Paulus dicebat[2]: *Grati estote*. Beneficii enim optima custodia est beneficii memoria, et assidua gratiarum actio. Ideoque horrenda illa mysteria, tam salutaria, quae in singulis collectis celebramus, *Eucharistia* appellantur, quia beneficiorum multorum commemoratio sunt, caputque ipsum divinae providentiae ostendunt, nosque per omnia apparant ad gratias agendas. Nam si ex virgine nasci magnum est miraculum, ac stupore perculsus Evangelista dicebat: *Hoc autem totum factum est;* immolari pro nobis, in quo, quaeso, statuemus loco? Nam si nasci *totum* vocatur; crucifigi, et sanguinem pro nobis effundere, ac seipsum dare in cibum et convivium spirituale, quo nomine appellandum? Gratias ergo illi assidue agamus; hoc praecedat et verba et opera nostra[3].

II. DE DIGNITATE SACERDOTUM.

Ex s. Augustino.

O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis, incarnatur!

---

[1]) Homil. de Baptismo Christi, in fine. — [2]) Coloss. III. 15. — [3]) Homil. XXV. in Matth. n. 3.

O felices sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis! O coeleste mysterium, quod per vos Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tam mirabiliter operantur, sub tam ineffabili mysterio vestro, quod uno eodemque momento, idem Deus qui praesidet in coelo, in manibus vestris est in sacrificio! Coelum miratur, horrescit infernus, contremiscit diabolus, reveretur quam plurimum angelica celsitudo. Quid retribuam Domino (ut taceam de caeteris quae retribuit mihi) pro tam singulari dono mihi sacrificii impenso, quod est datum optimum et donum perfectum? O venerabilium sanctitudo manuum! O felix exercitium, ubi tractat Christum sacerdos Dei Filium, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum! O sacerdotes, attendite: major est dignitas vobis collata, quam angelis, qui adorant quod vos conficitis, nec ipsi conficere possunt. O altitudo sapientiae Dei! o ineffabilis clementia Salvatoris! Quod datum non est angelis, concessum est homini. Sacerdos hoc sacramentum ineffabile conficit, angelus conficienti illi, quasi famulus, assistit. O quam venerabile, quam gloriosum, quam insigne fuit apud antiquos nomen sacerdotii! Sed hodie quid abjectius eo, quid vilius? O sacerdotes! si anima cujuslibet justi sedes Dei est, multo magis sedes ac templum Dei esse debetis mundum et immaculatum. Si beatus est venter qui novem mensibus Christum portavit, ita, etsi non tantum, tamen beata esse debent corda vestra, in quibus quotidie eligit sibi hospitium Filius Dei. Si beata sunt ubera quae parvulus suxit, ita debet et os esse beatum quod carnem ejus sumit et sanguinem sugit. Carnes ergo vestras cum timore ejus configite, et vobis diligenter providete, ne lingua, loquendo quae vocat de coelo Filium Dei, contra Dominum loquatur; et ne manus quae intinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccati.

III. DE EADEM DIGNITATE.

Ex libro de Imitatione Christi, lib. IV, c. 11, n. 6 et 7.

O quam magnum et honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et caeteris ministrare!

Oh! quam mundae debent esse manus illae, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor erit sacerdotis, ad quem toties ingreditur Auctor puritatis! Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam saepe accipit Christi sacramentum.

Oculi ejus simplices et pudici, qui Christi corpus solent intueri; manus purae et in coelum elevatae, quae Creatorem coeli et terrae solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur: *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester*[1].

Tu autem, o homo Dei! haec meditare, in his esto[2].

---

1) Lev. XIX. 2. — 2) I. Tim. IV. 15; VI. 11. Quapropter Sacerdoti quam maxime commendandum est, ut animam suam continuo piissimis illis affectibus nutriat, quos ven. Auctor operis de Imitatione Christi, praesertim in quarto suo libro, abundanter suggerere, divino afflante Spiritu, curavit.

PARS SEXTA.

CONTINENS LITANIAS PRECESQUE DEVOTISSIMAS, ANTE VEL POST SACRUM RECITANDAS.

LITANIAE.

Nota. Congregatio S. Officii d. 18. April. 1860 decrevit: „Litaniae omnes praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus et Ritualibus continentur, et praeter Litanias B. Mariae V. quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii, nec publice in ecclesiis, publicis oratoriis et processionibus recitentur absque licentia et approbatione sacrorum Rituum Congregationis."

DIE DOMINICA.

In sanctis constituit nobis Deus praesidium. (S. Leo.)
Hi sunt fratrum amatores et populi Israel; hi sunt qui multum orant pro populo et universa sancta civitate. (II. Machab. XV.)

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, qui sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares: miserere mei, ut in ipsum credens, eumque sequens, dignus sim qui in sacrificium tibi illum offeram.

Fili, Redemptor mundi Deus, qui te pro nobis in ara crucis obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum: miserere mei, ut tantum semper tractem mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet.

Spiritus sancte Deus, cujus ineffabili virtute beata Virgo Maria Christum Dominum concepit et peperit: miserere mei, ut ego quoque eumdem Dominum ac

Deum meum sincero affectu ac puro corde in hoc sacramento concipere, et deinceps sanctis operibus palam ostendere valeam.

Sancta Trinitas unus Deus, qui, pro infinita clementia, me indignum peccatorem ad sacrum altaris ministerium vocare dignatus es: miserere mei, ut tam sancta vocatione digne ambulem, omnibus ornatus virtutibus.

Sancta Maria, de cujus utero Dei Verbum, angelo nuntiante, carnem suscepit, quam ego indignus offerre et sumere intendo: ora pro me, ut haec sanctissima caro efficiatur mihi salus et vita.

Omnes *sancti Angeli et Archangeli,* qui Filium Dei propter nos hominem factum humiliter adorastis, jamque regnanti in coelis semper ad ministerium assistitis: orate pro me, ut bonus ejusdem minister effectus, gradum bonum mihi acquiram, et multam fiduciam in fide.

Omnes *sancti Prophetae et Patriarchae,* qui variis typis, figuris et umbris, hujus sacrificii et sacramenti mysteria praefigurastis, et ad Messiam ingenti desiderio, multis votis ac suspiriis anhelastis: orate pro me, ut illo ad altare fruens eam reportem gratiam et salutem, de qua exquirentes prophetastis.

Omnes *sancti Apostoli,* qui primi ex hominibus a Christo assumpti estis ad offerendum sanctissimum legis novae sacrificium: orate pro me ut, ad idem munus electus, sollicite curem meipsum probabilem exhibere Deo.

Omnes *sancti Evangelistae,* qui institutionem hujus sacramenti illustri testimonio asseruistis: orate pro me, ut ad illud cum fide, timore et dilectione semper accedam.

Omnes *sancti Discipuli Domini,* qui una cum primis fidelibus perseverantes eratis quotidie in communicatione fractionis panis, ita ut credentium esset cor unum et anima una: orate pro nobis, ut et nos qui de uno pane et de uno calice participamus, non nisi in

unione pacis et vinculo caritatis ad sacramentum pacis et amoris accedamus, ut unanimes uno ore honorificemus Deum et Patrem, et Dominum Jesum Christum, qui est pax nostra.

Omnes *sancti Innocentes,* qui Christo recens nato tenella corpora vestra, et ipsos infantiae atque innocentiae annos, novelli martyres consecrastis: orate pro me, ut ego ingrediar in innocentia mea ad altare Dei, et una cum hoc sacrificio seu sacramento meipsum Deo meo hostiam vivam, sanctam et placentem offerre valeam.

Omnes *sancti Martyres,* qui Christo regi Martyrum, corpus et vitam in passione litanti, vicem quam potuistis per martyrium rependistis: orate pro me, ut spirituali martyrio mortificans membra mea super terram, digne mortis ejus celebrem mysterium.

Omnes *sancti Pontifices et Confessores,* sacerdotes Domini, qui digna sacrorum oblatione et communione, omni benedictione coelesti et gratia repleti estis: orate pro me, ut a sancta mensa recedam caritatis ignem spirans, et diabolo, divina virtute, terribilis factus.

Omnes *sancti Monachi et Eremitae,* quibus dignus non erat mundus, quique per divini participationem mysterii, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam cucurristis ad propositam coronam: orate pro me, ut nec mundum, neque ea quae in mundo sunt, diligens, dignus eisdem efficiar repromissionibus.

Omnes *sanctae Virgines et Viduae,* quae per castitatis studium, dignum Filio Dei in vobis habitaculum praeparastis: orate pro me, ut et ego, expurgatis omnibus quae ejus displicent majestati, jucundum ei in corde meo exhibeam hospitium.

Omnes *Sancti et Sanctae Dei,* qui beatifica jam visione aspicitis, honoratis et adoratis, quem nos hic interim non nisi sub speciebus, et quasi in aenigmate videmus: intercedite pro me ut, per salutiferum hujus sacramenti usum, vestro tandem dignus consortio inveniar. Amen.

Oremus.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, intercedentibus omnibus sanctis tuis, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus; qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata Maria semper Virgine, cum omnibus sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores nostros, atque loca nostra in omni sanctitate custodi; omnesque consanguinitate, affinitate atque familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra, pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aërem salubrem et terrae fertilitatem indulge, amicis et inimicis nostris caritatem largire, atque urbem hanc N. cum omnibus in ea habitantibus ab omni peste, infideliumque et haereticorum feritate et potentia illaesam conserva, et omnibus fidelibus, vivis et defunctis, in terra viventium vitam et requiem aeternam concede; et nostrum Pontificem N., Antistitem N., Regem N., omnes praelatos, et cunctum populum christianum ab omni adversitate custodi; et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

FERIA II.

LITANIAE PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. (II. Mach. XII. v. 46.)

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus sancte Deus, miserere.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, ora pro fidelibus defunctis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes sancti Martyres. orate.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Catharina, ora.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro fidelibus defunctis.
Propitius esto: parce eis, Domine.
Propitius esto: exaudi nos, Domine.
Ab omni malo: libera eos, Domine.
Ab ira tua, libera.
A flamma ignis, libera.
A regione umbrae mortis, libera.
Per admirabilem conceptionem tuam, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per dulcissimum nomen tuum, libera.
Per multitudinem miserationum tuarum, libera.
Per acerbissimam passionem tuam, libera.
Per sanctissima vulnera tua, libera.
Per ignominiosam mortem, qua nostram moriendo destruxisti: libera.

Peccatores: te rogamus, audi nos.
Qui peccatricem absolvisti et latronem exaudisti, te rogamus, audi nos.
Qui salvandos salvas gratis, te rog.
Ut parentes, propinquos et benefactores nostros ab omnibus peccatis et poenis suis absolvas, te rog.
Ut omnium fidelium defunctorum, quorum specialis memoria in terris non habetur, meminisse et miserere digneris, te rog.
Ut omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis indulgeas, te rog.
Ut luctum eorum in gaudium convertas, te rog.
Ut desiderium ipsorum adimplere digneris, te rog.
Ut facias eos plenius benedicere te, et sacrificium tibi laudis tuae offerre, te rog.
Ut eos in tuorum societate constituas electorum, te rog.
Fili Dei, te rog.
Fons pietatis, te rog.
Qui claves habes mortis et inferni, te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis req.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis req.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera nos etc.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui, inter apostolicos sacerdotes, famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere; praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator,

quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Pro defuncto Sacerdote.

Praesta, quaesumus Domine, ut anima famuli tui N. Sacerdotis, quem in hoc saeculo commorantem sacris muneribus decorasti, in coelesti sede gloriosa semper exultet.

Pro uno defuncto.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortem.

Pro una defuncta.

Quaesumus, Domine, pro tua pietate, miserere animae famulae tuae N., et a contagiis mortalitatis exutam in aeternae salvationis partem restitue.

FERIA III.

LITANIAE SANCTORUM ANGELORUM.

Habetote familiares angelos, et frequentate eos sedula cogitatione et devota oratione. (S. Bern. in Ps. 90.)

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, regina Angelorum: ora pro nobis.
Sancte Michael, qui populo Dei semper defensor fuisti, ora.
Sancte Gabriel, qui incarnationis Verbi divini nuntius extitisti, ora.
Sancte Raphael, qui Tobiam salvum duxisti et reduxisti, ora.
Sancti Seraphim, orate.
Sancti Cherubim, orate.
Sancti Troni, orate.
Sanctae Dominationes, orate.
Sanctae Virtutes, orate.
Sanctae Potestates, orate.
Sancti Principatus, orate.
Sancti Archangeli, orate.
Sancti Angeli, orate.
Qui excelsum magni Dei thronum circumstatis, orate.
Qui jugiter Deo Sanctus, sanctus, sanctus, concinitis, orate.
Qui semper faciem Patris, qui in coelis est, videtis, orate.
Qui hominum curam et custodiam a Deo mandatam accepistis, orate.
Qui Loth cum suis de medio impiorum eduxistis, orate.
Qui Jacob de cunctis malis eruistis, orate.
Qui Moysi legem Dei tradidistis, orate.
Qui nato Salvatore gloriam Deo et pacem hominibus gratulando decantastis, orate.
Qui Christo in deserto, post depulsum tentatorem, ministrastis, orate.
Qui Lazarum in sinum Abrahae deportastis, orate.
Qui Dei famulos ex carceribus et aliis vitae periculis saepe liberastis, orate.
Qui sanctis martyribus in tormentis saepius solatio fuistis, orate.
Qui orantium preces ad Deum defertis, orate.
Qui super uno peccatore poenitentiam agente gaudetis, orate.

Qui super regna et provincias constituti estis, orate.
Qui cum Christo in majestate sua ad judicandum procedente venturi estis, orate.
Administratorii spiritus, qui capientibus haereditatem salutis in ministerium missi estis, orate.
Ministri Dei, qui facitis voluntatem ejus, orate.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
A cunctis periculis, per sanctos angelos tuos, libera nos. Domine.
Ab insidiis diaboli, per sanctos angelos tuos, libera.
Ab omni peccato, per sanctos angelos tuos, libera,
A subitanea et improvisa morte, per sanctos angelos tuos, libera nos, Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Per sanctos angelos tuos, te rog.
Ut nobis parcas, te rog.
Ut nobis indulgeas, te rog.
Ut ecclesiam tuam regere et conservare digneris, te rog.
Ut reipublicae christianae pacem et unitatem largiri digneris, te rog.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rog.
Ut in hora mortis nostrae sanctos angelos tuos ad nos mittere digneris, te rog.
Ut post mortem animas nostras per manus sanctorum angelorum recipere, et aeterna beatitudine donare digneris, te rog.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei etc.
℣. Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui miro ordine angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum etc.

ORATIO AD SANCTUM MICHAELEM ARCHANGELUM.

O sancte Michael archangele, coelestis militiae princeps, qui semper stas in adjutorium populo Dei, et praeliatus es cum magno dracone, serpente antiquo, eumque projecisti de coelo, et Ecclesiam Dei fortiter propugnas, ut portae inferi non possint praevalere adversus eam; oro te ex intimo corde, ut mihi adsis in hoc difficili et ancipiti praelio, quod mihi fragili et inermi creaturae cum eodem hoste gerendum est. Tu esto mecum, princeps fortissime, ut superbo draconi quem tu virtute divina gloriose vicisti, quemque Christus supremus rex noster in assumpta nostra natura prostravit, fortiter resistere, eique feliciter praevalere possim; et ita de hoste triumphans, una tecum et cum sanctis angelis jugiter laudem clementiam Dei, qui quidem angelis malis, post peccati ruinam, justo judicio negavit misericordiam; nobis tamen hominibus, post lapsum, tam misericorditer resurgere dedit ad gratiam.

ORATIO AD SANCTUM ANGELUM CUSTODEM.

O angele Dei! qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hoc die (*vel* hac nocte) illumina, custodi, rege et guberna. Defende nos in mortis hora, et Judicem pro nobis ora.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui me, licet indignum, ad imaginem tuam creasti, et angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputasti; da mihi servo tuo, illius ductu et custodia, malorum omnium, tam animae quam corporis, pericula feliciter pertransire, et post hujus vitae curriculum, cum illo ad aeterna gaudia pervenire. Per Christum etc.

ALIA ORATIO AD EUMDEM.

Quantum debeo, o sancte angele! communi nostro Domino et parenti, qui te mihi dedit ut duceres, videns

caecum, sapiens stultum, fortis imbecillem, gnarus viae ignarum, et quidem inter tot pericula et praecipitia! O quoties me discriminibus exemisti! Quoties ad interitum ruentem servasti! Maximas tibi gratias ago pro eo quod praestas mihi quotidie; et enixe oro atque obtestor, ut servare me ac tueri pergas, abducas a malo, impellas ad bonum: coge etiam nolentem, adjuva volentem, sustine euntem; denique sic ducito, ut tandem ad beatitudinem perducas, qua tu semper jam frueris; ut quemadmodum hic tuus fui pupillus et cliens, sim illic civis et socius; et gaudeas creditam commissamque tuae curae animam tam felici portui appulisse. Amen.

FERIA IV.

LITANIAE DE SANCTO JOSEPH, SPONSO B. MARIAE VIRG.

Ite ad Joseph (Gen. XLI, 55). *Constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae* (Ps. CIV, 21).

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, sponsa sancti Joseph, ora pro nobis.
Sancte Joseph, in sponsum Mariae prae omnibus electe, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ineffabilibus benedictionibus dotate, ora.
Sancte Joseph, Patriarcharum culmen, ora.
Sancte Joseph, adjutorium Mariae simillimum, ora.
Sancte Joseph, vir virgo Virginis matris, ora.
Sancte Joseph, antesignane virginei conjugii, ora.
Sancte Joseph, solatium Dei Genitricis, ora.
Sancte Joseph, fili David, ora.

Sancte Joseph, cujus filius dici et putari dignatus est Filius Dei, ora.
Sancte Joseph, cui Dominus universorum se subjecit, ora pro nobis.
Sancte Joseph, *quem tamquam alterum David Deus invenit secundum cor suum* (s. Bern.), ora.
Sancte Joseph, qui dignus habitus es, *cui tuto committeret Deus secretissimum atque sacratissimum cordis sui arcanum* (idem), ora.
Sancte Joseph, *cui datum est non ignarum esse mysterii quod nemo principum hujus saeculi agnovit* (idem), ora.
Sancte Joseph, *qui, quod multi reges et prophetae voluerunt videre ac audire, et non viderunt nec audierunt, meruisti non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire* (idem), ora.
Sancte Joseph, Christi pueri, post Virginem, adorator prime, ora.
Sancte Joseph, moderator incarnatae Sapientiae, ora.
Sancte Joseph, nutritie Pastoris universi, ora.
Sancte Joseph, organum Verbi silentis, ora.
Sancte Joseph, custos thesauri coelorum, ora.
Sancte Joseph, redemptor Redemptoris oblati, ora.
Sancte Joseph, salvator Salvatoris mundi, ora.
Sancte Joseph, dux Rectoris omnium, ora.
Sancte Joseph, hospes Dei peregrinantis, ora.
Sancte Joseph, coadjutor magni consilii, ora.
Sancte Joseph, caput nobilissimae et sanctissimae familiae, ora.
Sancte Joseph, cui rex et regina coelorum servierunt, ora.
Sancte Joseph, Jesu et Mariae singulariter dilecte, ora.
Sancte Joseph, cui *par in terra non est natus* (Eccli. XLIX, 16), ora.
Sancte Joseph, *tanto melior angelis effecte, quanto differentius prae illis nomen haereditasti,* ora.
Sancte Joseph, *cui gratiam Jesus et Maria vultu,*

voce, vita et continua conversatione per tot annos afflarunt, ora.
Sancte Joseph, *in castitate mundissime* (s. Bern.), ora.
Sancte Joseph, *in humilitate profundissime* (id.), ora.
Sancte Joseph, *in caritate ardentissime* (id.), ora.
Sancte Joseph, *in contemplatione altissime* (id.), ora.
Sancte Joseph, *vir juste atque perfecte* (Eccli. XLIV.), ora.
Sancte Joseph, pretiosissima inter brachia Christi et Mariae morte functe, ora.
Sancte Joseph, qui corpore et animo peculiaribus gloriae donis frueris, ora.
Sancte Joseph, qui solio Matris et Filii tam proxime assides, ora.
Sancte Joseph, *in salutem electorum Dei maxime* (Eccli. XLVI, 2), ora.
Sancte Joseph, *princeps fratrum* (ib. XLIX, 17), ora.
Sancte Joseph, *firmamentum gentis* (ibid.), ora.
Sancte Joseph, *stabilimentum populi* (ibid.), ora.
Sancte Joseph, protector morientium, ora.
Sancte Joseph, praesidium nostrum, ora.
Agnus Dei etc.

Ant. Beatus ille servus quem constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum.

℣. Ora pro nobis, sancte Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ALIA ANTIPHONA.

Fecit me Dominus quasi patrem regis, et dominum universae terrae; venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona.

℣. Sancte Joseph, noli despicere animam meam.
℟. Et animas servorum tuorum.

Oremus.

Custodi nos, Domine, protectione perpetua, qui beatum Joseph Unigenito tuo nutritium et Virgini matri custodem providisti. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

SALUTATIO S. JOSEPH.

Ave, Joseph, gratia plene, Jesus et Maria tecum, benedictus tu in hominibus, et benedictus fructus Sponsae tuae, Jesus. Sancte Joseph, pater nutritie Jesu et beatae Virginis Mariae sponse, ora pro nobis clientibus tuis, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo, Domine.
℟. Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum.

Oremus.

Fac nos, Domine, Genitricis tuae sponsi merita digne recolere, ac virtutes ejus, puritatis, caritatis et vitae absconditae, perpetuo imitari; ut ejus apud te intercessione, omnia nobis adversantia in hora mortis superare valeamus, et ad te feliciter pervenire. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

INVOCATIO S. JOSEPH.

Magne Joseph, Fili David,
Custos date Virgini,
Quem et Virgo nuncupavit
Patrem Christi Domini.
Qui fidelis servus Dei
Datus es familiae,
Precor, velis curam mei,
Tamquam pater, gerere.

℣. Invenit Joseph gratiam coram Domino suo.
℟. Et ministravit ei.

Oremus.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut sicut beatus Joseph Unigenito tuo, nato de Maria Virgine, suis manibus reverenter ministrare meruit, ita nos facias cum cordis munditia tuis altaribus deservire. Per eumdem Christum etc.

FERIA V.

LITANIAE DE SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Panis vive, qui de coelo descendisti, miserere.
Deus abscondite et salvator, miserere.
Frumentum electorum, miserere.
Vinum germinans virgines, miserere.
Panis pinguis et deliciae regum, miserere.
Juge sacrificium, miserere.
Oblatio munda, miserere.
Agnus absque macula, miserere.
Mensa purissima, miserere.
Angelorum esca, miserere.
Manna absconditum, miserere.
Memoria mirabilium Dei, miserere.
Panis supersubstantialis, miserere.
Verbum caro factum, miserere.
Habitans in nobis, miserere.
Hostia sancta, miserere.
Calix benedictionis, miserere.
Mysterium fidei, miserere.
Praecelsum et venerabile sacramentum, miserere.
Sacrificium omnium sanctissimum, miserere.

Vere propitiatorium pro vivis et defunctis, miserere nobis.
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur, miserere.
Stupendum supra omnia miraculum, miserere.
Sacratissima Dominicae passionis commemoratio, miserere.
Donum transcendens omnem plenitudinem, miserere.
Memoriale praecipuum divini amoris, miserere.
Divinae affluentia largitatis, miserere.
Sacrosanctum et augustissimum mysterium, miserere.
Pharmacum immortalitatis, miserere.
Tremendum ac vivificum sacramentum, miserere.
Panis omnipotentia Verbi caro factus, miserere.
Incruentum sacrificium, miserere.
Cibus et conviva, miserere.
Dulcissimum convivium, cui assistunt angeli ministrantes, miserere.
Sacramentum pietatis, miserere.
Vinculum caritatis, miserere.
Offerens et oblatio, miserere.
Spiritualis dulcedo, in proprio fonte degustata, miserere.
Refectio animarum sanctarum, miserere.
Viaticum in Domino morientium, miserere.
Pignus futurae gloriae, miserere.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab indigna corporis et sanguinis tui susceptione, libera nos, Domine.
A concupiscentia carnis, libera.
A concupiscentia oculorum, libera.
A superbia vitae, libera.
Ab omni peccandi occasione, libera.
Per desiderium illud quo hoc pascha cum discipulis manducare desiderasti, libera.
Per summam humilitatem qua discipulorum pedes lavasti, libera.
Per ardentissimam caritatem qua hoc divinum sacramentum instituisti, libera.
Per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti, libera.

Per quinque vulnera hujus tui corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti, libera.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut in nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis sacramenti augere et conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris, te rog.
Ut nos ab omni haeresi, perfidia, ac cordis caecitate liberare digneris, te rogamus.
Ut sanctissimi hujus sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris, te rogamus.
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris, te rogamus.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis etc.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Oremus.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc.

SALUTATIO AUGUSTISSIMI SACRAMENTI.

Ave verum corpus natum
De Maria Virgine:
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine:
Cujus latus perforatum
Unda fluxit cum sanguine:
Esto nobis praegustatum
Mortis in examine.
Jesu dulcis, Jesu pie,
Fili Virginis Mariae!
Fac nos culpas digne flere,
Ac clementer miserere.

℣. Iste Deus meus. ℟. Et glorificabo eum.

Oremus.

Tribue nobis, Domine Deus, ut qui Jesum Christum, pro nobis natum de Virgine, et in cruce passum, sub sacramento praesentem esse credimus et confitemur, ex hoc divino fonte hauriamus sincerae devotionis affectum. Per eumdem etc.

INVOCATIO CHRISTI IN MYSTERIO PRAESENTIS.

Bone Pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere.
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac sanctorum civium. Amen.

℣. Gustate et videte. ℟. Quoniam suavis est Dominus.

Oremus.

Quaesumus, Domine Deus noster, ut nos ad manducandum panem tuum continua pietate renovare digneris; nec sine hoc aeternae vitae pignore ex praesenti saeculo migrare permittas. Per Christum etc.

℣. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. ℟. Et metuant eum omnes fines terrae.

Oremus.

Sit nobis, Domine, fons omnis benedictionis et gratiae sacramentum corporis Unigeniti tui, quo nos in hac peregrinatione sustentas, ut in fortitudine cibi illius usque ad montem sanctum tuum ambulantes, in tuo sinu quiescamus. Qui vivis etc.

PRO REPARATIONE INJURIARUM

Christo in sacra Eucharistia illatarum.

Ant. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas

nobis. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos; et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

Oremus.

Gementes ac dolentes super cunctis abominationibus quae fiunt in domo tua, propitius respice, misericors Deus, et pro contumeliis quibus in sacramento sui amoris impetitur Dominus Jesus, ipsum fac pro nobis esse apud te propitiationem. Qui tecum vivit etc.

Domine Jesu, qui zelo domus Patris tui accensus vendentes et ementes de templo ejecisti, eumdem in nobis per tua sacramenta quae sumpsimus (*aut* sumpturi sumus), zelum accende; ut et commissa in domo tua scelera plangere, et committenda avertere satagamus. Qui vivis etc.

ORATIO AD SACRUM COR JESU.

O cor, amoris victima,
Amore nostri saucium,
Mortalium spes ultima,
Solamen hic moerentium.
Tu Trinitatis gloria,
Unit tibi se Filius,
Sunt Patris in te gaudia,
In te quiescit Spiritus.

Ave, admirabile cor Jesu: te laudamus, te benedicimus, te glorificamus, tibi gratias agimus, tibi cor nostrum offerimus, donamus et consecramus: accipe et posside illud totum: purifica, illumina et sanctifica, ut in ipso vivas et regnes in perpetuum. Amen.

℣. Jesu mitis et humilis corde.

℟. Fac cor nostrum secundum cor tuum.

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, in faciem et in cor Christi tui; et sacris quibus ardet ignibus, ita corda nostra comburas, ut nihil nobis sapiat, nihil nos delectet, nihil nos alliciat, praeter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat etc.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles cordis tui divitias Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperire dignatus es; concede propitius, ut gratiis coelestibus ex hoc divinissimo fonte manantibus corda nostra ditari ac recreari mereantur. Qui vivis etc.

ORATIO AD SANCTISSIMUM COR MARIAE.

Quam sancta Matris viscera!
Quam sancta sunt et ubera!
Regale sed cor omnibus
Miraculis praestantius.
Ave, cor admirabile,
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servans Dei mysteria.

℣. Cor Mariae cordi Jesu simillimum.
℟. Fac cor nostrum secundum cor Jesu.

Oremus.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium, cor immaculatum B. Mariae V. divino cordi Filii ejus Jesu Christi caritate et misericordia simillimum esse voluisti; concede, ut qui hujus dulcissimi et amantissimi cordis memoriam agimus, ejus intercessione ac meritis, secundum cor Jesu inveniri mereamur. Per eumdem etc.

Domine Jesu Christe, qui de virginalis uteri thalamo procedens in ejusdem intemeratae Virginis corde suaviter ac perpetuo quievisti; quaesumus ut, peractis corporis et sanguinis tui mysteriis, jugiter in cordibus nostris habitare digneris. Qui vivis etc.

FERIA VI.

LITANIAE SS. NOMINIS JESU.

Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum curret justus, et exaltabitur. (Prov. XVIII, 10.)

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Jesu audi nos. Jesu exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Jesu Fili Dei vivi, miserere.
Jesu splendor Patris, miserere.
Jesu candor lucis aeternae, miserere.
Jesu rex gloriae, miserere.
Jesu sol justitiae, miserere.
Jesu fili Mariae Virginis, miserere.
Jesu amabilis, miserere.
Jesu admirabilis, miserere.
Jesu Deus fortis, miserere.
Jesu Pater futuri saeculi, miserere.
Jesu magni consilii angele, miserere.
Jesu potentissime, miserere.
Jesu patientissime, miserere.
Jesu obedientissime, miserere.
Jesu mitis et humilis corde, miserere.
Jesu amator castitatis, miserere.
Jesu amator noster, miserere.
Jesu Deus pacis, miserere.
Jesu auctor vitae, miserere.
Jesu exemplar virtutum, miserere.
Jesu zelator animarum, miserere.
Jesu Deus noster, miserere.
Jesu refugium nostrum, miserere.
Jesu pater pauperum, miserere.
Jesu thesaurus fidelium, miserere.
Jesu bone pastor, miserere.
Jesu lux vera, miserere.

Jesu sapientia aeterna, miserere nobis.
Jesu bonitas infinita, miserere.
Jesu via et vita nostra, miserere.
Jesu gaudium Angelorum, miserere.
Jesu rex Patriarcharum, miserere.
Jesu magister Apostolorum, miserere.
Jesu doctor Evangelistarum, miserere.
Jesu fortitudo Martyrum, miserere.
Jesu lumen Confessorum, miserere.
Jesu puritas Virginum, miserere.
Jesu gloria Sacerdotum, miserere.
Jesu corona Sanctorum omnium, miserere.
Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.
Ab omni peccato, libera nos Jesu.
Ab ira tua, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A morte perpetua, libera.
A neglectu inspirationum tuarum, libera.
Per mysterium sanctae incarnationis tuae, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per infantiam tuam, libera.
Per divinissimam vitam tuam, libera.
Per labores tuos, libera.
Per agoniam et passionem tuam, libera.
Per crucem et derelictionem tuam, libera.
Per languores tuos, libera.
Per mortem et sepulturam tuam, libera.
Per resurrectionem tuam, libera.
Per ascensionem tuam, libera.
Per gaudia tua, libera.
Per gloriam tuam, libera.
Per dulcissimam Virginem matrem tuam, libera.
Agnus Dei, qui tollis etc.
Jesu, audi nos. Jesu, exaudi nos.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Oremus.

Deus, qui gloriosissimum nomen Jesu Christi Filii tui Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, et malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, ut omnes qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis et interminabilis beatitudinis obtineant in coelis. Per eumdem etc.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo; ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Qui vivis etc.

SANCTI GREGORII DE PASSIONE DOMINI BREVES PRECATIONES.

1. **O** Domine Jesu Christe! adoro te in cruce pendentem, coronam spineam in capite portantem. Deprecor te, ut tua crux liberet me ab angelo percutiente. Amen. *Pater. Ave.*

2. O Domine Jesu Christe! adoro te in cruce vulneratum, felle et aceto potatum. Deprecor te, ut vulnera tua sint remedium animae meae. Amen. *Pater. Ave.*

3. O Domine Jesu Christe! rogo te per illam amaritudinem passionis tuae quam in hora mortis sustinuisti, maxime tunc quando anima tua sanctissima de benedicto tuo corpore est egressa. Miserere animae meae in egressu suo de corpore meo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen. *Pater. Ave.*

4. O Domine Jesu Christe! adoro te in sepulchro positum, myrrha et aromatibus conditum. Deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen. *Pater. Ave.*

5. O Domine Jesu Christe! adoro te descendentem ad inferos, et tuos inde liberantem captivos. Deprecor te, ut illuc numquam me patiaris introire. Amen. *Pater. Ave.*

6. O Domine Jesu Christe! adoro te a morte resur-

gentem, et in coelum ascendentem, sedentemque ad dexteram Patris. Deprecor te, ut illuc te sequi, et tibi praesentari merear. Amen. *Pater. Ave.*

7. O Domine Jesu Christe! Pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, et propitius esto mihi misero et indigno peccatori. Amen. *Pater. Ave.*

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam, nunc et in hora mortis meae.

Largiri mihi digneris gratiam et misericordiam, vivis veniam, defunctis requiem, Ecclesiae tuae pacem, cunctisque peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas etc.

ORATIO AD DOMINUM PATIENTEM.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari; tu Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crncem et mortem tuam, libera me a poenis inferni, et perducere digneris quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

ORATIO
ex septem ultimis verbis Christi in cruce pendentis.

Piissime Jesu, qui pro salute mea dignatus es nasci in stabulo, vivere in laboribus, et mori in cruce, dic Patri tuo, pro me moriente: ***Pater, dimitte illi;*** san-

ctissimae Matri tuae: *Ecce filius tuus;* et animae meae: *Hodie mecum eris in paradiso.* Deus meus, *Deus meus, ne derelinquas me. Sitio* ad fontem vitae; *consummatur* tempus vitae meae; *in manus tuas commendo spiritum meum;* suscipe, Domine, serva et miserere. Amen.

SABBATO.

LITANIAE LAURETANAE BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Quas devote recitantibus Pius VII. P. M. concessit Indulgentiam 300 dierum; singulis vero diebus recitantibus Indulgentiam plenariam in Festis Imm. Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V., dummodo vere poenitentes et confessi et s. Communione refecti ecclesiam aliquam visitaverint, ibique juxta Summi Pontificis mentem oraverint. Die 30. Sept. 1817.

Totum nos habere voluit Deus per Mariam. **(S. Bern.)**

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divinae gratiae, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora.
Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.
Virgo prudentissima, ora.
Virgo veneranda, ora.
Virgo praedicanda, ora.
Virgo potens, ora.

Virgo clemens, ora pro nobis.
Virgo fidelis, ora.
Speculum justitiae, ora.
Sedes sapientiae, ora.
Causa nostrae laetitiae, ora.
Vas spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas insigne devotionis, ora.
Rosa mystica, ora.
Turris Davidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Foederis arca, ora.
Janua coeli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorum, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Regina sine labe originali concepta, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis, Dne.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: exaudi nos, Dne.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Ave Maria, gratia plena etc.

Ant. Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. *Vel:*

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa B. Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ALIA ANTIPHONA.

O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra; tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Invoca Dominum, et loquere regi pro nobis.
℟. Et libera nos de morte. *(Esth. XV.)*

Oremus.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et beatae Mariae semper Virginis patrociniis confidentes, a cunctis hostibus et periculis redde securos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Deus ineffabilis misericordiae, qui non solum homo, sed etiam filius hominis fieri dignatus es, et mulierem matrem in terris habere voluisti, qui Deum patrem habebas in coelis; da nobis, quaesumus, ejus memoriam devote celebrare, ejus maternitatem summe venerari, ac ejus superexcellentissimae dignitati humillime subesse, quae te de Spiritu sancto concepit, te virgo peperit, et te in terris sibi subditum habuit, Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Qui

cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

PROSA DE B. VIRGINE MARIA.

Inviolata, integra et casta es, Maria,
Quae es effecta fulgida coeli porta.
O mater alma Christi carissima!
Suscipe pia laudum praeconia.
Nostra ut pura pectora sint et corpora,
Te nunc flagitant devota corda et ora.
Tua per precata dulcisona,
Nobis impetres veniam per saecula.
O benigna! o Regina! o Maria!
Quae sola inviolata permansisti.
℣. Benedicta tu in mulieribus.
℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Oremus.

Cordibus nostris, quaesumus Domine, gratiam tuam benignus infunde, et intercedente sanctissima Dei Genitrice Maria corpora nostra castitate, et mentes nostras humilitate et caritate sanctifica. Per eumdem etc.

ORATIO S. BERNARDI AD B. VIRGINEM.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te, Virgo virginum, mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere; sed audi propitia, et exaudi. Amen.

℣. Monstra te esse matrem, sancta Virgo virginum.
℟. Intercede pro nobis apud Christum Dominum.

Oremus.

Famulorum tuorum, quaesumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eumdem etc.

OBLATIO SUI AD B. VIRGINEM.

Sancta Maria, mater Dei et Virgo, ego, licet indignus qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia confisus, eligo te hodie coram angelo meo custode et tota coelesti curia, in meam matrem et peculiarem dominam, patronam et advocatam; firmiterque propono, me deinceps tibi et Filio tuo servire velle fideliter, et adhaerere perenniter.

Obsecro te, Mater sacratissima, per amorem quo Filius tuus, jam moriturus in cruce, semetipsum Patri suo, te vero discipulo suo, et hunc vicissim tibi commendavit; ut me suscipias in curam et tutelam tuam, et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae, sed praecipue in hora mortis. Amen.

PRO OBTINENDA CASTITATE.

Per sanctam virginitatem et immaculatam conceptionem tuam, purissima Virgo Maria, emunda cor meum et carnem meam. Amen.

Virgo singularis, Stella pia maris,
Christi carne pastos, mundos fac et castos.
Vitam praesta puram, viam da securam,
Ut ad tui Nati nuptias vocati
Semper collaetemur, teque veneremur. Amen.

LAUS IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. M. V.

Pius VI. rescripto dato die 21. Novembris 1793, centum dierum Indulgentiam concessit haec pie pronuntiantibus:

Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatissimae Virginis Mariae. In Conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti: ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti.

LITANIAE IN HONOREM D. N. J. CH.

SACERDOTIS ET VICTIMAE.

Circa tempora Ordinationum praesertim dicendae.

Ex Script. et inprimis ex Epistola ad Hebraeos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Jesu sacerdos in aeternum, miserere.
Jesu appellate a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech, miserere.
Jesu pontifex quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute, miserere.
Jesu pontifex magne, miserere.
Jesu pontifex ex hominibus assumpte, miserere.
Jesu pontifex pro hominibus constitute, miserere.
Jesu pontifex confessionis nostrae, miserere.
Jesu pontifex amplioris prae Moysi gloriae, miserere.
Jesu pontifex tabernaculi veri, miserere.
Jesu pontifex futurorum bonorum, miserere.
Jesu pontifex sancte, innocens et impollute, miserere.
Jesu pontifex fidelis, miserere.
Jesu pontifex misericors, miserere.
Jesu pontifex benefice, miserere.
Jesu pontifex Dei et animarum zelo succense, miserere.
Jesu pontifex in aeternum perfecte, miserere.
Jesu pontifex qui penetravit coelos, miserere.
Jesu pontifex sedens ad dexteram majestatis in excelsis, miserere.
Jesu pontifex nunc apparens vultui Dei pro nobis, miserere.
Jesu pontifex qui initiavit nobis viam novam et viventem, miserere.

Jesu pontifex qui dilexit et lavit nos a peccatis in sanguine suo, miserere.
Jesu pontifex qui fecit nos regnum et sacerdotes Deo Patri, miserere.
Jesu pontifex qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, miserere.
Jesu hostia Dei et hominum, miserere.
Jesu hostia immaculata, miserere.
Jesu hostia accepta, miserere.
Jesu hostia placabilis, miserere.
Jesu hostia solemnis, miserere.
Jesu hostia magnifica, miserere.
Jesu hostia laudis, miserere.
Jesu hostia pacifica, miserere.
Jesu hostia propitiationis, miserere.
Jesu hostia reconciliationis, miserere.
Jesu hostia salutis, miserere.
Jesu hostia in qua habemus fiduciam et accessum ad Deum, miserere.
Jesu hostia quae fecit utraque unum, miserere.
Jesu hostia mactata ab origine mundi, miserere.
Jesu hostia vivens in saecula saeculorum, miserere.
Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, libera nos Jesu.
A temerario in clerum ingressu, libera.
A peccato sacrilegii, libera.
A spiritu incontinentiae, libera.
A turpi quaestu, libera.
Ab omni simoniae labe, libera.
Ab indigna opum ecclesiasticarum dispensatione, libera.
Ab amore mundi ejusque pomparum, libera.
Ab indigna mysteriorum celebratione, libera.
Per aeternum sacerdotium tuum, libera.
Per sanctam Divinitatis unctionem qua a Deo Patre in sacerdotem inauguratus fuisti, libera.
Per sacerdotalem spiritum tuum, libera.

Per ministerium illud quo Patrem tuum super terram clarificasti, libera.
Per cruentam tui ipsius immolationem semel in cruce factam, libera.
Per illud idem sacrificium in altari quotidie renovatum, libera.
Per divinam illam potestatem, quam in sacerdotibus tuis unicus et invisibilis sacerdos exerces, libera.
Ut omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut fiat in illis spiritus sacerdotii tui, te rog.
Ut labia sacerdotum scientiam custodiant, te rog.
Ut in messem tuam mittas operarios inconfusibiles, te rog.
Ut ministros tuos efficias flammam ignis, te rog.
Ut suscites pastores secundum cor tuum, te rog.
Ut omnes sacerdotio fungentes irreprehensibiles sint et sine macula, te rog.
Ut qui viderint ministros altaris, Dominum venerentur, te rog.
Ut sint offerentes tibi sacrificia in justitia, te rog.
Ut per eos sanctissimi sacramenti cultum ubique promovere digneris, te rog.
Sacerdos et victima, te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu sacerdos, audi nos.
Jesu sacerdos, exaudi nos.

Oremus.

Domine Jesu, apostole et pontifex confessionis nostrae, qui cum in forma Dei esses, exinanisti temetipsum, et per omnia fratribus similari voluisti, ut misericors fieres et fidelis pontifex ad Deum, et repropitiares delicta populi; compatere, quaesumus, infirmitatibus nostris; emunda per sanguinem tuum conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo vi-

venti, et praesta, ut adeuntes cum fiducia ad thronum gratiae, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Deus, qui ad Majestatis tuae gloriam et generis humani salutem, Unigenitum tuum summum constituisti sacerdotem, praesta, ut quos mysteriorum suorum elegit cooperatores et dispensatores, ministerium quod acceperunt, fideliter impleant.

Deus, tuorum gloria sacerdotum, qui ad immortales triumphos eos extulisti qui fideliter ministerium suum impleverunt; praesta, ut eorum intuentes exitum conversationis, virtutes imitemur. Per Dominum etc.

ORATIONES PRO ORDINANDIS.

Ecclesiae tuae, Deus, sanctificator et custos, suscita in ea per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores; ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis, te protegente, dirigatur.

Deus, qui, ministrantibus et jejunantibus discipulis, segregari jussisti Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpseras eos; adesto nunc Ecclesiae tuae jejunanti et oranti, et tu, qui omnium corda nosti, ostende quos elegeris in ministerium.

Protector ecclesiae tuae, Deus, te supplices exoramus, ut super famulos tuos, quos ad gradus Sanctuarii vocare dignaris, benedictionis tuae gratiam infundas; ut in conspectu tuo ministerium fideliter adimplentes praedestinata sanctis tuis praemia, te adjuvante, feliciter consequantur.

Bone Pastor, qui animam tuam posuisti pro ovibus tuis, et easdem carnis et sanguinis tui alimento vivificas; reple eodem caritatis spiritu quos ad gregis tui custodiam destinasti, ut libentissime pro salute ovium tuarum et impendant sua, et seipsos superimpendant. Qui vivis etc.

ORATIONES AD RENOVANDAM ORDINATIONIS GRATIAM.

1. Resuscita in nobis, Domine, gratiam salutarem quam per manuum impositionem nobis largiri dignatus es; ut quos tibi ministros consecrasti, fideles dispensatores inveniamur.

2. Deus, qui summus sacerdos et hostia, tuo corpore et sanguine reficis ministros quos tibi consecrasti; concede, quaesumus, ut tui sacerdotii consortes digne ambulemus vocatione qua vocati sumus, et plebem tuam pascere studeamus verbo et exemplo. Qui vivis etc.

3. Deus, qui facis angelos tuos spiritus, et ministros flammam ignis, emitte Spiritum tuum, et renova faciem cleri; ut sacerdotes, velut administratorii spiritus in ministerium missi, de regno tuo tollant omnia scandala, et ignem quem venisti mittere in terram, in omnium cordibus accendant. Per Christum.

PRECES DIVERSAE ANTE VEL POST MISSAM.

ORATIO S. THOMAE AQUINATIS

ad multas magnasque virtutes impetrandas aptissima.

Concede mihi, quaeso, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere.

Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum; et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim et velim, et da exequi sicut oportet et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa, ut in illis non extollar, et in istis non deprimar; in prosperis gratias tibi referam, et in adversis servem patientiam; de

nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te; nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in caritate da facere, et quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da peragere, non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te; et cara mihi sint omnia tua, et tu, Deus meus, plus quam omnia. Delectet me omnis labor qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies quae non est in te.

Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil quod nulla a te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio; et da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter et fiducialiter exspectantem, fiduciam te feliciter amplectentem. Da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas, Deus, in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO SACERDOTIS ANTE PRIMAM MISSAM.

Domine Jesu Christe, qui me indignum famulum tuum N. hodierna die (pro prima vice) dignaris assumere ad sacrificandum tibi hostiam laudis, et ad corpus et sanguinem tuum consecranda in memoriam passionis et mortis tuae; suscipe propitius in odorem suavitatis oblationem meam, et tibi sacerdoti aeterno me, licet immeritum, caritatis intimae vinculis consocia; ut in spiritu ardoris et in animo contrito, sanctarum coeli virtutum agmine stipatus, nuptiali veste decorus, sacerdotalis castitatis zona praecinctus, teipsum, victimam sanctam et agnum immaculatum, Deo Patri merear ea, qua par est, devotione praesentare; quatenus Ecclesiae tuae catholicae meum hoc (primum) sacrificium proficiat, et nova haec munera, super altare tuum imponenda, ad meam meorumque sanctificationem tuae sint accepta majestati. Qui vivis et regnas etc.

ORATIO PRESBYTERI.

Domine Jesu, apostole et pontifex confessionis nostrae, semper vivens ad interpellandum pro nobis; qui cum essem parvulus in oculis meis, ex hominibus assumpsisti me, et pro hominibus constituisti me in iis quae sunt ad Deum, ut offeram dona et sacrificia pro peccatis, et condolere possim iis qui ignorant et errant: emunda, quaeso, per sanguinem tuum conscientiam meam ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi; et sanctifica me in veritate, ut sacrificia mea consumantur igne quotidiano[1], et tibi confixus cruci immoler ipse supra sacrificium[2]. Fac ut tanquam bonus dispensator multiformis gratiae Dei, in membra tua illam administrans, impendam et superimpendar ipse pro animabus fratrum meorum, servorum tuorum; et concede, ut te glorificans super terram, et opus consummans quod dedisti mihi ut faciam, ubi es tu, et ego sim tecum, ut videam claritatem tuam quam dedit tibi Pater ante constitutionem mundi. Qui vivis et regnas etc.

---

[1]) Eccli. XLV. 17. — [2]) Philipp. II. 17.

ORATIO PASTORIS.

Clementissime Domine Jesu Christe, pontifex aeterne, qui me indignum famulum tuum, ignorantem egressum et introitum meum, ad functionem muneris apostolici vocare dignatus es, ut oves hujus ovilis salutaris pabulo doctrinae pascerem; et ecclesiae huic quam tuo pretioso sanguine redemisti, in his quae ad te sunt, praeessem: horreo et toto corde contremisco, quoties considero quis ego sim, et quid requirat onus quod infirmis humeris meis incumbit. Qui enim pro una et sola anima mea rationem non possum reddere, pro toto hoc grege quomodo reddam? Quid ego infelix? Quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum illud quod tibi sanguine proprio comparasti, contingat me negligentius custodire? Si stillantem in cruce sanguinem tuum collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod portare saepius oporteret, quid animi habiturus essem in tanto discrimine? At certe pretiosum illum sanguinem quem tu mercator non insipiens, imo ipsa Patris sapientia, in pretium animarum dedisti, servandum accepi a te, Domine, idque in vasis fictilibus et quovis vitro fragilioribus. Impares sunt sane humeri mei tanto oneri, si meas vires respiciam; impeditioris et tardioris linguae sum, nescio loqui, puer sum, et regi, quam regere magis idoneus. Obsecro igitur te Principem pastorum et animarum nostrarum episcopum, qui nullum vocare soles ad aliquod munus obeundum, cui non etiam eas largiaris dotes, quibus ornatus et instructus digne opus ad quod vocatus est, perficere possit; me etiam inutile sarmentum insere in te qui es vitis vera, ut fructus feram uberrimos. Da servo tuo cor docile, ut voluntatem tuam annuntiem populo tuo. Da mihi amplecti eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sim exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Verbum veritatis ne auferas ab ore meo, et da mihi gratiam, ut ferventi spiritu eloquar illud, ne aures tantum

feriat, sed cor penetret et fructum optatissimum afferat. Renova vitam meam, et amores meos in melius commuta, ne dum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Tolle a me superbiam, iracundiam, sensualitatem et turpis lucri cupiditatem. Largire hospitalitatem, benignitatem, sobrietatem, justitiam, sanctitatem et continentiam, ne ulli hominum scandalum praebeam, aut blasphemandi verbum tuum occasionem offeram. Concede mihi spiritum quo oves meas in visceribus tuis diligam, nec aliter tractem quam mater unicum quem habet filium tractare soleat; nulla infirmetur, cum qua ego non infirmer; nulla scandalizetur, et ego non urar; libentissime mea omnia impendam, et superimpendar ipse pro animabus earum. Juva me, Domine, ut quod infirmum est, consolidem; quod aegrotum, sanem; quod confractum, alligem; quod abjectum, reducam; quod perierat, requiram; quos credidisti mihi, custodiam, et unus ex eis non pereat. Sanctifica nos in veritate, o sanctificator hominum benignissime! atque illos ab omnibus inimicis et adversitatibus corporis et animae custodi: sic mihi obtemperent, sic me diligant, ut sit rationabile obsequium eorum, et vias christiano dignas ambulent; ut ego et verbo et exemplis eos praecedendo, et illi me sequendo, pariter curramus ad te verum animarum nostrarum pastorem, qui nos in loco pascuae collocabis, ubi vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

GRATIARUM ACTIO PRO SUSCEPTO SACERDOTIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me indignum peccatorem ad sacrum altaris ministerium vocare dignatus es, parce peccatis meis, et me idoneum tibi ministrum effice, ut sacrificium de manibus meis benigne suscipias, electorumque sacerdotum me reddas participem.

Omnipotens et misericors Deus, humilitatis meae preces benignus intende: et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiae tuae largitate coelestibus mysteriis servire tribuisti,

dignum sacris altaribus fac ministrum, ut quod mea voce depromitur, tua sanctificatione firmetur.

Divini, Domine, perceptio sacramenti sit peccatorum meorum remissio, et optata tuae pietatis propitiatio; ut per haec efficiar sacris mysteriis dignus, quae, de tua pietate confidens, frequentare praesumo indignus. Per Dominum nostrum etc.

ORATIO DIACONI.

Domine Jesu Christe, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo; qui, quos constituerint Apostoli tui super leviticum opus, viros plenos Spiritu sancto et sapientia eligi voluisti, et qui me non meis meritis intra eorumdem levitarum numerum dignatus es aggregare; da mihi et omnibus qui tanto ministerio gloriantur, vigili sollicitudine pauperum tuorum curam habere, ut singulis, prout cuique opus est, dividantur bona tua; da Spiritum sanctum ad robur, quibus commisisti consummandorum consortium sacramentorum; da habere mysterium fidei in conscientia pura, et calceatos pedes in praeparatione evangelii pacis, ut dignos nos facias in partem sortis sanctorum in lumine. Qui vivis etc.

ORATIO SUBDIACONI.

Domine Jesu Christe, qui sanctificari vis in iis qui appropinquant tibi, et mundari eos praecipis qui ferunt vasa Domini, ac proinde ministrorum tuorum continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Munda me ergo ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut perficiam sanctificationem meam in timore Dei: non praesumam circumdare altare tuum, aut tangere vasa quae ad usum sanctuarii pertinent, nisi lavavero inter innocentes manus meas, et fulserint velut mundissimae manus meae; nequando irascaris indignatione contra me, et percutias me super temeritate. Qui vivis etc.

ORATIO CLERICI IN MINORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTI.

Tu solus, Domine Jesu Christe, habes clavem David: aperis enim, et nemo claudit; claudis, et nemo aperit. Tu solus aperis sensum, ut intelligamus Scripturas. Tu solus in potestate imperas spiritibus immundis. Tu lux mundi, quam qui sequitur, non ambulat in tenebris. Confice me zelo domus tuae, ut stans jugiter ad ostium tabernaculi, et observans custodias Domini nocte et die, prohibeam profanari templum gloriae tuae. Revela oculos meos, ut legam in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligentiam et aedificationem fidelium. Contere Satanam sub pedibus meis velociter; et praesta, ut sic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona, et glorificent Patrem meum qui in coelis est. Amen.

ORATIO CLERICI SOLA TONSURA INITIATI.

Domine Jesu Christe, qui initiasti nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem tuam, in introitu sanctorum; da leges tuas in corde meo, et in mente mea superscribe eas, et iniquitatum mearum jam non recorderis amplius. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. In quocumque enim loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei laetus offero meipsum, Domine Deus patrum nostrorum. Custodi in aeternum hanc voluntatem cordis mei, et semper in veneratione tui mens mea permaneat. Nunquam sit in me consilium discedendi a Deo vivo; nec te relinquam diligens hoc saeculum. Sanctifica me in veritate, ut sim sanctus corpore et spiritu, utens hoc mundo tanquam non utens, et solummodo sollicitus quomodo placeam tibi, ut sis portio mea in terra viventium. Amen.

ANTE EXERCITIUM FUNCTIONUM ORDINUM.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, super famulum tuum placatus intende, quem tuis sacris altaribus serviturum in officium N. assumpsisti; infunde in animam meam benedictionem tuam et gratiam, ut idoneus efficiar, in templo sancto tuo, quae cultus tui sunt, digne peragere; accende cor meum ad amorem gratiae tuae; averte oculos meos ne videant vanitatem; da divinae praesentiae tuae gustum perpetuum; da Filii tui dilectissimi aemulari modestiam, ut omnes in me videant te, et videndo venerentur ac glorificent. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

ORATIO AD SANCTUM PATRONUM.

Sancte N. qui, licet jam de tua immortalitate securus sis, adhuc tamen de mea sollicitus es, adjuva orationis suffragio quem erudisti conversationis exemplo. Fac me intelligere quid corrigam, et eligere quid sequar. Fuisti similis mihi, passibilis, circumdatus infirmitate, et tentatus per omnia; sed in caritate radicatus et fundatus, calcasti mundum furentem, sprevisti blandientem, et vicisti malignum. Pater mi, Pater mi, obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus, ut imitator tui sim, sicut et tu Christi. Trahe me post te, curram in odorem unguentorum tuorum, seu tuarum virtutum. Ex qua die consepultus sum cum Christo per baptismum in mortem, datus es mihi testis et custos propositi mei. Deprecor ergo te, ut adjuves me in orationibus tuis pro me ad Deum, ut teneam spei meae confessionem indeclinabilem, et satagens ut per bona opera certam meam vocationem et electionem faciam, ad destinatum finem prosequar, ad bravium supernae vocationis in Christo Jesu. Amen.

ORATIO AD PATRONUM MENSTRUUM.

Patrone dulcissime, sancte N., me tibi pietate superna commissum, sub tua protectione suscipe; a cunctis mentis et corporis periculis defende, et divini amoris ignem in corde meo accende.

℣. Ora pro nobis, sancte N.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui mihi, per singulos menses, aliquem e coelitibus patronum assignas, concede propitius, ut intercessione beati hujus quem patronum, hoc mense, de tua benignitate suscepi, ego et omnes parentes, amici et inimici mei, praesens gratiae auxilium sentiamus, et ejusdem gratiae munitus auxilio, virtutem, quam suo docuit exemplo, valeam exercere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PRO SUMMO PONTIFICE.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae; ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per Christum etc.

PRO EPISCOPO PROPRIO.

Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem ecclesiae tuae N. praeesse voluisti, propitius respice; da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Christum etc.

ORATIO DICENDA SEDE VACANTE.

Supplici, Domine, humilitate deposcimus, ut Ecclesiae tuae concedat pontificem illum tua immensa pietas, qui et pio in nos studio semper tibi placitus, et tuo populo pro salubri regimine sit assidue, ad gloriam tui nominis reverendus.

Ecclesiam tuam, Domine, mirifica tuae Majestatis gratia de illius pontificis concessione laetificet, qui et plebem suam virtutibus instruat, et fidelium mentes spiritualium aromatum odore perfundat. Per Dom.

PRO OMNIBUS PRAELATIS, EORUMQUE SUBDITIS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos, et super

congregationes illis commissas, spiritum gratiae salutaris; et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde.

Per divinum quo pascimur sacramentum, da familiae tuae, quaesumus, Domine, cum suis pacem habere rectoribus, ut quorum honore congaudent, eorum sancta conversatione laetentur; tuaque gratia tribuatur et moderatio gubernantium, et obedientia subditorum.

PRO PRESBYTERIS.

Deus, sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio plenaque benedictio est; tu, Domine, super famulos tuos quos ad presbyterii honorem dignatus es dedicare, munus tuae benedictionis infunde; ut gravitate actuum et censura vivendi, probent se seniores, his instituisti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit; ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur; justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, caeterasque virtutes in se ostendant, exemplo praebeant, admonitione confirment; ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant; et in obsequium plebis tuae panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment; et inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die justi et aeterni judicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu sancto pleni resurgant. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

PRO OMNI GRADU ECCLESIAE.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur; exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur.

Deus, qui mirabile corporis et sanguinis tui sacramentum multiformis gratiae fontem esse voluisti; praesta, quaesumus, ut de ejus plenitudine in singulos Ecclesiae

ordines diversa quibus indigent, auxilia deriventur. Per Dominum etc.

PRO RELIGIOSO ORDINE.

Deus, omnis boni propositi inspirator atque perfector, dirige famulos tuos in viam salutis aeternae; et qui relictis omnibus, tibi se totos devoverunt, fac eos coelestia cogitantes, in labore poenitentiae, in spiritu paupertatis, et cordis humilitate tibi servire.

Servos tuos, Domine, congregatos in nomine tuo, et de uno pane participantes, da unanimes considerare invicem in provocationem caritatis et bonorum operum, ut eorum sancta conversatione Christi bonus odor ubique diffundatur. Per eumdem etc.

PRO VIRGINIBUS DEO DICATIS.

Deus, cordium pudicorum habitator et custos, da christianis virginibus excellentiam virginitatis intelligere, intellectam diligere, dilectam firmiter conservare; ut sponso cum accensis lampadibus occurrentes, ad coelestes ejus nuptias admitti mereantur.

Vivificae carnis tuae sacramento tribue, Domine, ancillis tuis, inter humanae fragilitatis incerta, constantem in proposito perseverantiam; ut tibi debeant felicem consummationem, quae jam a te habuerunt bonam voluntatem. Qui vivis etc.

PRO REGE ET FAMILIA REGIA.

Deus, a quo omnis potestas ordinata est, da famulo tuo regi nostro N. et universae familiae ejus cor docile, ut potestatem suam Majestatis tuae famulam facientes, regnum illud ambiant et obtineant, in quo non timeant habere consortes.

Invocantes et sperantes in nomine tuo, Domine Deus noster, fac nos in salutari regis nostri N. et cunctae familiae ejus laetari, ut dum vivifico mysterio reples in bonis desiderium nostrum, tuis benedictionibus eos praevenire digneris. Per Dominum.

PRO CIVITATE, SEU LOCO DOMICILII.

Custodi, quaesumus Domine, interveniente beata virgine Maria cum omnibus sanctis, civitatem istam et habitatores ejus, ac perpetuo guberna moderamine; ut et necessaria percipiant vitae solatia, et proficiant ad immortalitatis effectum.

Conforta, Domine, portas civitatis hujus, et pone terminos ejus pacem, qui cives ejus coelestis adipe frumenti satiare non desinis. Per Dominum etc.

PRO PARENTIBUS ET CONSANGUINEIS.

Deus, qui nos parentibus plurimum honoris habere voluisti, et pro eorum incolumi vita ac fortunis, ut aequum est, exorare; da, quaeso, parentibus nostris, omnibusque fratribus, sororibus, consanguineis et affinibus, salutem et pacem; conserva eos in tuae sanctae religionis amore: ne reminiscaris delicta eorum, neque de iis sumas vindictam. Tutos fac illos a corporis et animi perturbationibus; et uberem ipsis largire gratiam ac benedictionem, ut quae tuo sunt inimica nomini respuentes, propitium te semper experiantur et sentiant, qui supremus es omnium Pater. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PRO AMICIS ET BENEFACTORIBUS.

Deus, qui caritatis dona, per gratiam sancti Spiritus, tuorum fidelium cordibus infudisti; da famulis et famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis; ut te tota virtute diligant, et quae tibi placita sunt, tota dilectione perficiant.

Per sacri altaris tui sacrificia, Domine, famulis et famulabus tuis, quibus dedisti in nos caritatem, concede, quaesumus, indulgentiam peccatorum, consolationem vitae, gubernationemque perpetuam, qua tibi fideliter servientes, ad tuam jugiter misericordiam pervenire mereantur. Per Christum etc.

PRO UNIONE ET CONCORDIA.

Deus, qui nos unanimes in domo tua praecipis habitare, dissensionum causas placatus depelle nostrarum; ut unitatem Spiritus in vinculo pacis, te largiente, servemus.

Quibus unus est Dominus, una fides, unum baptisma et unum sacrificium, inter eos, quaesumus, omnipotens Deus, mens eadem sit et mutua caritas, ut omnibus una sit in te et tecum in aeternum societas.

Deus, qui caritas es, da natis ex te et panem tuum comedentibus, alterum alterius onera ex sincera dilectione portare; ut pax tua, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda nostra et intelligentias nostras in Christo Jesu Filio tuo Domino nostro. Qui tecum etc.

PRO TENTATIS ET TRIBULATIS.

Fidelis Deus, qui non pateris nos tentari supra id quod possumus, sed facis etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere; majestatem tuam humiliter deprecamur, ut famulos tuos de tua misericordia confidentes coelesti munias benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur, et nullis tentationibus a te separentur.

Omnipotens sempiterne Deus, moestorum consolatio, et laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per Dominum etc.

PRO CONJUGATIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulos tuos nuptiarum foedere copulasti, imple in eis benedictionem tuam; ut inviolabili caritate concordent, et sancta conversatione tibi placeant, et aeterna in coelo mereantur societate conjungi.

Apud eos, Domine, sit honorabile connubium et torus immaculatus, quos duos in carne una unum spiritum esse jubes, ac per coelestia sacramenta spe societatis aeternae sustentas. Per Dominum etc.

PRO VIDUIS.

Deus, moestorum consolatio et in te sperantium certa salus, exaudi nos pro viduis suppliciter deprecantes, ut quae solatiis destituuntur humanis, tua se sentiant protectione defendi.

Deus, qui non despicis viduam, sed exauditor es lacrymarum ejus; suscipe propitius quas pro viduis preces obtulimus, et concede ut post praesentis vitae moerorem et luctum, aeternis consolationibus impleantur. Per Dominum etc.

PRO INFIRMIS.

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo, pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem; ut, ope misericordiae tuae adjutus, Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur. Per Dominum etc.

Si infirmus est morti proximus, dicitur:

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia, et vitae aeternae munera contulisti; respice propitius famulum tuum infirmitate corporis laborantem, et animam refove quam creasti; ut in hora exitus illius, absque peccati macula, tibi Creatori suo per manus sanctorum angelorum repraesentari mereatur. Per Dominum etc.

PRO CONVERSIONE PECCATORIS.

Ad te, Domine, revoca filium tuum prodigum per abrupta vitiorum vagantem; ut ad te in spiritu humilitatis revertens, a te misericorditer suscipi mereatur.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat; salutaris poenitentiae gratiam N. per oblationem Filii tui concede, ut ad te toto corde conversus, salutem consequatur aeternam.

Domine Jesu Christe, pastor bone, qui proprio pascis corpore quos tuo redemisti sanguine, errantem ovem ad tuum reporta ovile, et pascuis redde dignam sempiternis. Qui vivis etc.

PRO INIMICIS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, da nobis hunc caritatis affectum, ut bona pro malis reddere tuo incitemur exemplo, et de inimicorum correctione cupiamus, non de ultione gaudere.

Per sacrosancta pacis nostrae mysteria, da nobis, Deus, cum his qui oderunt pacem, esse pacificos, et eos qui nobis adversantur, tibi gratos effice, nobisque placatos. Per Dominum etc.

PRO QUACUMQUE NECESSITATE.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Da, misericors Deus, ut salutaris corporis et sanguinis tui oblatio et a propriis nos reatibus indesinenter expediat, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dom.

AD OBTINENDAM BONAM MORTEM.

Deus, qui licet nos morti destinatos, ejus tamen diem et horam nescire voluisti, concede famulis tuis, ut in sanctitate et justitia coram te omnibus diebus nostris tibi servientes, tandem in pace dimitti et in te mori mereamur.

Quaesumus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut per coelestis virtutem sacramenti nos famulos tuos gratia tua confirmare digneris, ut in hora mortis nostrae non praevaleat contra nos adversarius, sed cum angelis tuis transitum habere mereamur ad vitam. Per Dominum etc.

Ne flammis urar succensus, per te, Virgo, sim defensus in die judicii. Quando corpus morietur, fac ut animae donetur paradisi gloria. Amen.

PRO ANNIVERSARIO SUSCEPTI BAPTISMI.

Deus misericors, filiis adoptionis tuae ignosce quidquid adversus divinam illam deliquimus adoptionem; et spiritum sanctificationis, quem in sacro fonte cordibus nostris infudisti, innova in visceribus nostris; ut aspersi corda a conscientia mala, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

Divini participatio muneris, quaesumus, Domine, confirmet quod sacrum baptisma operatum est in nobis; ut per utrumque sacramentum, divinae consortes naturae effecti, ejus quae in mundo est concupiscentiae corruptionem fugiamus, et aeternae incorruptionis praemia consequamur. Per Dominum etc.

ORATIO S. FRANCISCI XAVERII PRO CONVERSIONE INFIDELIUM.

Aeterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium esse procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur; sed precibus sanctorum tuorum et sanctissimae Ecclesiae, ejusdem Filii tui sponsae, placatus, recordare misericordiae tuae; et oblitus idololatriae et infidelitatis eorum effice, ut et ipsi tandem agnoscant, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

ORATIO ECCLESIAE PRO FIDEI PROPAGATIONE.

Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: et fac, ut ab ortu solis usque ad occasum magnificetur nomen tuum in gentibus, ac in omni loco sacrificetur et offeratur nomini tuo oblatio munda. Per eumdem Dominum etc.

PARS SEPTIMA.

CONTINENS MEDITATIONES DE VARIIS ARGUMENTIS.

Cum Missa et Communio actiones sint quae singularem exigunt pietatem, et eam a *consideratione* potissimum pendere doceat S. Bernardus, ideo, ut illius sensus in se possint sacerdotes et communicantes facilius excitare, selectas hic ponimus meditationes: I. de sanctissimo Eucharistiae sacramento; II. de statu sacerdotali; III. de nonnullis Christi titulis; IV. de quibusdam ejus virtutibus; V. de praecipuis Dei beneficiis; VI. de hominis novissimis; VII. de solemnioribus Festis. Caeterum in secunda hujus Manualis parte, *de Sacrificio Missae*, non modica reperitur ad meditandum materies.

I. MEDITATIONES

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

MEDITATIO I.

Institutio sacramenti Eucharistiae.

1. *Accipite et comedite: hoc est corpus meum* (Matth. XXVI). Crede primum, viva fide, carnem, sanguinem, animam Christi, deitatem et quidquid est Deus, esse in sanctissima Eucharistia, sive vi verborum, sive per concomitantiam. Admirare Dei sapien-

tiam, quae invenit novum modum se nobis communicandi. Obstupesce et lauda omnipotentiam, quae uno momento, paucis verbis, illa omnia sub speciebus panis et vini ponit. Agnosce infinitum amorem, quo hoc facit. Sicut Pater *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* ita et Filius, ut seipsum daret, ut sit nobiscum *usque ad consummationem saeculi.* O admirabilis et amabilis Deus! Quod de te, misero peccatore, cogitaverit, ut incarnaretur, quantum est! sed quanto majus, quod velut denuo nascatur, et omnia secum afferat, quae tunc attulit! *Quid retribues Domino?*

2. *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accipiens panem* etc. Considera tempus hujus institutionis. Erat illud ipsum quo ejus vitae struebantur insidiae, quo fervebant odia Judaeorum in illum. Sic aquae persecutionum non potuerunt extinguere caritatem ejus; sic amat nos etiam, *cum inimici sumus.* Tormenta igitur vicina, crux, infamia, non causarunt separationem Christi a te, sed majorem conjunctionem, per hoc amoris et unionis sacramentum. *Quis ergo te separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?* (Rom. VIII.) Conclude magno ardentique amore: *In his omnibus superabo propter eum qui dilexit me.*

3. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem* (Marc. XIV). Considera quos Christus adhibuerit convivas: Apostolos nempe, et inter eos, ut communiter creditur, etiam Judam. Sed quanta sumentium diversitas! illi, corpore simul et spiritu ardentissimae devotionis; iste solum corpore, spiritu autem in proditionem Christi intento. Vide belluam illam hoc amoris cibo non mitigatam, et adverte quomodo scelera in catenam eant, cum passio ex qua ortum trahunt, non tempestive opprimitur.

MEDITATIO II.

Sanctissima Eucharistia est memoriale passionis Christi.

1. *Hoc sacramentum instituit tanquam passionis suae memoriale perenne* (s. Thom. Opusc. III). Cruenti sacrificii ut perennis exstaret memoria, incruentum instituit quotidie peragendum. Semel pro nobis immolatus, invenit modum quo saepius immoletur. Ergo ne putandum est, Christum toties pro me mori? Agnosce amorem. Sed nihil reddis, nisi et tu quotidie immoleris. *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis* (Gal. IV).

2. *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. XXII). Quanti ipse suam passionem fecerit, hinc aestima, quia voluit ipse seipso ejus esse memoriale. Obligat hoc te ad continuam tanti beneficii memoriam, non quae in sola cogitatione sistat, sed quae in affectum et opus transeat. *Qui enim passionis Dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus* (s. Greg. Dial. l. IV, c. 59).

3. *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (I. Cor. XI). Quoties Eucharistiam sumis, cogita te mortui Christi sepulchrum esse. Non erit dignum, nisi sit novum; voluit enim poni *in monumento novo.* Non eris novus, nisi veterem hominem occidas. *Necesse est ut, dum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus* (s. Greg. l. c.). Quid ad hoc ais? expedi arma, et te hostiam ei exhibe qui se dedit hostiam pro te.

MEDITATIO III.

De dignitate sumentis Eucharistiam.

1. *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (Joan. XIV). Qui sumit Eucharistiam, fit Dei habitaculum. Ut intelligas quanta sit haec dignitas,

cogita viscera beatissimae Virginis, in quibus primum homo factus habitavit, quantis illam gratiis cumulavit! At is ipse est, qui in Eucharistia ad te divertit. Quanta est hujus dignatio! At noli permittere, ut in te divertant foeda animalia infrenium passionum.

2. *Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (Joan. VI). Non solum fit habitaculum Dei qui Eucharistiam sumit, sed admirabili quadam unione fit unum cum eo. Assequere, si potes, quanta sit haec dignitas, uniri humanitati Christi, et veluti, ea mediante, ipsi personae Verbi et toti Trinitati quae concomitanter in Eucharistia sumitur. Considera, ad quid te impellat tanta gloria, ut qui uniris Deo, avellaris a luto creatarum rerum; ut dicta, facta, cogitata tua sint talia, quae non dedeceant membrum Christi.

3. *Ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (Joan. ibid.). Excellentiam unionis cum Christo adverte. Sicut Filius accipit a Patre essentiam, vitam et omnes perfectiones, ita ut sit unus Deus cum Deo Patre, et in eo vivat, easdemque cum illo perfectiones habeat, idem intelligere, idem velle et operari; ita per Eucharistiae sumptionem, fis particeps vitae et perfectionum Christi. Debes ergo idem cum illo sentire, velle, agere, pati. Efficiet id unitus tibi Christus, nisi tu obsistas.

MEDITATIO IV.

De dispositione ad Ss. Eucharistiam sumendam.

1. *In sole posuit tabernaculum suum* (Ps. XVIII). Curanda summa puritas animae, in quam venturus est Christus. Exigit hoc summa sanctitas et majestas hospitis. Expende enim, quis, et ad quem ingreditur. Si matrem quae conceptura erat Filium Dei, decebat tanta puritate *nitere, qua major infra Deum excogitari non potest;* te idem decet, qui eumdem excipis. At puritas non est sola ab omni peccato immunitas, sed

etiam affectuum purgatio et virtutum ornatus. Potes ne sic te mundum dicere? Quanto labore opus est, ut huc pervenias! Pervenies, si serio voles. Dic cum leproso (Matth. VIII): *Domine, si vis, potes me mundare.* Confide: extendet manum suam, et dicet: *Volo, mundare.*

2. *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso* (Apoc. II). Id est, ut ait scriptor quidam, quod est *in Ecclesia militante per praesentiam corporalem in sacramento altaris.* Ut hoc fruaris mysterio, necesse est, ut te vincas, et appetitum rationi, rationem Deo subjicias. Non satis ergo digne accedis, si te non vincis. Quantus tibi in te ipso victoriarum campus! superbia, ambitio, tui aestimatio, vanae gloriae cupiditas, ira, impatientia, languor in spiritu, tepiditas, et alia quae tu nosti: haec devince, et dabitur tibi *de ligno vitae.* Quam alius esses, si, quoties ad hanc escam accessisti, vel unum ex his hostibus subjugasses!

3. *Ecce ego pluam vobis panem de coelo; egrediatur populus, et colligat* (Exod. XVI). Promittitur hic manna, figura Eucharistiae, et quidem ad instar pluviae super justos et injustos cadentis. Quae bonitas Dei se tam prodige largientis! Sed ut eo potiaris, necesse est te *egredi.* Unde? aut quo? Respondet Rupertus (l. III, c. 11, in Exod.): *De pristina conversatione, de vetustate vitae. Nondum enim deposito vetere homine, non est nobis hoc manna colligere.* Expende, quam vivat in te vetus homo; quanta in eo occidere debeas, ut induas novitatem vitae.

MEDITATIO V.

Item de dispositione ad Eucharistiam sumendam.

1. *Pauperes ejus saturabo panibus* (Ps. CXXXI). Felix paupertas, quae sola, ut ait Rupertus (in c. VI. Joan.), *edit magnam eleemosynam regis regum, quam dat ipse non aliam quam seipsum!* Datur

ergo ille panis ut eleemosyna magni Dei. Exinanire, exinanire, ut pauper illa fias dignus. Ejice amorem saeculi et vanitatum ejus. Indigne eleemosynam accipit qui dives est; indigne Eucharistiam, qui saeculo affectus est. Scito, *qui esurientes* seu pauperes *implevit bonis*, ille *divites dimisit inanes*. Et haec est forte causa tam parvi fructus a te relati ex tam frequenti hujus mysterii sumptione.

2. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (Joan. VII). Sitis quaedam et fames, ac vehemens desiderium afferendum est ad hunc cibum. Fons ille sacramentalium gratiarum non patet, nisi sitienti: *Sitienti dabo de fonte vitae* (Apoc. XXI). *Oportet namque,* ait s. Bernardus (serm. 31. in Cant.), ut *sancti desiderii ardor praecedat faciem ejus ad omnem animam ad quam est ipse venturus.* O tepida anima! Nonne sacrilegium crederes nauseare cibum istum pretiosissimum? Certe proxima nauseae es, si non desideras. Excita ergo, quoties accessura es, fervens desiderium; quod nascitur ex actuali fide dignitatis hujus cibi, amoris Dei in te, fructuum ex Eucharistia dimanantium etc.

3. *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco* (Luc. XIV). Ad nuptiale convivium Dei se tibi desponsantis accessurus es. Quis tu? quis ille? Agnoscis in ejus majestate tuam indignitatem? Sed dignus fieri potes, si corde sincero sis humilis. *Respexit humilitatem ancillae suae* (Luc. I), ut ejus sacratissimum uterum subiret; non despiciet tuam humilitatem. Et quanta te deprimendi materia, si bene expendas! Quis tu? quis ille? Exclamare magno jure debes: *Quis ego? sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei* (II. Reg. IX).

MEDITATIO VI.

De effectibus sanctissimae Eucharistiae sumptae.

1. *Accedite ad eum, et illuminamini* (Ps. XXXIII). Accedentium ad Christum fructus est, quod intellectu

illuminentur ad cognoscenda altissima mysteria. Ipse lux est *quae illuminat omnem hominem* (Joan. I). Expende tenebras tuas. Heu quantum ad divina caecutis! Scis ne quod *in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum?* (Luc. XXIV.) Ecce idem caecitatis tuae medicus est. Idem qui, quod ex caeco olim Jerichuntino, ex te quaerit: *Quid tibi vis faciam?* (Luc. XVIII.) O benignitas praevenientis! Dic fidenter cum eodem: *Domine, ut videam te, videam me.*

2. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilae juventus tua* (Ps. CII). Senescit anima, cum ad virtutem languet; juvenescit cum viget. Senio hoc frequenter et tu occuparis; sed in novitate vitae ambulandum est. Ut renovetur autem juventus tua, aptissimum remedium est sancta Eucharistia, ut Deus repleat in bonis desiderium tuum. Si ergo (ex s. Hier. in c. III. Ezech.) hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne Domini, ex hoc digne sumpto juvenesces. Aestima, lauda, ama, anhela; et quoties accedis, aliquid veteris hominis depone.

3. *Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione* (Luc. I). Effectus hic fuit concepti Dei. *Quo enim jam Deo plena,* ait s. Ambrosius, *nisi ad superiora cum festinatione contenderet?* Eumdem accipis in Eucharistia, quem Virgo concepit. Idem in te, nisi tu obsistas, operabitur; ut ardente voluntate ad ardua virtutum contendas, et quidem magna festinatione ad apicem perfectionis pervenias. Cooperare id desideranti Deo, ne te semper, per tuum languorem, in imo reperiat. Elevabit te Deus, sed non sine te.

MEDITATIO VII.

De aliis effectibus sanctissimae Eucharistiae.

1. *Panem angelorum manducavit homo* (Ps. LXXVII). Dicitur sanctissima Eucharistia *panis angelorum,* non quod angeli ea vescantur, sed quod homines

sumentes veluti angelos efficiat. Ita Hugo Cardinalis (in cap. XXXI. Prov.): *Datus est hominibus, ut fiant angeli.* Quae tua est felicitas, si fias velut corporis expers, totus spiritualis, tentationum immunis, a passionibus liber! Certe si nondum factus es talis, tu impedivisti. Et quae haec tua insania, cum possis, nolle ad angelicam perfectionem evadere?

2. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. I). Effectus Ss. Eucharistiae est, ut te faciat filium Dei, non quidem naturalem, sed adoptivum. Per quod simul intras in jus haereditatis: si enim *filii Dei* sumus, *et haeredes* (Rom. VIII). O mira dignatio! Expende quem patrem habeas! quem fratrem! quo affectu, qua reverentia et fiducia in eum ferri debeas! Sed quam degener tu fuisti hactenus filius et frater! Non te pudet? Sed quid eris in posterum, ut digne patrem voces Deum, fratrem Jesum? *Agnosce dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem hominem degeneri conversatione redire* (s. Leo).

3. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (Joan. VI). Altius ascendit dignitas, quam per sanctam Eucharistiam obtines; non tantum fis filius Dei, sed velut unus cum Deo, ut is in te maneat, et tu in illo. Sed necesse est ad hoc, ut moriatur in te quidquid tu es, vivat solum quod Deus est. O quando erit illud tempus, quo cum veritate dicere possis: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. II.)?

II. DE STATU SACERDOTALI.

MEDITATIO I.

De excellentia hujus status.

Quanta illa sit, dignosces 1. ex praeclaris sacerdotum nominibus. — Vocantur enim in sacris Scripturis et a sanctis Patribus passim *angeli Domini, vicarii Christi, Dei homines et adjutores, lux mundi, sal terrae, duces et rectores gregis, mediatores inter Deum et populum, clavigeri coeli, salvatores terrae, terreni dii* etc. O gloriosae appellationes! Sed num in te vacuae? Stude earum implere significantiam, *ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini; ne sit nomen inane, crimen immane* (s. Ambr.).

2. Ex honore sacerdotibus debito et impenso. — Fere enim Deo aequiparantur. *Honora Dominum,* ait Scriptura, *ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes* (Eccli. VII). *Nolite tangere Christos meos* (Ps. CIV). *Qui recipit vos, me recipit* (Matth. X). *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* (Luc. X). Beatum Antonium sacerdotes in summa veneratione habuisse, solitumque iisdem caput submittere, refert s. Athanasius. Constantinus Magnus eos ut patres, imo vero ut Dei prophetas omnino honorifice reverebatur (ex Euseb.). Nec minus illorum reverentes sunt angeli, qui *per sacrificii tempus* ipsis *adstant* et *quasi famuli assistunt* (ex ss. Aug. et Jo. Chrys.). Quid ergo, si vita sacerdotali persona indigna dedecus tibi pareres? Longe abjice a te quidquid eam non decet: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem etc. Sic cum Apostolo *ministerium tuum honorificabis.*

3. Ex sacerdotalis status institutione, seu origine

et fine. — Etenim primo quis hujus auctor? Audi s. Joannem Chrysostomum: *Sacerdotium*, inquit ille, *in terra quidem peragitur, sed in rerum coelestium classem ordinemque referendum est. Atque id perquam merito; quippe non mortalis quisquam, non angelus, non archangelus, non alia quaevis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem hujusmodi disposuit.* Et qua quidem fine? Ut nempe qui in illum adlegerentur, toti incumberent ad procurandam divinam gloriam et dirigendos fideles in viam salutis. O praestantissimam et sanctissimam vocationem! Summas agas Deo gratias, qui tuam hanc esse voluit, et *vide ut illam impleas.*

MEDITATIO II.

De eodem argumento.

1. *Intuere* iterum, *quantus sit* sacerdos novae legis! *Ipsum* Dominus *elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem, habere laudem in nomine ejus; in memoriam placare pro populo suo; et dedit illi in praeceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israel* (Eccli. XLV). Num mortalis homo ad majora potest eligi et applicari? *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo,* qui ad tantum evectus es dignitatis gradum. *Monstruosa enim res est,* ut loquitur s. Bernardus, *gradus summus, et animus infimus.*

2. Sed quale rursum est officium sacerdotum? Ipsis *datum est,* ait pius auctor libri de Imit. Christi, *Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et caeteris ministrare.* O quam magnum et honorabile est istud officium! *Excedit,* inquit s. Ephraem, *intellectum et orationem; et sicut arbitror, hoc est quod Paulus, quasi in stuporem mentis actus, innuit exclamans: O altitudo!* Quid retribuam tibi,

Domine, pro gratia ista? Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Sic volo, sic desidero; et quidquid mihi deest, tu digneris supplere. (L. III. de Imit. Chr. cap. 10.)

3. *Sed et alia his nihilo inferiora,* inquit s. Joannes Chrysostomus (l. III. de Sacerd. c. 4.), *operantur* sacerdotes. *Etenim his commissum* insuper *est, ut ea quae in coelis sunt, dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est:* Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis etc. *Quaenam, obsecro, potestas hac una major esse queat? Nam quasi jam in coelum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid plura? . . . Hi sunt quibus tum concreditae sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus est a Deo commissus; per hos ipsos Christum induimus, una cum Dei Filio sepelimur, et beati illius Capitis membra efficimur; nec citra illorum opem, aut gehennae ignem evitare, aut repositae in coelo coronae praemia assequi possumus.* O sacerdotes Domini, quantam dignitatem contulit vobis Deus! Quanta est praerogativa ordinis vestri! Assimilati estis Filio Dei. Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu; et virtute tales estote, ut non minus merito quam gradu praecellatis.

MEDITATIO III.

De sanctitate sacerdotali.

Ex lib. IV. de Imit. Chr. c. V.

1. Si haberes angelicam puritatem et sancti Joannis Baptistae sanctitatem, non esses dignus hoc sacramentum accipere, nec tractare. Non enim hoc debetur meritis hominum, quod homo consecret et tractet Christi sacramentum, ut sumat in cibum panem angelorum.

Grande mysterium et magna dignitas sacerdotum, quibus datum est quod angelis non est concessum! Soli namque sacerdotes in Ecclesia rite ordinati, potestatem habent celebrandi et corpus Christi consecrandi. Sacerdos quidem minister est Dei, utens verbo Dei per jussionem et institutionem Dei; Deus autem ibi principalis est auctor et invisibilis operator, cui subest omne quod voluerit, et paret omne quod jusserit.

2. Plus ergo credere debes Deo omnipotenti, in hoc excellentissimo sacramento, quam proprio sensui aut alicui signo visibili. Ideoque cum timore et reverentia ad hoc opus est accedendum. Attende igitur et vide, cujus ministerium tibi traditum est per impositionem manus episcopi. Ecce sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus; vide nunc, ut fideliter et devote in suo tempore Deo sacrificium offeras, et te ipsum irreprehensibilem exhibeas. Non allevasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinae, et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, et aliis bonae vitae exemplum praebere. Ejus conversatio, non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum angelis in coelo, aut cum perfectis viris in terra.

3. Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget. Habet ante se et retro Dominicae crucis signum, ad memorandum jugiter Christi passionem. Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, et sequi ferventer studeat. Post se cruce signatus est, ut adversa quaelibet illata ab aliis clementer pro Deo tolleret. Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat. Post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat; nec ab oratione, nec ab oblatione sancta torpescat, donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur. Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adjuvat, defunctis

requiem praestat, et seipsum omnium bonorum participem efficit.

MEDITATIO IV.

De scientia sacerdotali.

1. Considera, quanta sit in sacerdote scientiae necessitas. *Praeceptum sempiternum est,* aiebat olim Deus ad veteres sacerdotes (Lev. X), *ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum. Labia sacerdotis,* dicit apud Malachiam (cap. II), *custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Oportet,* inquit Apostolus (I. Tim. III), *episcopum esse doctorem.* Indoctus et imperitus sacerdos, praeterquam quod seipsum et Ecclesiam dedecorat, impar omnino est erudiendis et exhortandis, ut necesse foret, populis; quos propterea ignorantia obvolutos, in vitia et in interitum ire oportet. Hinc Deus et Ecclesia pariter *repelli* volunt a *sacerdotio,* qui *repellunt scientiam* (Oseae IV, et Dist. 36, c. 1). Numquid tu ex illis es? Ingemisce super tua ignavia; Dei metue maledictum; et ad illud avertendum, una cum malis ex ignorantia sacerdotum nasci solitis, beatissimi Petri sequere consilium, et *omnem curam subinferendo in virtute tua ministra scientiam,* ut doctrina aeque ac vita *aedificare* possis *domum,* id est, *familiam Dei.*

2. Considera, qualis esse debeat sacerdotis scientia. Scire debet 1° quae requiruntur et conducere possunt ad propriam sanctificationem et perfectionem, v. g. modum orandi mentaliter, discutiendi conscientiam, et alia peragendi spiritualia exercitia; 2° quae pertinent ad Missae sacrificium, ad divinum Officium et utriusque ritus ac caeremonias; 3° quae necessaria sunt ad fideliter et utiliter implendum institutionis populorum munus, et rite ministranda sacramenta. Qua de causa non potes satis lectioni sacrarum litterarum et probatorum auctorum incumbere et attendere. Diligenter hic examina conscientiam tuam. Quid hactenus

fecisti ad comparandam tibi necessariam scientiam? An calles omnia quae scire teneris, sive ut christianus, sive ut minister Christi? Num te latent plura ex his quae debes aut Deo, aut tibi, aut proximo? Ad excutiendam socordiam cogita frequenter, quia *ignorans ignorabitur*.

3. Considera, quibus modis adipisci valeas scientiam sacerdotalem. Praecipui sunt: 1° oratio, cujus ope plus sancti profecerunt quam lectione (testis est sanctus Thomas); 2° improbus labor, assiduum studium, quod idcirco suo Timotheo commendabat Apostolus, et ipse non negligebat (ut patet ex II. Tim. IV, 13); 3° frequens de iis quae lecta sunt, cum peritis collatio. Denique purgatio interioris oculi seu intentionis, ita ut in acquisitione et usu scientiae, non *inanis* intendatur *gloria vel curiositas, sed sui vel proximi aedificatio*. Quoniam plerique sacerdotes horum mediorum nullum fere habent usum, hinc non mirandum, quod tanta inter ipsos existat ignorantia. Cave ne ejusdem reus fias negligentiae, sed nihil ex praedictis omitte, quae si *tecum adsint et superent, non vacuum, nec sine fructu te constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione* (II. Pet. I. 8).

MEDITATIO V.

De zelo sacerdotali.

1. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum* (III. Reg. XIX). *Qui non zelat, non amat* (s. Aug.). Qui autem non amat, quo in statu *manet*? *In morte,* ait s. Joannes. O luctuosa innumerorum sacerdotum sors! Tanto plus divinam gloriam zelare debet sacerdos, et in ea augenda adlaborare, quanto Deus ipse plus ei honoris contulit et gloriae. Contulit autem ultra omnem exspectationem; cum *honor sacerdotalis* quo illum dignatus est, *nullis possit comparationibus adaequari* (ex s. Ambr.). An non *decet ut modis omnibus glorificet eum, a quo* sic *glori-*

ficatus est? Profecto, ait s. Ignatius Mart., et criminose omnino huic deesset officio; praesertim cum (ut observat Conc. Mediol. IV), hac tantum mente sit *ex hominibus assumptus*, et in *ecclesiastico ordine constitutus.* Tu ergo, *o homo Dei! assume zelum pro sancto ejus nomine,* et in *illius gloria conservanda ac propaganda* totus esse coneris, memor hujus quod scriptum est: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* (I. Reg. II). Geme super universis quae in ipsum quotidie committuntur. Quot potes, oppone bona opera; et in omnibus tuum hóc sit verbum atque symbolum: *Ad majorem Dei gloriam.*

2. *Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus* (II. Cor. XII). *Si vis officium exercere presbyteri,* hoc in te sentias oportet, *ut aliorum salutem* (ut ait s. Hier.) *lucrum facias animae tuae.* Juxta s. Clementem (Const. Apost. l. VIII, cap. 16), *Episcopus* olim *presbyteris,* ex *Apostolica traditione, significabat eos* in hunc finem *consecrari.* Unde cum Paulo potes dicere: *Vae mihi,* si non *evangelizavero,* si de animarum salute nihil curavero; *necessitas enim mihi incumbit.* Zelum tuum inflammare debet: 1° dignitas animae, de qua s. Bernardus (Medit. III): *O anima, Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum angelis, capax beatitudinis, haeres bonitatis, particeps rationis!* Hinc est, quod idem dolens exclamabat: *Cadit asina, et est qui sublevet eam; perit anima, et nemo est qui reputet.* 2° Excellentia operis, de quo sic s. Dionysius (de Coelest. Hier. c. V): *Omnium divinorum divinissimum est, Deo cooperari in salutem animarum. Plus est,* inquit Richardus a s. Vict., *quam mortuos suscitare.* Ex sancto Joanne Chrysostomo *nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium. Si immensas pecunias eroges,* ait idem, *plus tamen efficies, si converteris animam, caram*

et amicam Dei possessionem. 3° Merces promissa, quae tanta est. *Qui ad justitiam erudiunt multos* (dicitur apud Dan. cap. XII), *fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.* O quam durum esset cor tuum, si nullo ex his commoveretur! Oratio, verbum et exemplum totidem sunt media quibus animarum salus procuratur: cuncta sedulo adhibeas, ut in fine mundi, viris apostolicis coram Domino messis cum plenis animarum manipulis venientibus, tu vacuus non appareas.

3. *Domine, dilexi decorem domus tuae* (Ps. XXV). En tertium zeli sacerdotalis objectum. *Maxime sacerdoti hoc convenit*, ait s. Ambrosius, *ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.* Hinc tantum olim hac in parte fuit sancti Nepotiani studium: *Erat sollicitus* (inquit s. Hier.), *si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta; et erat in omnes caeremonias pia sollicitudo disposita. Non minus, non majus negligebat officium. Ubicumque eum quaereres, in ecclesia invenires.* O exemplum viris omnibus ecclesiasticis maxime imitabile! Verum saepius accidit, ut privata multorum ex his domus, eorumque vestes et supellex quaesito splendore reniteant, dum interea domus Dei, et quaecumque ad sanctum cultum inserviunt, contractis ob eorum incuriam sordibus, omnium offendunt oculos. Proh pudor! Certe, carissime frater, si fidem haberes, si Deum timeres, aliter se res haberent. Resipisce quamprimum, et congruo ardeas domus Dei zelo, ut dicere aliquando possis: *Domine, dilexi decorem domus tuae; ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.*

MEDITATIO VI.

De castitate sacerdotali.

1. Considera hujus virtutis excellentiam. *Origine coelestis est,* ex s. Bonaventura. *Immortalis memo-*

ria ejus, ex Scriptura (Sap. IV). *Omne aurum*, ex eadem Scriptura, *in comparatione illius arena est exigua* (Sap. VII). *Nulla virtute,* ait Cassianus, *tam angelis aequantur homines. In hoc mortalitatis loco et tempore,* ait s. Bernardus, *statum quemdam immortalis gloriae repraesentat. Per illam,* ait s. Zeno Veronensis, *saeculum vincitur, diabolus subjugatur, Spiritus sanctus induitur, glorificatur Deus, Omnipotens propitiatur. O pretiosa margarita,* exclamat s. Athanasius, *beatus qui tenet te! Beatus qui per patientiam tibi constanter adhaeret; quoniam cum paululum laboraverit, multa in te munera recipiet.* Immortales age Deo gratias, quod te ad tam praestantis virtutis professionem vocaverit, et *super salutem ac speciem dilige illam.*

2. Considera ejusdem virtutis necessitatem. *Omnibus,* ait s. Augustinus (Serm. CCXLIX. de Temp.), *castitas pernecessaria est, sed maxime ministris altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio,* et quos ad *sacrum ministerium* admitti non sinit Ecclesia, nisi sub conditione perpetuae et approbatae castitatis (Dist. 32, c. 12). *Tales* quippe *decet Deum habere ministros, qui nullo carnis contaminentur contagio, sed plena mentis et corporis castitate praefulgeant.* Sacerdotes, ut observant sancti Patres, *Deo familiarius appropinquant; incensum et panes* ei *offerre* habent, *Christi Domini corpus* proprio *ore conficiunt, et sacrosanctis illius carnibus quotidie vescuntur;* quo igitur non oportet puriores ac sanctiores esse talibus fruentes bonis? *Necesse est,* inquit s. Joannes Chrysostomus (lib. III. de Sacerd., cap. IV), *sacerdotem sic esse purum, ut, si in ipsis coelis collocaretur, inter coelestes virtutes medius staret.* Vitam ergo agas integerrime, ut *non solum ab immundo opere,* ait s. Hieronymus, *sed etiam a jactu oculi et cogitationis errore mens* tua sit prorsus libera; sciens ex s. Joanne Chrysostomo, quod *immunditia, quae in alio crimen est, in*

sacerdote est sacrilegium; et quod *soli qui puram agunt vitam, vere sunt Dei sacerdotes,* ut ait Clemens Alexandrinus.

3. Considera castitatis fragilitatem non minorem videri quam ejus praestantiam; habemus enim thesaurum istum in vase fictili, quod facile rumpitur. Prompta ejus jactura, difficilis recuperatio. *Ut integra servetur in adventu Domini nostri Jesu Christi,* haec praesertim age: 1° *Castiga corpus tuum, et in servitutem redige;* si enim mollius tractetur, insolescet ad tuam perniciem. 2° *Modico vino utere,* quia, ut ait Sapiens, *luxuriosa res est vinum.* 3° *Non sis familiaris alicui mulieri;* de *vestimentis enim,* ait iterum Sapiens (Eccli. XLII), *procedit tinea,* et *a muliere iniquitas viri.* 4° *Vigila* praecipue *circa initium tentationis,* et *hostem, dum parvus est, interime.* 5° *Nullum tempus feriatum habeas,* sed *facito* semper *aliquid operis,* ut *semper te diabolus inveniat occupatum* (s. Hier.). 6° Valde humilia spiritum tuum; nam, ex s. Bernardo, ut *castitas detur, humilitas meretur.* Demum statutis aliquot verae pietatis actibus, Jesu et Mariae praesidium tibi concilia; haec enim, virginum cum sit regina, clientes virgines amat; ille facit. Frequentioribus ergo suspiriis ad utrumque aspiret anima tua, *quoniam aliter non potes esse continens,* nisi Deus det (Sap. VIII). *Cor mundum crea in me, Deus* (Ps. L). *Virgo singularis, vitam praesta puram.*

MEDITATIO VII.

Quod sacerdoti frequenter vacandum sit orationi mentali, seu meditationi.

1. Considera, quantopere ad pium illud exercitium impellant Scripturae. *Erunt,* inquit Deus (Deut. VI), *verba haec quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo . . . et meditaberis in eis, sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque con-*

surgens. In libro Sapientiae moneris (Eccli. VI): *Cogitatum tuum habe in praeceptis Dei,* et *in mandatis illius maxime assiduus esto; et ipse dabit tibi cor, et concupiscentia sapientiae dabitur tibi.* Et in Psalmis (Ps. I.) legimus: *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte. . . . Erit tamquam lignum quod fructum suum dabit in tempore suo . . . et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.* Ubi vides 1° quod divinae legis meditatio injungitur et commendatur omnibus indiscriminatim. Unde s. Prosper: *Quis,* inquit, *dubitabit, Ecclesiae ministros illius posse et debere fieri sectatores?* 2° Quod commendatur *assidua* et veluti continua: *die ac nocte.* A quo implendo longe certe est, qui semel saltem in die vel per mediam horam ei vacare non curat. 3° Quod exhibetur tamquam fons et origo omnis nostrae bonae voluntatis, omnisque fructus spiritualis qui a nobis potest expectari. Ex quo consequens est, eam sine magno salutis discrimine negligi non posse. *Fili mi, ne effluant haec ab oculis tuis* (Proverb. III).

2. Considera dicta Sanctorum circa orationem mentalem. S. Bernardus (L. I. de Consid.) in ea reponit pietatem. *Quid sit pietatis,* inquit, *quaeris? Vacare considerationi.* S. Bonaventura docet, sine illa pietatem non posse consistere. *Sine isto studio* (orationis), inquit, *omnis nostra religio arida est, imperfecta et ad ruinam promptior.* S. Augustinus dicit esse pietatis nutrimentum. *Sicut,* inquit, *ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis et orationibus interior homo nutritur et pascitur.* S. Joannes Chrysostomus ait: *Orationem id esse animae quod pisci est aqua;* adeoque sine oratione non magis animam vivere posse, quam potest piscis extra aquam. S. Vincentius a Paulo eam vocat clericorum gladium et defensionem: *Quod militibus gladius,* aiebat ille, *idipsum divino ministerio mancipatis est oratio.* Atque hinc est, quod hi et alii

servi Dei tantopere huic orationis et meditationis exercitio fuerint addicti. *Per diem laborabant,* dicitur in libro de Imitatione Christi, *et noctibus orationi diutinae vacabant, quamquam laborando ab oratione mentali minime cessarent.* Aemulare, frater, hunc erga orationem affectum, et *noli* praxim *negligere* ad *pie justeque vivendum* tam necessariam.

3. Considera vitam et agendi modum, seu eorum qui orationi addicti sunt, seu eorum qui de illa parum curant. Proh, quantum hos inter et illos discriminis! Primi a gravioribus temperant peccatis, virtutem colunt, et officii sui munia rite obeunt. Secus vero alii, qui *carnales* sunt, *mundani, segnes, vagi, irreligiosi, et variis servientes desideriis,* voluptatibus et peccatis. Hinc intellige, quam magni momenti sit orationis et meditationis exercitatio! Ex Psalte regio: *Qui scrutantur Dei testimonia, in toto corde exquirunt eum.* Et ex Jeremia propheta: Ideo *desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Quapropter da operam ut, juxta s. Caroli admonitionem, *in meditationis tacitaeque piae orationis studio, singulis diebus, certo temporis spatio, toto animi sensu incumbas;* memorare, orationem et alia pietatis exercitia propria esse tui status officia, secundum istud Concilii Lingonensis (an. 1404): *Assidue et devote orare, sicut et lectioni perfecte intendere, sunt opera clericorum.*

Ad calcem hujus opusculi reperies Methodum Orationis mentalis et Breve indulgentiarum a Bened. XIV. concessarum, tam docentibus et addiscentibus methodum orationis mentalis, quam ipsam orationem mentalem peragentibus.

III. DE NONNULLIS CHRISTI DOMINI TITULIS.

MEDITATIO I.

Jesus Deus noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, ***in quo inhabitat*** *omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Col. II), et *quem adorat multitudo angelorum* (Eccl. in Off.). O mira dignatio! *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram?* Ama, lauda, benedic, gratias age, et cum s. Thoma exclama: *Dominus meus et Deus meus!*

2. *Ad quem venit?* Ad te, pauperculam et vilissimam creaturam, quae Deum et Creatorem contemnens *mutavit gloriam suam in idolum* (Jerem. III). Dereliquisti enim Dominum Deum tuum, et ad deos alienos, mundum, carnem, satanam declinasti. Erubesce, miser, et corde contrito et humiliato dic cum publicano: *Deus, propitius esto mihi peccatori;* vel cum Davide: *Miserere mei, Deus* etc.

3. *Ad quid venit?* Ut se tibi totum communicet, ut *anima tua de Deo saginetur* (Tertull.), ut *divinae efficiaris consors naturae* (II. Petr. I), *ut vivas in aeternum* (Joan. VI). Ad tantam Dei erga te munificentiam stupefactus, totus in laudibus effundaris, usurpando aliquem e Psalmis qui incipiunt: *Laudate,* aut *Benedic, Benedicite;* et statue *jam non tibi vivere, sed illi.*

MEDITATIO II.

Jesus Rex noster.

1. *Quis venit?* Jesus Christus, *rex gloriae, rex coeli et terrae, rex regum, et Dominus dominan-*

tium, rex tuus, rex bonus et clemens, rex cujus est consilium, aequitas, prudentia, fortitudo, et cui *omnia serviunt.* Pensa, *quanta sit ista dignitas, habere in cordis hospitio adventum* tanti regis! *Optimum et pulcherrimum ei praepara locum,* et ad illum suspira, dicens: *O rex et legifer noster! veni ad salvandum nos.*

2. *Ad quem venit?* Ad servum infidelem, ingratum, rebellem et centies relapsum. Confitere adversum te injustitiam tuam: amaro eam luge animo, et summum Christi in te professus dominium, dicito ei ex corde: *Tu es ipse rex meus;* tibi et non alio *subjecta erit anima mea.*

3. *Ad quid venit?* Non ut secundum peccata tua faciat tibi, tradendo te tortoribus; sed ut misericordiam qua te in suam recipit gratiam, novis cumulet muneribus, assumendo te in convivam ac familiarem suum, et *pane suavissimo de coelo praestito, replendo bonis* animam tuam. O inenarrabilem bonitatem! *Laudationem* tam benigni regis indesinenter *loquatur os tuum,* et dica ei *omnia opera tua.*

MEDITATIO III.

Jesus Magister noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, *datus nobis dux et praeceptor, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, qui verba vitae aeternae habet,* qui *est via, veritas et vita.* Gratulare tibi de tanto magistro; nam *multi prophetae et reges voluerunt* illum *audire, et non potuerunt. Regina Austri venit a finibus terrae, audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic.* Vide ergo, *ne recuses loquentem, sed attentissimam ei praebe aurem et cor docile.*

2. *Ad quem venit?* Ad te, rudem et indocilem discipulum, qui parum *sapis ea quae Dei sunt,* et qui toties *projecisti sermones ejus retrorsum.* Tantae

offensae poeniteat te; et ne, in hujus vindictam, *sileat a te* Magister justus aeque ac bonus, cum leprosis (Luc. XVII) humiliter ac desideranter obsecra, dicens: *Jesu praeceptor, miserere mei;* vel cum Davide: *Domine, ne quando taceas a me, ne assimiler descendentibus in lacum.*

3. *Ad quid venit?* Ut bonitatem et disciplinam et scientiam *doceat te* (Ps. CXVIII), et *implearis agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambules digne Deo, per omnia placens,* et *in omni opere bono fructificans* (Col. I). O quam gratus tibi debet esse ejus adventus! *Exi obviam ei,* exclamans cum turbis in Evangelio: *Benedictus qui venit! Hosanna filio David!* Et *sedens secus pedes ejus, audi verbum illius,* quod tum, exemplo beatissimae Matris ejus, *conserves et conferas in corde tuo.*

MEDITATIO IV.

Jesus Medicus noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, magnus animarum et corporum medicus, tam bonus quam potens, *dans sanitatem et vitam;* ad quem, in diebus carnis suae, *afferebantur omnes male habentes, et curabat eos* (Marc. VI). Quantam tibi debet hoc verbum inferre laetitiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Collige et adhortare omnes animae tuae facultates, et superexaltent nomen sanctum ejus, istud Psalmistae iterando (Ps. CII): *Benedic, anima mea, Domino . . . qui sanat omnes infirmitates tuas* etc.

2. *Ad quem venit?* Ad aegrotum gravem et molestum, *innumeris circumdatum malis*, medico suo non multum propensum, quin *multis curationibus ejus ingratum;* et, quod pejus est, qui *tamquam multa febre phreneticus insaniens in medicum, qui venerat curare eum,* saepius *excogitavit consilium perdendi illum* (s. Aug. in Ps. LXXIII). O medicum

vere pium, vere misericordem! Dulcissime Jesu, confiteor me omnino indignum, *ut intres sub tectum meum* et *visites* servum tuum; sed *secundum misericordiam tuam memento mei tu; propter bonitatem tuam, Domine, sana animam meam* etc.

3. *Ad quid venit?* Ut ipse *curet te,* et *integram tibi det sanitatem. Ego veniam,* inquit (Matth. VIII), *et curabo eum.* Agedum in verbo hoc, *da locum* coelesti *medico,* et *non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria* (Eccli. XXXVIII). Expone illi confidenter omnes animae tuae morbos, omnia vulnera, dicens: *Domine, ecce quem amas, infirmatur; miserere mei, quoniam in te confidit anima mea* (Ps. LVI). Verumtamen vide ut facias quae mandaverit; nam *ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult* (s. August.).

MEDITATIO V.

Jesus Pastor noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, *pastor et episcopus animarum nostrarum* (I. Pet. II), qui in tantum dilexit gregem suum, ut pro illo mori non dubitaverit, atque, inquit s. Gregorius (Hom. XIV. in Evang.), *in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, ut oves quas redemerat, carnis suae alimento satiaret.* O pastorum *principem* et optimum! *Quis* enim *pastor oves proprio pascit cruore?* Et *quid dico, pastor? Matres multae sunt quae, post partus dolores, filios tradunt aliis nutricibus. Hoc vero tu non es passus, piissime Jesu, sed ipse nos proprio sanguine pascis, et per omnia tibi coagmentas* (s. Joann. Chrys.). *Laudamus* ergo *te, benedicimus te, adoramus te; gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.*

2. *Ad quem venit?* Ad ovem morbidam, fugitivam, errabundam. Mirare tam boni pastoris benignitatem. *Exulta et laetare in misericordia ejus* (Ps. XXX).

Dole plurimum de tuis nimium frequentibus aberrationibus. Amabile illius ovile amplius ne deseras, neque *quae praecipit, ultra obliviscaris,* ut possis cum Propheta dicere: *Erravi sicut ovis quae periit: quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus;* vel: *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae, ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.*

3. *Ad quid venit?* Ipse declarat dicens (Luc XIX): *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* Et (Joan. X): *Ego veni ut vitam habeant* oves, *et abundantius habeant.* O dulce et amicabile verbum in aure peccatoris! Obtestare coelestem illum pastorem, ut id impleat et exequatur ad quod venit, faciatque ut, sicut ipse vivit propter Patrem, ita manducando ejus carnem, et tu vivas propter eum. In Evangelio autem testatur, quod ejus oves fideles vocem ejus audiunt, et illum sequuntur; fac et tu similiter, ut sis aliquando ex illorum numero, de quibus dicit: *Et vitam aeternam do eis* (Joan. X).

MEDITATIO VI.

Jesus Redemptor noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, Agnus Dei, *Agnus immaculatus, cujus pretioso sanguine redempti sumus* (I. Pet. I), *qui est vere salvator mundi* (Joan. IV); *qui dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis* (Gal. II), *justus pro injustis, ut nos offerret Deo* (I. Pet. III). Mirabilis misericordia! *Dicant qui redempti sunt a Domino, quoniam bonus* (Ps. CVI). *Collaudabo te Deum salvatorem meum* (Eccli. LI), et *placebo* tibi *in regione vivorum, quia eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu* (Ps. CXIV).

2. *Ad quem venit?* Ad miserum quondam *peccati* servum, qui saepe saepius pretium in redemptionem suam impensum dissipavit, *Filium Dei conculcavit,*

et sanguinem testamenti in quo sanctificatus est, pollutum duxit (Heb. X). *Vere apud te*, Domine Jesu, *misericordia*, qui *non secundum iniquitates nostras retribuis* nobis. Doleo et dolebo, *quamdiu fuero*, quod per gratiam tuam *a peccato liberatus*, non *steterim* in ea libertate qua me misericorditer donaveras, sed me *iterum jugo servitutis contineri* multoties passus sim. Parce mihi, bone Jesu, et Redemptoris mei partes non desinas sustinere. *Ecce in manibus tuis descripsisti me; lege scripturam, et salva me* (s. Augustin.).

3. *Ad quid venit? Ut de manu inimicorum tuorum liberatus, servias illi in sanctitate et justitia, omnibus diebus tuis* (Luc. I). Aestima te beatum, quod dignus habitus sis, qui tanto et tam bono servires Domino; servire enim illi regnare est. *Sacrifica ei hostiam laudis* ob tuorum diruptionem vinculorum (Ps. CXV); et *cave ne aliquando peccato consentias* (Tob. IV); *quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati; servus autem non manet in domo in aeternum* (Joan. VIII). In corde et in ore istud semper habe: *Malo mori quam foedari. Quod ut numquam* tibi contingat, dic frequenter Redemptori: *Tuus sum ego, salvum me fac* (Ps. CXVIII); vel cum s. Anselmo: *O Jesu, esto mihi Jesus, et salva me.*

MEDITATIO VII.

Jesus Sacerdos et Victima.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, idem simul et Sacerdos et Hostia. *Sacerdos* autem *magnus, aeternus, perfectus*, et *excelsior coelis factus; Hostia* vero *sancta, vivens, impolluta, et Deo* summe *placens. Honora et dilige* tantum illum *Sacerdotem* in *tota virtute et anima tua* (Eccli. VII); et divini ejus sacerdotii factus particeps, *obsecra ut fiat in te duplex spiritus* illius (IV. Reg. II). Quod ut consequaris, interpone meritum sacrosanctae Victimae

per te in altari immolandae, dicens: *Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui* (Ps. LXXXIII).

2. *Ad quem venit?* Forsitan ad *servum nequam*, aut *inutilem*, ministrum *infidelem*, *nescientem Dominum*, *neque officium sacerdotum* (I. Reg. II), *et nihil habentem sacerdotio dignum* (II. Mach. IV). Ad te ergo pertinet illa Evangelii sententia: *Veniet Dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat, partemque ejus ponet cum hypocritis* (Matth. XXIV). Sed impendens malum amoliri satage, mutans mores in melius, et *fiducialiter* confugiens *ad apostolum et pontificem confessionis nostrae Jesum; qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad eum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* (Heb. VII).

3. *Ad quid venit?* Ut fiat *omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* (Heb. V). Si enim in diebus carnis suae *preces supplicationesque* Deo Patri *offerens*, *exauditus est pro sua reverentia;* quanto magis nunc consummatus in gloria, et *in sempiternum sedens in dextra Dei* (Heb. X)! Ut autem tantum consequaris bonum, necesse est ut, sicut Christus *didicit ex iis quae passus est, obedientiam*, discas pariter et tu ipse Deo obtemperare. Dic ergo cum dilecto illo Magistro, et quidem *perfecto corde atque verissimo: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei* (Ps. XXXIX; Heb. X).

IV. DE CHRISTI DOMINI VIRTUTIBUS.

MEDITATIO I.

Caritas Jesu.

1. ***Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*** (Joan. III). Et hic ***dilectus Filius*** ita te amavit, ut se tibi totum dederit. ***Se nascens dedit socium, convescens in edulium. Totus nostros,*** ait s. Bernardus, ***in usus expensus est.*** An nostro merito, vel ad suam utilitatem? ***Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos,*** ait Apostolus (Ephes. II). O Dei benignitatem! quid ei rependisti? Tibi jam dicit sicut olim beato Petro: N. ***amas me?*** me, inquam, qui tantum tibi testatus sum amorem? Num magis *opere* quam verbo, respondere potes: ***Domine, tu scis quia amo te?*** Si amare pigebat, redamare non pigeat.

2. Caritas Christi erga nos elucet praesertim in Ss. Sacramento, in quo, ait Concilium Tridentinum (Sess. XIII, c. II), ***divini sui erga homines amoris divitias velut effudit.*** Animo enim perpende tam donum hic praestitum, quam finem, tempus et modum quo praestitum est. An ulla est circumstantia quae summam non arguat caritatem? Nam 1° non sua tantum, sed seipsum tibi dat. 2° Non ex necessitate, sed amore solum, et quidem ardentissimo: ***Desiderio desideravi.*** 3° In modum cibi, ad majorem unionem. Tandem 4° pro te jamjam moriturus. O quam vere dixit dilectus discipulus: ***Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem*** potissimum ***dilexit eos.*** Vellem, bone Jesu, in me complecti amorem omnium sanctorum angelorum, ad tuum in me repensandum.

Amabo te, saltem quantum mea patitur infirmitas; et in quavis occasione dabo quae valebo, testimonia. *Si quis non amat Dominum Jesum, sit anathema.*

MEDITATIO II.

Obedientia Jesu.

1. *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Phil. II). At hic non desiit ejus obedientia, quam mirum in modum exercere pergit in sacramento altaris, ubi, ad *vocem hominis,* descendit de coelis Dominus universorum; in ejus se collocat manibus; locum occupat quem assignare voluerit; et parvae hostiae ita se continet finibus, ut numquam per se eos transiliat, quantumvis laesus et offensus. O stupenda obedientia! Creator se submittit creaturae suae, Dominus servo, Sanctus et Justus peccatori. Quale mihi documentum, qui tam saepe divinae reluctor voluntati! Quomodo ad te, obedientissime Jesu, accedere audeo, vir ingenii superbi et pervicacis, vir dominari magis amans quam subesse? O mi Salvator! abdico me propria voluntate. *Sit mihi unum velle et nolle tecum: nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis aut non vis.* (Cf. lib. III. de Imit. Chr. c. XIII.)

2. Obedientia Jesu, in Eucharistia, non coacta, sed plane voluntaria est. Facile enim posset vincula quibus tenetur, rumpere, et ab omni se eximere dependentia. Sed sub vilibus sacramenti speciebus manere immotus eligit, ut ei morem gerat qui in omnibus ab eo pendet; ita ut dici de illo possit: *Exinanivit semetipsum, factus obediens.* Tanto oculis subjecto exemplo, an grave adeo mihi esse deberet praepositis meis obsequi? An eorum jussa non nisi aegre et coacte, murmurando et expostulando, facere deberem? Hujus agendi rationis valde me pudet ac poenitet. Parebo posthac in omnibus ut *servus Christi, cum bona voluntate, sicut Domino, et non hominibus* (Ephes. VI).

MEDITATIO III.

Patientia Jesu.

1. Sacramentum Eucharistiae, maximum *divinae pietatis* monumentum, omnium deberet affectum et venerationem Christo conciliare. Multa nihilominus in hoc mysterio ab ingratis patitur benignissimus Dominus, cujus donum alii blasphemant ac despiciunt; alii animo frigido, impuro et distracto tractare audent, eo tacente et dissimulante injuriam. O patientia incredibilis! O bonitas infinita! *Opprobria exprobantium tibi,* mi Jesu, *ceciderunt super me.* Vehementer iis afficior et moereo. Quam vellem ea compensare, expiare et avertere! Offero tibi omnium coelestium spirituum laudes et ardentes affectus. Digneris, Domine, horum precibus, te facilem et exorabilem mihi praestare.

2. Sed considerandae quaedam patientiae Jesu circumstantiae, quibus ea mire attollitur. Etenim ille qui summae majestatis Deus est, patitur 1° a creatura vili et abjecta, quam verbo posset disperdere. 2° Non leves, sed graviores injurias, et quidem dum liberalius agit, ita ut possit dicere: *Retribuebant mala pro bonis.* Denique 3° a longo tempore, nempe ab ipsa mysterii institutione. O mi Jesu, tu ipsa es patientia! Maxima erga me usus es: quid retribuam tibi? Ne sinas me amplius abuti tua benignitate, sed fac per gratiam tuam, ut tuo sancto communicando corpori, communicem et tuo spiritui mansuetudinis, quatenus omnia adversa et contraria valeam tuo exemplo patienter sufferre.

MEDITATIO IV.

Paupertas Jesu.

1. Quam stupenda paupertas Jesu in Eucharistia! Nam ibi viles et communes in indumentum habet species, qui *lumine sicut vestimento amictus est;* et multis in locis non melius cum illo agitur, nec dignius ut ita dicam, habitat, quam cum in Bethlehem, *in*

praesepio positus, feno jacere coactus est. Adora et lauda altissimam illam dejectionem et ditissimam paupertatem. Exprobra tibi de tua superfluitate et redundantia; et stude *sentire in te quod et in Christo Jesu*, memor hujus quod scriptum est: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

2. Paupertas Domini in Eucharistia eo usque procedit, ut ibi penes se nihil habeat, in manu alterius totus sit, et utilitatum suarum immemor, nostris omnino inserviat. O bone Jesu! quando colam paupertatem tuam secundum desiderium tuum! Abstrahe me, quaeso, ab amore visibilium, ut *nudus nudum* te *sequi* valeam. *Affatim dives est qui cum Christo pauper est* (s. Hieron.).

MEDITATIO V.

Humilitas Jesu.

1. Jesus Christus, in incarnatione sua, nostram accipiendo formam, *exinanivit se* juxta Apostoli dictum; quanto magis autem humiliavit se in Eucharistia, ubi nequidem homo apparet, *non videt, non sentit, nec audit*, et *manet immobilis! Talis astris imperantem an decet status Deum? Adoro te supplex, latens Deitas. Tibi se cor meum subjicit. Fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere. Quanto* enim *pro me vilior*, tanto *mihi carior* esse debes (s. Bernard.).

2. Christus Jesus, cujus *magnitudinis non est finis*, nec *sapientiae ejus numerus*, se ideo humiliare et exinanire voluit, ut exemplo suo ostenderet, et illos *qui videntur aliquid esse*, non debere humiliationem fugere; utpote qui uberiori indigeant gratia, quae nonnisi humilibus datur, in majus veniant vanitatis et superbiae discrimen, et *in reddenda ratione sint obligatiores.* Unde istud Ecclesiastici (c. III): *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*, et *coram Deo invenies gratiam.* Vide ne in vanum haec acci-

pias documenta. *Imitare quod tractas; et* scito, quod *intolerabilis impudentiae esset,* ut *ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat* (s. Bern.).

MEDITATIO VI.

Puritas Jesu.

1. Considera, quanta sit puritas Jesu! *Candor est lucis aeternae, speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* (Sap. VII); *virginis filius, virginum sponsus, virgo ipse* (s. Bonav.), ac splendor virginitatis, ejusque *amator* unicus. Is autem purissimus Dominus vere praesens est in Eucharistia; et *calix cui benedicimus, communicatio Sanguinis ejus est, panisque quem frangimus participatio Corporis ipsius est* (I. Cor. X). Hinc intellige, *quam mundae debent esse manus, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor sacerdotis qui accipere* et *tractare* habet *Christi sacramentum!* (L. IV. de Imit. Chr. c. 11.) *Verbum prophetae est* (inquit Petrus Blessensis): *Mundamini qui fertis vasa Domini; quanto mundiores esse oportet qui in manibus et corpore Christum portant, quibus Apostolus dicit:* Glorificate et portate Deum in corpore vestro! *Serva* igitur *in moribus* tuis *castae et sanctae vitae integritatem,* et *ab omni specie mala* cura ut semper *abstineas; quod* enim *veniale est plebi,* criminale est sacerdoti.

2. *Haec est voluntas* Jesu, in Eucharistia, ut *efficiamur divinae* ejus puritatis *consortes;* et *sanctificatio vasis nostri* unum est ex praecipuis Ss. Sacramenti bonis, juxta istud Prophetae: *Quid Domini bonum est et pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* Adora, ama, gratias age, et dic cum Propheta: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum* (Ps. LXII. 6).

MEDITATIO VII.

Perseverantia Jesu.

1. Considera perseverantiam Jesu in Eucharistia. Vere miratu digna est. Nam ex quo amabilis Salvator istud sacramentum instituit, per se praesens ibi fuit; nec umquam, seu nocte seu die, vel momento abcessit. Caetera sacramenta in actione transeunte consistunt; istud vero constans et permanens est. Christus in eo *semper vivit ad interpellandum pro nobis;* et quaecumque ibi nostri causa praestat, eadem *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* praestabit. *O invisibilis mundi conditor, Deus, quam mirabiliter et gratiose agis nobiscum!* Vere dixisti: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Sed qui fit ut *non possimus vel una hora vigilare tecum;* et in tuo sancto servitio adeo parum simus stabiles? Doleo vehementer de mea inconstantia et levitate; et tua aspirante gratia, dico: *Mihi adhaerere Deo bonum est, non movebor in aeternum.*

2. Christus Jesus in Eucharistia non tantum perseverantiae forma est et exemplum, sed et causa ac principium. Quia, ut docet Concilium Tridentinum (Sess. XIII. de Euchar. c. II), *sumi voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo aluntur et confortantur viventes vita illius; et tamquam antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur; et praeterea id esse voluit pignus futurae gloriae et perpetuae felicitatis.* O dulcissime et benignissime Jesu, quanta tibi reverentia et gratiarum actio, cum perpetua laude, debetur pro tam salutifero, quod mihi subministrasti, remedio! Cito, sine illo, in via salutis deficerem. Excita cor meum in te, et a gravi torpore exue me; ut ad tua sancta sumenda frequenter accedens atque digne, copiosum inde reportem fructum, et ambulem in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei. Amen. Fiat, fiat.

V. DE PRAECIPUIS DEI BENEFICIIS.

MEDITATIO I.

De beneficio creationis.

1. Considera, inquit s. Franciscus Salesius, te a paucis tantum annis in rerum natura esse ac vivere, et quod ante non solum quid minus eras quam vermis, quam atomus, sed nihil omnino. O anima mea! ubi eramus tunc temporis? Stabat mundus a multis jam saeculis; et de nobis silebatur penitus. *Merito ergo nos ipsos humiliare possumus, nec umquam aliquid magni de nobis sentire, quia tam* parvi et exiles *sumus.* (Lib. I. de Imit. Chr. c. 22.) *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (Gal. VI).

2. Considera, inquit idem, quod de nihili abysso te Deus extraxerit, ut id quod es, te conderet, non ex necessitate aut commodo suo, sed ex solo suae bonitatis motivo. Lauda et glorifica factorem tuum. Mirare tot possibiles creaturas in suo nihilo relictas, te tam miserum peccatorem eductum; et intellige, quam sis obstrictus ei servire et subjici, cui te totum debes.

3. Considera cum eodem quid te Deus fecerit, et qualem naturam tibi dederit! Omnium visibilium praestantiorem, Creatoris sui insignitum imagine, vitae aeternae capacem, et perfectissimae cum divina majestate unionis. Agnosce, o homo, dignitatem tuam! *Magnum opus Dei es,* ait s. Ambrosius, *magnum est quod dedit tibi Deus.* Magnifica potentiam ejus; et cave ne acceptam corrumpas nobilitatem, serviendo passionibus et *iniquitati.*

MEDITATIO II.

De fine nostrae creationis.

1. Ideo creati sumus et in hoc mundo positi, ut Deum amemus, colamus et aeternam salutem consequamur. Hoc etiam atque etiam meditare. Cultui divino et tuae saluti incumbendum tibi est, nunc et per totum vitae tempus. Alia quippe vel vana vel noxia sunt. Vide utrum adhuc ex animo quaesieris, amaveris et colueris Deum. Pudeat te futilia tamdiu quaesiisse. Unus Deus quaerendus est. Etenim *ad imaginem Dei facta anima rationalis, caeteris omnibus occupari potest, repleri non potest* (s. Bern.).

2. Deus homini res creatas permisit, ut finem suam facilius assequeretur. Quemadmodum hominem sibi, ita caetera quaeque homini creavit. Quid in rebus creatis acquiescis, quasi in ultimo fine? An existimas veram felicitatem in opibus etc. positam esse? Quid res nihili Deo anteponis? Quid Dei bonis abuteris in ejus contumeliam? Stude cor tuum ab amore visibilium abstrahere, et ad invisibilia te transferre. *Vanitas vanitatum et omnia vanitas,* praeter amare Deum et illi soli servire. (Lib. I. de Imit. Chr. c. 1.)

3. Hoc unum deinceps amabo, quod ducit ad ultimum finem; legibus divinis parebo; virtuti incumbam; illecebras peccandi declinabo. Non est mihi necessaria terrena felicitas; coelum volo. Quaere a te saepius, s. Bernardi exemplo, cur veneris in hunc mundum. An ut existimationi, commodis et voluptatibus servires? Coelo natus, coelum quaere. *Ad quid venisti?*

MEDITATIO III.

De beneficio conservationis.

1. Considera, Deum, postquam te fecit, te etiam conservare et gubernare; quod non est beneficium priore inferius. Illud enim semel tantum tibi factum est; hoc autem semper repetitur. Quotidie enim Dominus quodam modo te creat; quia semper conservat quem se-

mel creavit. Nec minor vel potentia vel amor requiritur in uno quam in altero. Si igitur multum illi debes, quia te subito creavit, plus debebis, quod jugiter te conservet. Quotquot enim temporis momenta habuit et habet et habebit vita tua, tot partes sunt istius beneficii; quia nec in uno illorum subsistere potuisses, si oculos suos a te Deus avertisset. Dic ergo: *Laudabo Dominum in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu fuero* (Ps. CXLIX).

2. Considera, Deum caetera omnia condidisse, ut ad tui juvarent conservationem et gubernationem, inprimis sanctos angelos, *qui semper vident faciem ejus. Omnes* enim, teste b. Paulo, *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui haereditatem capient salutis* (Hebr. I). Idem dicendum de omnibus aliis creaturis visibilibus, quae diriguntur a Deo in hunc finem, ut hominem in suo esse conservent: coelum cum planetis; aer cum avibus; mare et flumina cum piscibus; terra cum bestiis, fructibus, floribus, coloribus et odoribus. Quod mirabatur Propheta (Ps. VIII.) dicens: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Lauda Deum in operibus suis. Agnosce ejus in te amorem, et tuo sedulo compensa.

3. Considera, quod sicut omnia bona creata sunt nostra beneficia, ita etiam mala, quia a nobis Deus illa avertit. Etenim alios videmus affligi calculo, alios podagra, alios epilepsia, aliisve morbis. Mundus hic nihil aliud est quam infinitarum aerumnarum et dolorum pelagus; nec in eo vel una domus invenitur in qua non sit aliqua calamitas. Itaque si ab his liber et immunis sis, est quod Deo pro tanto beneficio gratias agas. Cum enim omnia mala aut ex natura aut ex culpa oriantur, et in te utraque causa adsit, cur non similes in te exstitissent effectus? Ecquis malorum illorum diluvium impedivit, quominus te obruerit, nisi divina gratia, divinus favor? *Esto* igitur *gratus, non verbo, neque lingua, sed opere et veritate.*

MEDITATIO IV.

De beneficio redemptionis.

1. Considera, *a quo sis redemptus:* nempe a *Filio Altissimi,* tuo Creatore et Conservatore, qui humanam naturam assumere dignatus est, ut te a peccati servitute redimeret et a perpetua damnatione, quam per peccatum merebaris. *Vide qualem caritatem dedit tibi Deus,* necnon caeteris hominibus! Quam maximam potuit. Cum enim non posset pro suis peccatis ullus homo satisfacere, si Deus non fieret homo, ipse pro homine voluit homo fieri passibilis et mortalis, et vitam amittere, ut hanc illi conservaret. Non secus ac magnus aliquis rex, qui pro vilissimo mancipio, quod pro gravissimis sceleribus nullo supplicii genere compensare posset partis laesae offensam, seipsum vel filium suum mactandum offerret. *O mira circa nos divinae pietatis dignatio!* Hinc aestima gravitatem peccati et abhorre.

2. Considera, *quo modo sis redemptus,* nempe perfectissimo. Poterat enim Deus sola voluntate, verbo vel nutu, antequam fieret homo, nos redimere, sicut uno verbo creavit. Et factus homo poterat oratione, uno gemitu, una lacryma aut sanguinis gutta, totum salvare genus humanum; sed praestare id voluit totius effusione sanguinis, et per passionem omnium acerbissimam et ignominiosissimam. *Huc in mentem revoca, et sigillatim expende varios Christi cruciatus.* Tanta fuit horum acerbitas, ut ipsi, in horto oranti, sola illorum praevia cogitatio sudorem sanguineum toto corpore expresserit. Quid amor non potest in ipsum Deum?! Sed quid tu agis pro ejus amore? *Caritas Christi* vehementer *urget te: jam non tibi vivas, sed illi qui pro te mortuus est.*

3. Considera, *a quantis malis sis redemptus!* 1° A peccatis, quorum tanta est gravitas, ut solus Homo-Deus ea potuerit expiare. 2° A perpetua daemonis tyrannide et servitute, cui per peccatum eras manci-

patus. 3° Ab igne aeterno, *diabolo et angelis ejus parato.* Sed quanta bona ex hac redemptione manarunt! 1° Ex filio diaboli factus es filius Dei; 2° ex haerede inferni, haeres aeterni regni; 3° particeps gratiae et amicitiae divinae, omniumque donorum Spiritus sancti, necnon eorum quae *Christus ascendens in altum* reliquit Ecclesiae. *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.*

MEDITATIO V.

De beneficio vocationis ad Fidem catholicam.

1. Considera, non prodesse nobis beneficium redemptionis, nisi subsequatur beneficium vocationis ad veram fidem et justificationem. Sicut enim medicaminis nullus est effectus, si non applicetur; ita nec passionis Christi ulla in nobis sequitur utilitas, nisi per fidem et Ecclesiae sacramenta nobis communicetur. Hinc conclude, te non posse satis aestimare vocationis beneficium; quandoquidem sine ipso alterum quod tantum est, vanum est et nullum.

2. Considera, sine peculiari Dei ope ac auxilio neminem venire ad veram fidem. *Nemo potest venire ad me,* inquit ipse Christus (Joan. VI), *nisi Pater meus traxerit eum.* Sicut enim lapis natura sua semper deorsum cadit, nec potest tendere sursum, nisi auxilio externo; sic homo propter peccati corruptelam semper inclinatur in amorem rerum terrenarum, nec valet ad amorem coelestium mentem erigere, nisi *dextra Excelsi* adjutus. Hinc Apostolus Ephesiis aiebat (cap. II): *Gratia estis salvati per fidem, et non ex vobis; Dei enim donum.* Et ad Corinthios (I., cap. XV) de se loquens: *Gratia Dei,* inquit, *sum id quod sum.* Propter quod non cesses gratias agere Deo pro inenarrabili dono ejus.

3. Considera, quot millia, non dico hominum, sed

populorum infidelium et haereticorum, ab initio mundi, tum ante, tum post Christum et etiam nunc, justo Dei judicio, hanc necessariam ad salutem vocationem consecuti non sint, proindeque perierint ac pereant in sua infidelitate vel haeresi. Quid de te factum esset, si inter ethnicos natus, eorum mores ac sensus hausisses, si ligna et lapides adorasses? deinde si haereticos parentes, cognatos, magistros habuisses? Vide, quantas Deo tenearis gratias referre, quod in tanta reproborum multitudine *dignum te fecerit in partem sortis sanctorum in lumine, eripuerit te de potestate tenebrarum, et transtulerit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habes redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum* (Col. I). Sed gratitudo tua in actione praesertim consistat, et in vita *quae digna sit vocatione sancta qua vocatus es;* ne alias Deus in judicio tecum agat durius quam *cum terra Sodomorum.*

MEDITATIO VI.

De beneficiis peculiaribus cuique propriis.

1. Praeter beneficia omnibus communia, multa numerare potes tibi propria, tum in ordine naturae, tum in ordine gratiae. In primo nempe, quod salvus et sospes natus sis, et ad hanc aetatem veneris; quod parentes habueris neque egentes, neque malae notae; quod *sortitus sis animam bonam* et ad multa habilem; quod adolescens ingenue et liberaliter fueris educatus etc. Ista beneficia, quamvis bonis supernaturalibus longe inferiora, non debent tamen oblivioni dari, sicut communiter fit; sed pares pro iis referre oportet gratias, et cavere ne contra auctorem adhibeantur, *quod monstruosa res esset.*

2. In ordine gratiae tibi peculiaria beneficia, maxime post annos pueriles, sunt v. g. quod tibi obtigerint praeceptores pii, qui veram pietatem christianam simul cum litteris instillarint; quod occasionem habue-

ris multas audiendi conciones et exhortationes animis commovendis valde idoneas; quod ad eas scholas et sodalitates perveneris, in quibus frequens est sacramentorum usus, ubi optima vigent instituta, ubi multa virtutis cernuntur exempla, ubi otio et dissolutioni non parcitu etc. Illa autem debes eo magis aestimare et grata posequi memoria, quod *Deus non fecerit taliter omnibus,* quodque, ob istorum defectum, plures ad omnia praecipites ruerint vitia, et aeternam incurrerint damnationem.

3. His accedunt plura alia beneficia magis arcana et occulta, tibique omnino propria, ut si a teneris annis errore imbutus, eum tamen demum exueris, et si in vera fide perstiteris immotus, a tuis licet derelictus et male tractatus; si ab improbis, Deo favente, demigraveris; si ex coeno alicujus vitii, in quo jam diu haerebas, emerseris; si ex gravi animi vel corporis periculo evaseris, ut a naufragio, a lethali morbo, a gravissima tentatione, aliisve malis tibi ignotis. Quis enim scit aut scire potest, a quot tentationibus et periculis te Deus defenderit? quoties laqueos inimici in via existentes rupuerit, ne illis implicareris? Quare, sicut pro occultis delictis quotidie oras cum Propheta (Ps. CXVIII): *Ab occultis meis munda me, Domine;* ita et pro occultis istis beneficiis debes gratias agere. *Hoc enim faciens, dignus eris* nova et *majora accipere.*

MEDITATIO VII.

De beneficio vocationis ad statum clericalem.

1. *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei* (Ps. XV). Hoc est quod profiteri potest quicumque clericali militiae est adscriptus; haec sors de qua gratulari sibi potes. *Quid* porro, inquit s. Prosper, potest eo esse felicius, *cui efficitur suus conditor census, et haereditas ejus dignatur esse ipsa divinitas? Quid enim pretiosius Deo; et quid ei sufficiet, cui ipse non sufficit? Cui portio Deus est*, ait s. Am-

brosius, *totius est possessor naturae*, dicente Propheta: *Domini est terra et plenitudo ejus. Querantur alii,* inquit idem, *de ruris sui angustiis; in te, Deus, est ampla possessio,* quae quidem *non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non frigore uritur, non tempestate quassatur.* Vere ergo cum Psalmista potes dicere: *Funes ceciderunt mihi in praeclaris.* Sed cave, ne tanti beneficii sis immemor; et scito, quod *cui portio Deus est, nihil debet curare, nisi Deum;* et segregatus ab omni labe peccati, *nihil habere commune cum saeculo* (s. Ambr.).

2. *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in haereditatem sibi* (Ps. XXXII). Gens haec, populus hic sunt Ecclesiae ministri, qui non tantum *Dominum partem habent,* ait s. Hieronymus, *sed ipsi pars Domini sunt:* pars, inquam, *prima, electa,* accepta, *benedicta, specialiter Christo adhaerens,* et *cujus sunt optima quaequae.* Illos Dominus habet ac spectat ut potiora sua membra; *non* ut *servos, sed ut amicos, coadjutores, consiliarios, vicarios* et *homines suos;* et a Patre petiit, *ut ubi ipse est, et illi secum essent* (Joan. XVII). O ter quaterque beati discipuli! o quam expetenda vestra sors! Sed *tales exhibete vos, ut a Domino possideri* mereamini; et *sicut ille sanctus est,* et vos *sancti estote.*

3. *Videte vocationem vestram, fratres* (I. Cor. I). Eo tendit illa, et ad hoc venisti, ut sacris mysteriis *in sanctitate et justitia serviens,* Deum summo modo glorifices; Jesum Christum ut victimam in altari immoles; et animas *ministerio verbi* et sacramentorum dispensatione sanctifices; vel etiam ut a Christo Domino spiritum, gratiam et amorem, tamquam vas consecratum, suscipias et in alios velut canalis transfundas. *O altitudo clericalis dignitatis!* o sancta vocatio! o divinae functiones! Hinc sequitur 1° ut te parvi pendas, et tanto honore indignum putes; 2° ut te ad omnia paratum Christo Domino exhibeas; 3° tandem

ut ad hanc tuae vocationis fidem totum te convertas atque conferas. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide* (I. Timoth. III).

VI. DE HOMINIS NOVISSIMIS.

MEDITATIO I.

De morte.

Estote parati, quia qua nescitis hora, Filius hominis venturus est. *Matth. XXIV.*

1. **M**orieris. Certum est, atque a Deo statutum. Nullus hominum huic restitit legi. Morieris. Capis hoc? Propinquos, amicos, opes relinques; terra corpus teget; non videbunt oculi; silebit lingua. Quid ita firmiter perituris adhaeres? Cur tam molliter habes corpus, quod vermibus scatebit? Moriendum est; hoc perpende.

2. Latet me tempus et locus obitus. Momentum mihi praestare nequeo. Quam multi hodie occident, quibus nunc mortis suae non occurrit cogitatio! Si modo e vivis excedendum mihi esset, quid de me fieret? quo abirem? quis futurae poenitentiae spem fecit? Ah! cum tempus et locum mortis ignorem, ubique et semper eam praestolabor. *Quoniam ubique te mors exspectat; si sapiens fueris, ubique eam exspectabis* (s. Bernard.).

3. *Deliqui in Deum;* an ei gratus moriar, ignoro. An futurus sit obitus ad vitam vel ad poenitentiam, nescio. Ad hanc veritatem an non horresco? Curandum mihi est, ut salus mea ab omni periculo tuta sit; mihique, quasi quotidie morituro, vivendum. *Fac modo quae moriens facta fuisse velis;* et *dum tempus habes, congrega tibi divitias immortales.*

MEDITATIO II.

De praeparatione ad mortem.

Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur; et nescies qua hora veniam ad te. *Apoc. III.*

1. Omnis vita ad mortem debet esse praeparatio, quoniam bona mors res est momenti omnium maximi: imo caetera nugae sunt, si cum morte componantur. Quomodo te paras ad mortem? an vivis ut moriturus? tibi forte vitam polliceris longiorem? Deinceps prima curarum tuarum sit parare necessaria ad magnam aeternitatis viam, ne imparatus cogaris discedere. ***Paratos nos inveniat extrema necessitas, quae saepe praevenit imparatos*** (s. Eucher.).

2 Morieris, non ignoras, sed semel dumtaxat; et in hac unica morte tum felix tum infelix tua vertitur aeternitas. Non hic agitur de levis cujusdam boni jactura, sed de jactura omnium gravissima; quodque considerandum magis, de jactura irreparabili. O mors metuenda! An est quisquam qui te diligenter meditetur, quin mundi fugiat pericula, seque arctiori vinculo Deo conjungat! ***O mors! bonum est judicium tuum*** (Eccli. XLI).

3. Ut pie ac sancte moriaris, pie ac sancte vive. ***Consentanea mors vitae.*** Numquam indormias peccato mortali. Mane, dum surgis, subeat animum haec cogitatio: ***Forte non victurus sum ad occasum solis.*** Et dum lectulum petis: ***Eodem forsan linteo mortuus involvar, in quo dormiturus sum.*** Interdum sic te interroga: Essem modo ad mortem paratus? ***Si hodie non es paratus, quomodo cras eris?*** (L. I. de Imit. Chr. c. 23.) ***Nihil ita quotidie ut mortem homines vident; nihil ita obliviscuntur*** (s. Eucher.). O hebetudo et duritia cordis humani!

MEDITATIO III.

De judicio particulari.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matth. XII.*

1. Statim post mortem totius vitae reddenda ratio est. Id credunt christiani omnes; sed heu! quam pauci capiunt! Novit Deus quidquid feceris, dixeris aut cogitaveris, et horum omnium exiget rationem. Heu! ipso mortis momento sciam, quid mihi futurum sit per aeternitatem. Momentum formidabile! Haec meditare: ad hoc compara te. *Domine, memorabor justitiae tuae solius.*

2. Deus judex est adeo perspicax, ut omnia norit; adeo justus, ut cujuslibet peccati poenas sit repetiturus; adeo potens, ut nemo sit qui rigidioris ejus justitiae animadversionem effugere possit. Provide rebus tuis. Quid respondebis? qua ratione peccatum tuum excusabis? Ah! Domine, ne delictorum meorum, sed solius infinitae tuae misericordiae memineris. *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?*

3. Alius non erit judex, ad quem quis possit provocare. Vix lata erit sententia, cum incipiet tortorum carnificina. Nihil lacrymae, nihil gratia, nihil munera proderunt ad funesti decreti vel rescissionem vel dilationem. Pro arbitratu meo jam meam mihi possum conficere sententiam. Sim accusator, sim judex, sim tortor meus, et numquam imparatus ad *reddendam rationem villicationis meae. Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus; et cum quaesierit, quid respondebo illi* (Job. III)?

MEDITATIO IV.

De judicio universali.

Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium etc. *Luc. XXI.*

1. Terribilis erit ultimi judicii apparatus. Horrenda videbuntur signa, sol cruentus, aër igneus, vehementioribus procellis agitatum mare, terrae motus, fames, sterilitas, bella, morbi. Ad haec, tam callide fideles exagitabit Antichristus, vix ut ipsi possint resistere. Credo Domine, me auditurum esse terrificas tubas vocantes ad judicium. *Si quando te senseris ad aliquod crimen cieri, in mentem revoca nulli tollerabile Christi judicium* (s. Basil.).

2. Cerne animo vallem Josaphat, innumeris refertam populis. Jesus de coelo descendet, copiosa beatorum corona stipatus, ut omnes judicet homines. Ad ejus dextram boni angeli et electi omnes; ad sinistram vero damnati, longa daemonum caterva circumsepti. Heu! aliquando ero in hac valle lacrymarum: quid de me tunc fiet? nescio. Attamen hilarem vitam ago, quamvis ignorem, an ad dextram, an ad sinistram sim collocandus: *Confige, Domine, timore tuo carnes meas* (Ps. CXVIII).

3. Considera, quid tunc dicturi, quid cogitaturi sint electi. An eos poenitebit mundi vanitatem contempsisse? Attende etiam ad ea quae dicturi sunt damnati: En, inquient electos indicantes, en *quos aliquando habuimus in derisum!* Quam tamen prudentes fuerunt! Ipsis vero damnatis *quam lugubre erit Deum videre et perdere, et ante pretii sui perire conspectum!* (S. Eucher.) *Revela, Domine, oculos et da mihi intellectum* (Ps. CXVIII).

MEDITATIO V.

De gloria Paradisi.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. *Matth. XXV.*

1. In regno coelorum Deo fruemur; et cum eo quid non possidebimus? Caret haec lacrymarum vallis deliciis quibus redundat coelestis patria. Tam fluxis itaque voluptatibus abstineamus, in quibus numquam omnino requiescit animus, ut potiamur coelestibus. Deliciae, honores, divitiae, quam sordetis coelum consideranti! Solo Deo satiatur anima. Ah! Domine, felicitas *haec acquiri potest, aestimari non potest* (s. August.). *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt eum* (I. Cor. II).

2. Illic erunt quaecumque volueris, aberunt quaecumque nolueris. Nullae lacrymae, nulla suspiria, nulli dolores, nulla tristitia. In coelo merum gaudium, nullo felle permixtum. Sane aequum est, ut tot delicias emam nonnullis laboribus. Quid enim sunt labores nostri, si cum gloria paradisi et coelestibus bonis comparentur? *Momentaneum et leve tribulationis nostrae supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (II. Cor. IV).

3. Sed haec quamdiu? Tota aeternitate. Hoc norunt sancti. O felix aeternitas! si caperent te christiani, quid non agerent? Omnia quae labuntur cum tempore, indigna sunt curis nostris. Quidquid aeternum est, magnum est. Unam itaque spectemus aeternitatem, et *pro nihilo habeamus* bona hujus vitae. Nam omnem omnino fugabit tristitiam cogitatio ejusmodi: *Momentaneum quod cruciat, aeternum quod delectat* (s. Greg.).

MEDITATIO VI.

De Inferno.

Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. *Matth. XXV.*

1. Infernus carcer est, puniendis damnatis destinatus. Divino privari conspectu, atrocissimum suppliciorum est. Damnati cognoscent tanti Dei perfectiones, et eo perfrui peroptabunt; sed frustra. Nullum amplius gaudium, voluptas nulla. Pessima conditio, quis te capere possit? Doles, aut maxime cari capitis desiderio, propinqui funere, aut aliis hujus generis bonis amissis; et orbari te Deo, cujus magnitudinem infinitam miraris, levius feres?

2. Damnati patientur quaecumque fingi possunt tormenta, famem videlicet, sitim, tenebras, fetorem, spectra terrifica, ignes; singulae partes corporis, singulae animi potentiae cruciabuntur. Delicatule! unius dentis dolori ferendo es impar; non potes digitum cerei flammulae vel momento admovere: quomodo poteris debitas sceleribus poenas solvere?

3. Haec supplicia aequabunt aeternitatem, sine solatio, sine intermissione, sine spe. Proh Deus! si hoc verbum intelligeres, *aeternum pati;* quam tibi, quam amarae forent voluptates, quam suaves afflictiones! Aeternitas! ecquis te animo volvit, quin contremiscat, Deum timeat ac mundum contemnat? O aeternitas! Momentanea delectatio aeterno plectitur supplicio. Fide et mente caret, quem nec movet nec ad meliora compellit aeternitatis cogitatio. *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis* (Isaiae XXIII)?

MEDITATIO VII.

De salute animae nostrae.

Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat? *Luc. IX.*

1. Adeo potens est Christi sententia, ut omnes, inquit s. Franciscus Xaverius, ad meliorem frugem ad-

duceret, si attentiori animo perpenderetur. Saluti consulendum: en *unum necessarium*. Huic creatus es, non dignitatibus, non scientiis, non voluptatibus. Id tamen non attendis, deque congregandis terrenis bonis diu noctuque cogitas.

2. Saluti incumbendum, nec levi, nec sterili conatu. Quid agis, miser? In comparandis divitiis, scientiis, honoribus, profundis sanitatem; sanctitatem parum attendis. Quid, quaeso, mortis articulo proderunt divitiae? quid honores? quid scientiae? Plane nihil, si animae detrimentum feceris. *Ubi salutis damnum est, illic utique jam lucrum nullum est* (s. Cypr.).

3. Sine mora saluti laborandum, quia nimium anceps et dubia est salus procrastinantis. Vide, quantum tamporis tua requirant negotia; et cave, ne totum absumat mundus. In supremo judicio de divitiis et honoribus altum erit silentium. Nunc tandem definias tempus quod daturus es Deo: in deliciis male positum lacrymis deleas, ut paratus sis ad reddendam rationem. *Demus Deo aliquod tempus vitae nostrae, ne diem totum ista vanitas et sollicitudo miseranda consumat* (s. Petr. Chrysol.).

VII. DE SOLEMNIORIBUS FESTIS.

MEDITATIO I.

I. Jan. *De Circumcisione Domini.*

1. **H**odie facit Jesus quod ad mortem usque facturus est. Obedit Patri, Mariae, Josepho. Deus obtemperat hominibus; et homines eo usque vani erunt, ut Deo, praepositorum ore praecipienti, repugnent! Vel Deo parere debes, vel cupiditatibus, vel daemoni. Elige. Ah! cum Deus obediat legi, *disce, homo, obedire;*

disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare (s. Bernard.).

2. Elucet vel maxime humilitas obedientis Jesu. In praesepi pauper; in circumcisione habetur peccator. Deus, qui alienissimus est a peccato, sic exinanivit semetipsum, ut formam acceperit peccatoris; et ego, qui in peccatis conceptus, iisque innutritus sum, nolo peccator vocari, nolo minoris aestimari!

3. Amor Jesu patet in hoc mysterio, quod tam cito velit *Salvator* appellari, et suum largiri sanguinem in amoris pignus. Hic sanguis, hae lacrymulae sunt verba cordis ejus, quibus promittit se passurum et moriturum esse omnium hominum causa. Hunc annum inchoa ab imitatione obedientiae et humilitatis Jesu. Tuus sum, mi Salvator, in hunc annum et in omnem vitam!

MEDITATIO II.

VI. Jan. *De Epiphania Domini.*

Invenerunt *Magi* puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. *Matth. II.*

1. Obtulerunt Jesu myrrham, in honorem sacrae ejus humanitatis. Jesus, propter suum in nos amorem, corpus nostri simillimum assumpsit. Utquid non redamamus Dominum, ipsique corpora nostra non consecramus? Tuum est, amantissime Jesu, corpus meum; ex te pendet ejus sanitas et morbus; ex te vita et mors. Me felicem, si possem tecum pati! nam tecum regnarem. *Totum me liberasti, ut totum me possideres* (s. Augustin.).

2. Humanitati Jesu accedit regalis dignitas; ideoque aurum illi offertur. Quae habemus bona, ea nobis a Deo data sunt; iis itaque utamur ad ejus gloriam, ad altarium ornatum et pauperum solatium. In pauperibus Deum videamus. Reges vident in praesepio infantem, pauperem illum quidem et ab omnibus derelictum, eum tamen ut Regem et Deum venerantur. Si

pauper es, offer Jesu tuam paupertatem. Donum hoc praestabit omnibus mundi thesauris.

3. Oblato demum thure clarius demonstrarunt agnoscere se divinitatem Jesu. Thus tuum sit oratio tua. Ad Jesu pedes provolutus, offer suavissimo illi puero animae tuae facultates; adora, time. Sed hoc praesertim memineris, alia via reges rediisse. Pariter et tu aliam ineas vivendi rationem; et ubi viam Christi ingressus fueris, ab ea ne declines. *Viae enim immutatio, vitae intelligitur mutatio* (Euseb. Emes.).

MEDITATIO III.

II. Febr. *De Purificatione B. Mariae Virginis.*

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae, secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. *Luc. II.*

1. Ut divinae gloriae serviret Maria et obediret legi, coram hominibus honoris sui ultro jacturam fecit. In hac purificatione non virgo, non deipara, sed una de immundis mulieribus existimatur. Hinc intellige, veram gloriam esse in divino obsequio positam. Tametsi pessimus omnium haberi necesse foret, modo Deus laudetur, non est detrectandum. Jesus, qui in circumcisione formam peccatoris induit, itemque Maria in purificatione, non obscura illius veritatis praebent argumenta. Vera gloria a judicio divino plane pendet.

2. Maria devovet aeterno Patri suavissimum ac dilectissimum Filium. Optimum parentibus documentum: oportet ut ipsi filios suos Domino consecrent, non autem, ut saepe fit, in eorum animis restinguant vovendi se voluntatem. Hodie, piissime Jesu, offero tibi quidquid mihi carissimum est, cor, voluntatem, affectus, omnia. *Ne projicias me a facie tua.*

3. Maria suae in Patrem liberalitatis fructum refert amplissimum; jam enim recuperat Filium et honorem suum. Nam Simeon eam colit ut Dei matrem, miratur ut virginem, et in porrectis ejus brachiis Jesum repo-

nit. Si honorem, si cor tuum Deo dederis, etiamnum in hac vita largiorem mercedem accipies. Quam suave est, tam liberali Domino servire, qui danti terrena coelestia rependit! *Cur non coelo mutamus terram? Quare non caducis emimus aeterna? Quare non perituris manentia comparamus* (s. Petr. Chrysolog.)?

MEDITATIO IV.

XIX. Mart. *De s. Joseph, Sponso B. Mariae Virg.*

1. Sanctus Joseph Mariae sponsus fuit, haud dubie propter singularem puritatem. Quam gloriosum tibi, vir sanctissime, sponsam habere in coelis et in terris omnipotentem, ac tuae voluntati apprime consentientem! Esto castus, humilis et modestus, ut sanctus Joseph, et adamabit te Maria. Ad sanctitatis apicem brevi perveniet qui, sanctum hunc imitatus, Deum praesentem ac singula videntem cogitaverit.

2. Sanctus Joseph fuit Jesu nutritius parens, et ipse Jesus *erat subditus illi*. Vide humilitatem Salvatoris, qui, cum in Augusti aut Herodis regia nasci potuisset, pauperem et incognitum sibi voluit patrem, qui quotidiano sudore victum et vestitum ipsi procuraret. Exemplo sancti Joseph numquam separeris a Christo; eum testem habeas omnium actionum tuarum, et cum eo saepius colloquaris. Quomodo potueris, ita esto misericors; quae enim feceris pauperi, Christo fecisti.

3. Sanctus Joseph inter beatos Jesu et Mariae amplexus expiravit. Quam felix obitus! Piam ac sanctam mortem cupis? Huc cogitationes, huc actiones tuae referantur. Cole et invoca sanctum Joseph; affirmat quippe s. Theresia, se nihil non impetrasse illius meritis. Semper in ore habeas, sed praesertim instante morte, pulcherrima et suavissima nomina Jesu, Mariae, Joseph.

MEDITATIO V.

XXV. Mart. *De Annuntiatione B. Mariae Virginis.*

Ingressus angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. *Luc. I.*

1. Hodie Maria fit mater Dei: humilitas et puritas ejus tantum honorem ipsi pepererunt! Proh, quanto mihi gaudio est, beata Maria, excelsissima haec dignitas tua! Verum si es mater Christi, mater es utique christianorum. O me felicem! ut Dei genitrix omnia potes, ut mater mea omnia cupis pro salute mea. Possum etiam, si volo, per fidem, gratiam, caritatem, Christum in corde meo concipere. Nam *etsi, secundum carnem, una mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus* (s. Ambrosius).

2. Hodie Jesus fit frater noster. Ejus in nos amor eum nobis similem facit, ut ipsi similes efficiamur. In terras descendit, ut ad coelos ascendamus. Adoro te, *Verbum caro factum* in castissimo Virginis utero. Utinam dono aliquo pretiosissimum donum tuum rependere possem! Tuum est, frater amantissime, quidquid sum et possum. *Fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas.*

3. Maria est mater nostra, Jesus frater. An digni sumus filii Mariae? an digni fratres Jesu? Purissima, humillima et obedientissima fuit Maria; an iisdem virtutibus praediti sumus? Jesus studuit semper gloriae sui Patris et animarum saluti; an idem nobis est cum fratre nostro studium? Num potius Jesus ingemiscens jure diceret Mariae: *Filii matris meae pugnaverunt contra me?* (Cant. II.)

MEDITATIO VI.

De Passione Jesu Christi.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. *Thren. I.*

1. Contemplare Jesum cruci affixum. Vide quid in singulis corporis partibus patiatur. Sacrum illius caput

spinea corona redimitum est; facies livore decolorata; manus ac pedes perforati; totum denique corpus plagis lacerum, acerbissimis doloribus cruciatum. En Jesum meum; par est, me illi similem esse. In hac similitudine posita est felicitas et perfectio mea. Heu! nullius egeo, dum Jesus saturatur opprobriis. *Non decet sub spinoso capite membra latere delicata* (s. Bernard.).

2. Quemadmodum corpus, sic animus Christi acerbissimis doloribus cruciabatur. Praevidebat enim passionem suam multis hominibus inutilem fore; miserebatur Judaeorum caecitatem; et supra modum tangebatur tristitia, suspiriis et lacrymis matris suae, quae cum dilecto discipulo juxta crucem stabat. O luctuosum spectaculum! An siccis oculis Jesum et Mariam intueri possum? *Quem vos doletis, noster est error, furorque criminum. Totum scelus fatentibus partem doloris reddite.*

3. Jesus tam crudelem, tam ignominiosam mortem oppetere voluit, ut ab inferno me liberaret. Perieram funditus, nisi mortuus fuisset. Tanto favore indignus eram. Ego tamen, tot beneficiorum immemor, adeo non paratus sum ad fundendum sanguinem meum pro Christo, ut etiam suspirium et lacrymulam ipsi petenti denegem, et nova veteribus addens peccata eum semper offendam. *O hebetudo et duritia cordis humani! Aufer a me, Domine, cor lapideum, et da mihi cor carneum* (s. Augustin.).

Monitum. Quandoquidem *nihil tam salutiferum nobis est,* ut ait s. Augustinus, *quam quotidie cogitare, quanta pro nobis Christus pertulit,* ideo hic indico modum, quo id valeas fructuose et absque taedio praestare, nempe considerando 1° quis patitur; 2° quantum patitur, sive interius, sive exterius; 3° a quibus patitur; 4° pro quibus patitur; 5° quo affectu patitur; 6° tandem virtutes in ejus passione relucentes.

Poteris etiam animo percurrere septem itinera aut stationes, quas ille pius Salvator in sua passione obivit: 1° a coenaculo ad hortum, ubi tristatus est, oravit et

sudavit sanguinem; 2° ab horto, ubi comprehensus est, ad Annam; 3° ab Anna ad Caipham; 4° inde ad praetorium Pilati; 5° ad Herodis regiam: 6° regressio ad Pilatum; 7° ad Calvariae locum. Circa singulas stationes possunt varia considerari: persona patientis, ejusque internus sensus et gressus etc.; deinde socii et loca ad quae circumducitur.

Ex unoquoque autem puncto disce: 1° quanta sit peccati gravitas et malitia, quandoquidem ad illud expiandum tanta passus sit Dominus; 2° quam graves sint inferni poenae, quandoquidem ut ab illis eriperemur, voluit Christus infernum quemdam subire dolorum et poenarum; 3° quantum sit beneficium gratiae et gloriae, cum tanto opus fuerit merito ad illud acquirendum; 4° dignitatem hominis et animae valorem, cum tam *magno* fuerit *empta pretio;* 5° quam bonus, pius et misericors sit Dominus, cum proprio Filio suo non pepercerit.

MEDITATIO VII.

De Resurrectione D. N. Jesu Christi.

1. ***Resurrexit Christus tertia die, secundum Scripturas*** (I. Cor. XV). Succedunt laeta tristibus; Deus ita constituisse videtur, ut per aspera eatur ad amoena. Christus gloriae resurrectionis praemisit triginta tres annos laboriosae vitae, et viginti circiter horas acerbissimae passionis. Sic ergo et tibi eundum est ad gloriam, quia ***servus non est major domino suo. Si commortuus fueris, et convives,*** inquit s. Paulus (II. Tim. II).

2. ***Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi*** (Ps. III). Anima rursum unitur corpori, ut quod socius fuit passionum, esset et gloriae. In momento recedunt livor et vulnera, accedunt decor et gratia. Quo animae ejus gaudio! quibus patrum e limbo eductorum affectibus gratulationis, caritatis! etc. Accede ad Christum pari modo; et ut gaudtum tuum sit plenum, ei

constanter adhaere, tamquam membrum capiti, et te ejus Spiritu duci semper sine.

3. *Quomodo Christus surrexit a mortuis, per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitae ambulemus* (Rom. VI). Percipis fructum resurrectionis Christi, *si ambulas in novitate vitae.* Sed non ambulas in novitate vitae, nisi *veterem* occidas *hominem.* Sicut non est ingressus ad vitam aeternam, nisi per mortem naturalem; ita nec ad novam perfectamque vitam ingredieris, *nisi spiritu facta carnis mortificaveris. Fiat mihi, Domine, possibile per gratiam, quod mihi impossibile est per naturam* (Thom. a Kemp.).

MEDITATIO VIII.

De Ascensione Domini.

1. Animo et cogitatione finge te videre Christum tollentem se a terra, animabus sanctis stipatum quas e limbo eduxerat, procedentem *in majestate sua, penetrantem coelos.* O novum et mirabile spectaculum! Corde et affectu comitare caput tuum. Ejus plaude triumpho, et cum Psalte exclama: *Attollite portas, principes, vestras, et introibit Rex gloriae.* Aequum quippe est, ut *ascendat super omnes coelos,* qui *descendit in inferiores partes terrae;* et qui summe *se humiliavit,* summe *exaltetur.*

2. Contemplare, quomodo a Patre et ab angelis exceptus sit Christus, una cum justis quos secum ducebat. Quanto cum apparatu et gaudio! *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (Ps. CIX). *Et adorent eum omnes angeli Dei* (Heb. I). Et ad sanctos quidem: *Venite, benedicti et fideles servi, accipite regnum decoris et diadema speciei de manu* Domini Dei vestri, et *intrate in gaudium* ejus, quod *nemo tollet a vobis.* O invitatio super mel et favum dulcior! Vis similem aliquando audire? *Serva semitas justitiae* et *vias sanctorum custodi* (Prov. II).

3. Considera qualis sit coelestis habitatio. Expende magnitudinem gloriae in quam introivit Christus, et cujus te vult quondam fieri participem. Respondet ejus laboribus, passionibus et meritis, necnon divinae magnificentiae et liberalitati. Nihil *oculus vidit, nec auris audivit,* aut *in cor hominis ascendit,* quod aequiparari ei possit. Omnes *hujus temporis passiones,* quae tantae et tanto numero sunt, *non sunt condignae ad illam;* et *cum apparuerit,* perfecte *satiabimur,* et *nihil nobis deerit.* Utquid ergo ad eam jugiter non suspiras? Quare *diligis vanitatem et quaeris mendacium?* Magnopere dole de tua caecitate, et quae *sursum sunt,* tandem *sapias et quaeras, non quae super terram.*

MEDITATIO IX.

De missione et adventu Spiritus Sancti.

1. Contemplare Christum in coelo, memorem nostri et factae promissionis de mittendo alio Paracleto; Spiritum Sanctum descendentem super homines; illum qui Patris et Filii aeternus est Amor, et omnium fons bonorum, donatum nobis miseris, et per illum factos nos filios adoptivos Dei! Excipe illum venientem, lauda summam ejus caritatem, redama, adora et serva.

2. Considera, quomodo se praeparaverint B. Virgo et Apostoli ad Spiritum Sanctum recipiendum. Ad Christi mandatum: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto,* secesserunt in coenaculum, ubi, a conversatione et forensi tumultu abstracti, *erant perseverantes unanimiter in oratione.* Haec tibi ad imitandum propone, ut idem possis bonum consequi; et de te dicatur quod de illis dictum est: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.*

3. Expende, quid operatus sit Spiritus Sanctus in iis ad quos descendit: amorem, fervorem, sapientiam, fortitudinem, scientiam, pietatem etc. Hinc videre potes, quis sit in te spiritus. An sanctus? an vero

mundanus aut diabolicus? A fructibus cognosces. Scriptura ait: ***Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.*** Et: ***Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum.*** Et iterum: ***Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere.*** Disce hinc quae obstent, cur non detur tibi Spiritus Domini, et ne tardes removere.

MEDITATIO X.

De mysterio sanctissimae Trinitatis.

1. ***Dominus Deus noster Dominus unus est.*** Deus est una quaedam simplicissima unitas, in omni genere perfectionis infinita: primum rerum omnium principium et finis ultimus; unicum summum bonum; ideo unicus Deus, extra quem non est alius. Non capio te, Domine Deus, sed credo te, adoro, laudo, glorifico, timeo, amo et tibi soli servio; tu centrum omnium meorum affectuum. Ah! ***sero te cognovi, sero te amavi, pulchritudo*** aeterna, qui multiplicavi mihi deos, quoties me vel creaturam aliquam plus quam te colui et amavi, aut impensius illi servivi. Ex hoc tu unus eris mihi in Deum, cui ***omnia ossa mea dicent*** gloriam.

2. ***In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*** Ita Deus est in essentia unus, ut tamen sit trinus in personis. Pater sui intellectione generat Verbum. Pater et Verbum mutua dilectione producunt Spiritum Sanctum. Neque hic capio cum perfecta unitate perfectissimam distinctionem; sed credo, adoro, laudo. Applicabo animum ad vivam Dei cognitionem, ut, quoad potest in hac umbra, aliqua ejus imago in mente mea generetur, cujus pulchritudine excitatus incomprehensibilem Majestatem summe aestimem, ex aestimatione super omnia amem, atque Spiritus Sancti igne succensus toto cordis nisu ad universae bonitatis fontem contendam.

3. ***Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus.***

In hac personarum Trinitate summa est perfectionum aequalitas, eadem bonitas, gloria, immensitas, aeternitas, omnipotentia, justitia etc., quas omnes perfectiones una sanctitas comprehendit, et ideo praecipue memoratur. Cum omnis creatura sit quaedam imitatio Dei, ut omnes Dei perfectiones nos imitemur, sanctitas sola imitanda proponitur: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum;* non potentia, altitudo, scientia, quam ambierunt angeli et primus homo, et male perierunt. Hoc ergo age, ut Dei sanctitatem imiteris. Sed quantum abes!

MEDITATIO XI.

De amore Christi erga nos in sanctissimo Sacramento.

1. *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus* (Matth. XXVI). Idem Eucharistia est corpus quod incarnatione assumptum est, idem sanguis qui in cruce effusus. Quanti amoris opus est incarnatio et mors Christi, tanti est sui ipsius exhibitio in Eucharistia. Tantum ergo debes Christo, per hanc ad te venienti, quantum totus mundus incarnato et mortuo. O Domine, quis tu es, et quis sum ego! Et tamen quam parum tibi obsequii reddo! quam multum mihi ipsi et vanitati!

2. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (Joan. VI). Sub speciebus panis et vini se abdidit Christus, ut nobis incorporaretur, et nostrum factus alimentum, in suam nos transferret substantiam. Vides amorem erga te, quod Jesus vult tecum unum fieri. Quam ergo debet purum esse et immaculatum cor tuum! quam ab omni creata re avulsum et uni Deo adhaerens! Qui enim amat alia praeter Deum, quae non amat propter Deum, non amat, ut debet, Deum.

3. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (ibid.). Ut vitam viveremus divinam, divinum exhibuit alimentum. Noluit in Sacramento hoc

permanere aliam substantiam, ut ipse substantia sui corporis et sanguinis nos satiaret. Nonne est hoc amoris vere divini argumentum? Nonne deberet hic cibus omnem meum appetitum explere? Toties hoc pascor, et tamen ad cepas Aegypti, ad oblectamenta sensuum, ad creata suspiro. O pudor! — *Anima Christi, sanctifica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inebria me.*

MEDITATIO XII.

XXIV. Jun. *De s. Joanne Baptista.*

Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. *Matth. XI.*

1. Ecce poenitens, nullius peccati conscius, cujus cum matrem Maria invisit, in ipso materno utero ab originali labe fuit liberatus. Quodnam admiserat crimen, cum paucos annos natus jam tum in deserto poenitentiam ageret? Exemplo docet, vel innocentissimis necessariam esse poenitentiam. Tu quid ita fugis poenitentiam, cum puellus alacer eam amplectatur? Macte; brevi senties, eum qui Dei causa voluptates valere jusserit, deliciis inexplicabilibus redundare. *Quam suave subito factum est mihi carere suavitatibus nugarum! et quae dimittere metus erat, amisisse gaudium fuit* (s. Augustin.).

2. Hoc durius vivendi genus, mature susceptum, ad mortem usque tenuit. Unus debet esse poenitentiae et vitae terminus. Tecum semper corpus; contra te vero et daemon et mundus. Inducias si concesseris, periisti. Cogita infernum unde recedis, paradisum quo accedis; et numquam taedebit te poenitentiae.

3. Vana est poenitentia sine humilitate. Joannes prophetae ac Messiae nomen, aliosque honores rejecit; coram Christo abjicit sese. Deprimas te pariter coram Deo et coram hominibus. Quod facis, quod pateris, nihil est prae laboribus sanctorum. *Quid prodest ex-*

tenuari corpus abstinentia, si animus superbia intumescat (s. Hieron.)?

MEDITATIO XIII.

XXIX. Jun. *De Ss. Apostolis Petro et Paulo.*

1. Viderat Petrus pleraque Jesu Christi miracula, Jesum tamen ter negavit, ac ipso quidem passionis tempore. Proh, quanta est humana fragilitas! Cum timore et tremore operemur salutem nostram; ne desperemus tamen; nos quippe si respexerit Jesus, salvi sumus. Peccata lugeamus exemplo s. Petri, cujus ex oculis lacrymarum rivi jugiter erumpebant, cum recordaretur perfidiae suae. *Sacrifica lacrymas tamquam vulnerati sanguinem cordis* (s. Augustin.).

2. Paulus ex persecutore fit apostolus. Quid sumus? quid fuimus? Ut vera sit conversio nostra, imitari debemus s. Pauli in via virtutis constantiam, adeo ut citius vita quam gratia careamus. *Quis nos separabit a caritate Christi? Certus sum, quia neque mors, neque vita . . . neque creatura aliqua poterit nos separare a caritate Dei* (Rom. VIII). Studeamus pariter ejus habere patientiam, animarum studium, humilitatem et in Christum amorem. Audi quid dicat s. Paulus: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I. Cor. XI).

3. Vide, quibus honoribus hi Apostoli in terris nunc afficiantur. Reges, imperatores, summi pontifices, supplices se abjiciunt ad cineres piscatoris et artificis! norunt quippe maximam eorum in coelis potentiam et dignitatem. Honorum cupidi, quid prae his honoribus sunt honores saeculi? Si tantus honos sanctitati in terra adhibeatur, quid in coelo? Sanctorum virtutes imitemur, et quam consecuti sunt gloriam, nos pariter consequemur.

MEDITATIO XIV.

II. Jul. *De Visitatione B. Mariae Virginis.*

1. Considera, Virginem, quietis et contemplationis amantissimam, nec aetatis teneritudine, nec itineris longitudine, nec asperitate montium, nec ulla re alia retardari, quominus ad caritatis et humilitatis officia Elisabeth praestanda domo sua abeat. Jam gratia plena erat, jam Dei mater effecta, jam super mulieres benedicta. Quo itaque se altiorem videt, eo se demittere magis ardet. Pudeat te, tam superbum esse, qui numquam te demittis; tam frigidum in operibus misericordiae, proximoque juvando.

2. Cogita, quo caritatis affectu, postposito suo commodo et solatio, ad montes conscendat; qua festinatione properet, nusquam haerens, nusquam vagabunda. Ingreditur tandem domum Zachariae; prior salutat, obsequium defert, illi de concepto Joanne in senectute et sterilitate gratulatur. Sed et quam admirabilis et fructuosa ea et visitatio et salutatio fuerit, expende. Elisabeth repletur Spiritu Sancto; exclamat prae admiratione; agnoscit in virgineo utero conceptum Deum, ipsamque Dei matrem effectam. Joannes, accelerato in se divinitus rationis judicio, in materno utero exilit, Christum matremque ejus salutat, sanctificatur, Deo repletur. Varios hinc concipe affectus, et pete visitari a B. Virgine, et ejus visitationis fructibus gratiisque gaudere.

3. Considera, Mariam et tam admirandis rebus in sua praesentia effectis, et tantis laudibus ac encomiis a sua cognata illi pronuntiatis, nihil insolescere, nihil sibi tribuere, seipsam magis abjicere, in Deum referre omnia, apertoque coelesti cordis sui thesauro, ardentibus in pectore amoris flammis, sublatis oculis et manibus in coelum, profundissima humilitate et devotione ferventissima erumpere in actionis gratiarum voces et admirabile illud canticum depromere: ***Magnificat anima mea Dominum.*** Disce hinc omnia in

Deum bona, si qua in te agnoscis, referre. Pete a Deo, per matris suae merita et suffragia, profundam humilitatem, qua libenter aliis servias; fervidam caritatem, qua salutem aliorum promoveas; et exultationem spiritus tui, qua alacriter omnia officia tua obeas, Deumque rebus in omnibus magnifices et exaltes.

MEDITATIO XV.

XV. Aug. *De Assumptione B. Mariae Virginis.*

1. Considera, quam *pretiosa* fuerit *in conspectu Domini* Mariae *mors:* quoties illam ipsa exoptaverit, quasi januam ad sublimiorem vitam: quomodo illi mors somnus fuerit jucundissimus: quomodo non tam aegritudine ulla corporis, quam amoris sui vehementia, adstantibus Apostolis, nec sine dilecti Filii sui praesentia, anima sanctissima, castissimo corpore soluta, in ejusdem Filii manus emerserit. Expende, quam jucunda, quam optabilis sit ejus mors qui sancte vixit; contra vero, quam dura ejus qui male vixit. Vide, qualis tua futura sit! Et si optas similem Mariae, vitam ejus imitare.

2. Considera, quanta angelorum omnium exultatione, quanto plausu et jubilatione, praestantissima Virginis anima in coelum, ad sanctissimae Trinitatis thronum usque adierit: quam certatim sancti omnes gratulati illi sint, gratiasque egerint quod Filium Dei, Salvatorem suum, in utero conceperit, mundo dederit, omniaque ei obsequia detulerit. Eam et tu cum angelis in coelum prosequere, et pares cum sanctis omnibus gratias age.

3. Considera, purissimum Mariae corpus *non vidisse corruptionem,* nec in pulverem resolutum fuisse; sed paucis ab obitu diebus animam sanctissimam divino imperio ad illud rediisse, illi sese denuo conjunxisse, illudque in coelum transtulisse. Considera ergo, quo coelestis curiae triumpho, quibus canticis assumpta sit beatissima Virgo in coelum, deducente Filio cui innixa erat,

innumeris angelorum agminibus Deo suo conclamantibus: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae;* aliis ascendentis triumphatricis pulchritudinem demirantibus: *Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens?* Tandem excipitur a sanctissima Trinitate affectu et gaudio incredibili; ab eadem coronatur, totius coelestis curiae domina reginaque declaratur, et in altissimo sibi parato solio prope Filium collocatur, coram ea sanctis omnibus coronas suas deponentibus, eamque in principem ac dominatricem suam accipientibus. Vide quod praemium virtuti redditur. Ita vivas, ut ejus particeps fias. Admirare Mariae excellentiam. Eam totis cole praecordiis, et in dominam ac singularem patronam tuam elige. *Dominare,* o Maria, *nostri,* tu et *Filius tuus!* (Judic. VIII.)

MEDITATIO XVI.

VIII. Sept. *De Nativitate B. Mariae Virginis.*

1. Considera, nascentem Virginem habere progenitores reges, duces, principes; quibus tamen sanctitate morum, quae vera est nobilitas, magis eluxit. Unde quo nobilior secundum carnem, eo demissior fuit spiritu; quae vera altitudo est, quam altissimus Deus solam respexit et amavit in ea. Pudeat te, tanti dignitatem sanguinis facere, parvi virtutem.

2. Considera, dulcissimum ipsius nomen esse *Maria,* quod *stellam maris* significat, *dominamque et illuminatricem.* In tempestatibus stella, contra adversarias potestates domina, in divinis rebus magistra est. Ut stella viam coeli nobis aperit; ut domina nos regit ac defendit; ut illuminatrix vel magistra nos docet et instruit. Hinc statuas diligere et colere illam, atque cavere ab omni peccato, ut illi placeas. Tum mysticum et saluberrimum nomen ama, et animo inscribe tuo. *Non recedat ab ore, non recedat a corde* (s. Bernard.).

3. Considera, quanta sit nascentis virginis perfectio,

quanta excellentia. Hanc cum filiabus Jerusalem admirare; clamant enim prae admiratione: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (Cant. VI.) Aurora est, quia inter noctem et diem media, hoc est, inter Deum et homines mediatrix. Candore suo ut luna, et sui similitudine ad solem omnes antevertit. Inter omnes in solis justitiae matrem electa. Daemonibus, quorum conterit capita, omnino est terribilis. Hinc statuas ut in puncto praecedenti; et age sanctissimae Trinitati gratias de hac Virginis nativitate, utque nasci spiritualiter ac crescere quotidie in virtute valeas, per ejusdem patrocinium roga.

MEDITATIO XVII.

Dca I. Oct. *In festo Ss. Rosarii B. Mariae V.*

De cultu beatissimae Virginis.

1. Maria, *mater christianorum,* mater tua est. Idcirco plurimum ei confide. Pete ab ea omnia, tum corpori, tum animae tuae necessaria. Eos amat qui cum ipsa familiariter de suis miseriis ac necessitatibus colloquuntur. Enimvero, sicut pia mater libenter et cum gaudio accipit filium ad se confugientem, ita te accipiet Maria. Nam in amandis filiis suis nulli cedit matri. Ad haec, potentior est quam quaelibet alia mater. Et sane cognosceres, quantum amat et quantum potest, si quotidie diligentius expleres debita ipsi officia. Quaenam sunt preces tuae, quaenam facta, ex quibus argui potest tuus in Mariam amor?

2. In afflictionibus invoca Mariam, in dubiis consule Mariam, in moerore aperi Mariae causam tui moeroris; et cito citius evanescent afflictiones, dubia etc. Nullos habes aut propinquos, aut amicos, qui te plus ament quam Maria, quique consilium dare tibi velint aut possint rebus tuis magis salutare. O amantissima

omnium christianorum parens! Si tua in nos caritate uteremur, breviores essent afflictiones nostrae.

3. Dum sic tentaris, ut adsit peccandi periculum, voca Mariam; cum peccaveris, obsecra Mariam, ut ejus ope a peccato tuo emergere possis. Maria est *refugium peccatorum*; si eam invocaveris, nullam non vinces tentationem. *Per te, Maria Virgo, haereditamus misericordiam miseri, ingrati gratiam, veniam peccatores* (s. Augustinus).

MEDITATIO XVIII.

II. Oct. *De Ss. Angelis Custodibus.*

1. Considera, qui et quales sint custodes angeli. 1° Quoad *naturam* sunt creaturae nobilissimae, spiritus ab omni materiae contagione separati, immortales, *pleni sapientia et decore*. Congratulare illis de sua dignitate et excellentia, et cum ipsis confitere Domino. 2° Quoad *locum*, ab ipso mundi exordio *in deliciis paradisi, stantes ante thronum Dei*, testes mirabilium ejus, quorum perpetua occupantur contemplatione ac laudatione, clamantes ad invicem: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Haeccine occupatio tua in templo sancto? 3° Quoad *munus, sunt administratorii spiritus*, ut voluntatem Dei hominibus denuntient. Quam fideliter autem, quam celeriter! De iis loquitur Job (XXXVIII): *Mittet fulgura*, et ibunt; *et revertentia* dicent: *Adsumus.* Haeccine celeritas tua ad obtemperandum Deo? Sed qualis fides! Attende, dole, et emenda. *Servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit, vapulabit multis* (Luc. XII).

2. Considera, quibus et quam ob rem Deus angelos custodes hominibus addixerit. 1° Suum unicuique locum assignavit: *Tu ergo ne audeas, illo praesente, quod praesente me non auderes. In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe* (s. Bernard.). Assignavit omnibus et singulis hominibus: *Vide ne vel unum ex pusillis contemnas.*

Assignavit non iis solum qui *haereditatem capient salutis*, sed ipsis etiam tartaro addicendis: *neminem enim vult perire, sed omnes salvos fieri.* O amor! o misericordia! *Perditio* igitur *tua ex te, Israel.* 2° Causae assignandi fuerunt: prima, imbecillitas humana. Quae quanta sit, ex frequentibus tuis erroribus et casibus agnosce. Gratias age Deo, *quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Altera causa fuere instantia undique pericula; *adversarius enim vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret.* Vis ut non accedat ad te malum? angeli custodis opem invoca. Hoc duce eris securus. *Angele sancte Dei, sit tibi cura mei.*

3. Considera, quam libenter, prompte ac sedulo in hominis obsequium sese impendant angeli. Exceptum ab utero matris statim *in manibus* portant, defendunt a periculis, curant *ne offendat ad lapidem pedem suum,* id est ne in peccata impingat, Si impegerit, amice monent, *increpant in omni patientia.* Docent quae necessaria sunt ad salutem, praesto sunt morienti etc. Ex tantis beneficiis quam multa accepisti! Ubi grati animi recordatio? Nonne fecisti saepius rebelli mentis pervicacia, cordis duritie, erroribusque, ut *angeli pacis amare fleverint?* Ingemisce, quia reus es. *Observa* deinceps custodem angelum; audi vocem ejus. Ora, ut calculo ignito tangat tibi labia, maxime cum ad sacram synaxim accedes; *et auferetur iniquitas tua.* Sed age, *quid retribues pro omnibus quae retribuit tibi?* Reverentiam pro praesentia, inquit s. Bernardus; devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Angele sancte mi, *si me ipsum tradam tibi in servum, non ero condignus providentiae tuae.*

MEDITATIO XIX.

I. Nov. *Pro Festis Sanctorum.*

Aliqua puncta generalia sunt, quae aptari omnibus facile poterunt.

Punctum 1. — Aeterna electio et illius exequendae ratio, de qua Apostolus (Rom. VIII): *Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Prima igitur est *electio* gratuita *ante mundi constitutionem*, ut essent *sancti* et *immaculati in conspectu Dei;* ut in eis ostenderet divitias gloriae suae. Nam cum id omnibus qui salvantur, conveniat, praecipue tamen illis quos Deus mirificare voluit etiam in terris. Secunda est *vocatio,* quae varia exstitit in diversis sanctis, et habuit semper quidpiam singulare ac proprium; quod in unoquoque erit observandum. Tertia est *justificatio,* ubi consideranda sunt specialia cujusque dona et insignia sanctitatis. Agendae porro erunt Deo grates pro donis in eos collatis, gratulandumque ipsismet, nobis autem ex imitatione fructus colligendus. Quarta est *glorificatio,* ubi recoli poterit pretiosa eorum mors, et transitus ad beatam aeternitatem: *Similem me fac, Domine, in gloria sanctorum.*

Punctum 2. — Quomodo responderint gratiis sibi datis, exequentes illud: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me.* Ubi tria continentur: *abnegatio sui,* gestatio *crucis dominicae, sequela Christi;* in quibus sancti excelluerunt. *Abnegatio* est mortificatio carnis et concupiscentiarum. In hac mirus fuit fervor sanctorum; nam si quando in peccato vixerunt, post conversionem se acri poenitentia vindicarunt; et si ab initio se custodierunt, nihilominus carni non pepercerunt, sed eam continuo crucifixerunt, nec solum circa illicita frenarunt, verum etiam circa concessa et licita, ut nempe coelum violenter raperent. *Bajulatio* autem *crucis* in laboribus pro Dei gloria fortiter subeundis, difficultatibus superandis atque adversis tolerandis praecipue spectatur. Denique *sequela* Christi in studio illum imitandi, et voluntatem illius accurate implendi consistit. Ex quibus colliges confusionem tui ipsius, et proficiendi desiderium.

Punctum 3. — Quibus favoribus Deus illos affecerit. Huc pertinent *visiones, revelationes, gratiae sanitatum, operationes virtutum,* aliaque dona extra ordinem communem. Deinde in ipsa morte peculiaris visitatio divina, aut angelorum, et praegustatio coelestis suavitatis. Post mortem autem honores publice decreti, et veneratio eis exhibita a potentatibus, qui eos olim despexissent: praeterea in die judicii honorifica sessio et exaltatio, praeter id quod intrinsecus latet. Quae omnia non leviter ac strictim, sed serio et mature consideranda, ut debitus ex iis percipiatur fructus.

MEDITATIO XX.

II. Nov. *In Commem. Fidelium Defunctorum.*

1. Considera, animas in piaculari carcere detentas, non secus ac quae sunt aeternis ignibus addictae, arctissimi carceris tenebrosa nigredine, ac rogis per justam Dei vindictam accensis maxime cruciari. His adde privationem visionis Dei, quam eo sentiunt gravius, quo et ejus excellentiam clarius intelligant, vehementiusque ament, et tamen ignorent quamdiu tanto bono sint cariturae. Hinc ardens illud, quamquam divinae voluntati consentiens desiderium: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Hinc illae obtestationes: *Miseremini mei . . . . quia manus Domini tetigit me.* Audi, et commiserere, simulque disce quam *horrendum sit incidere in manus Dei viventis,* qui in amicos vel ob levem culpam sic animadvertit! An times venialia? Nonne tamquam modica spernis? Id tibi doleat; aut *enim poenitendum in hoc saeculo, aut ardendum in futuro* (s. Augustin.).

2. Considera triplicem causam, ob quam debes illarum libertati consulere. 1° Sunt justae, Deo acceptae et ab ipso tandem in coelum assumendae: per te stat, ut tanto bono statim fruantur. Deum minus diligis, si quem ab ipsarum liberiore consortio honorem exspe-

ctat, differas procurare. 2° Sunt nobis in Christo affinitate quadam conjunctae; sunt inter eas ex parentibus, ex amicis tuis plurimae. Quam acerbus es, nisi properes illis opitulari quae tot poenas, nonnisi propter te forsan, subeunt! Siccine tecum agi velles? Agetur, si pergas esse durior: *Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* (s. Jac. II). 3° Postulat caritas, ut qui tenentur omnes ad aeternam felicitatem promovere, ipsis etiam vita functis ad cursum perficiendum subveniant; eoque justior erit causa imperfectam caritatem exprobandi, quo magis pro illarum salute obligaris. Vide, ne de te conquerantur se in medio itinere esse derelictas.

3. Considera, quomodo possis eas adjuvare. 1° Facile: precibus scilicet, eleemosynis et Missae sacrificio. Nullum diem abire sinas, quin earum causa aliquid Deo offeras. Statue nunc aliquid quod in posterum solvas. 2° Efficaciter: nam preces illae tuae, et alia id genus, utpote ex purissimo caritatis motu suscepta, regnum coelorum animabus illis aperient. Deum ora, ut opera tua bona dignetur habere accepta; siquidem mereri sibi nihil atrocissimis suis tormentis possunt. 3° Utiliter Deo, tibique: Deo, cui aeternas laudes; tibi, cui securum patrocinium procurabis. Vix enim in libertatem erunt assertae, cum tanti beneficii memores, omne beneficiorum genus tibi obtinebunt. Talis ne praesidii vim negliges? O te salutis tuae incuriosum!

MEDITATIO XXI.

XXI. Nov. *De Praesentatione B. Mariae Virginis.*

1. Considera, quanta sollicitudine Maria infans a parentibus Jerolosymas deducatur; qua reverentia ab eis in templo praesentetur; quanta promptitudine et pietate ipsa tenerrima Virgo sese Deo dedicet et offerat; quanta voluptate sacerdotes Domini nobile istud monile in templum accipiant, et ad illi praeparatum conclave deducant! Ardent omnium animi, parentum,

Mariae, sacerdotum. Disce hinc serviendum Deo a prima aetate, et ne tardes umquam ejus voluntatem exequi.

2. Considera Ss. Trinitatis in tam illustris doni susceptione eximiam benignitatem. Pater recipit eam in filiam, Filius in sponsam, Spiritus sanctus in mysticam sedem suam. Angeli eam accipiunt in amicam singularem, quacum familiariter agant et colloquantur. Serva te in gratia Dei, ut similibus frui possis bonis.

3. Considera, sanctam puellulam parentes suos in teneriori aetate relinquere, ad ignotos ire, templum pro domo eligere, primos aetatis flores Deo consecrare, vitam angelicam degere; partim lectione, partim oratione, partim externa actione, dies sanctissime transigere; praeclarae virtutis exempla omnibus praebere, inprimis simplicitatis, humilitatis, obedientiae, temperantiae, abstinentiae, silentii, modestiae, alacritatis ad omnia etc., ita ut caeteris coaetaneis suis admirationi sit, grata omnibus, nulli gravis. Expende, quam longe absis ab his omnibus, et in provecta forsan aetate! Poenitere, et Mariam tibi ad imitandum continuo propone.

MEDITATIO XXII.

VIII. Dec. *De immaculata ejusdem Conceptione.*

1. *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram* (Prov. VIII). Peccatum originale abyssus est, qua omnes sorbebamur. Maria feliciter eximitur; quia, ut ait s. Anselmus, decens erat ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo ita niteret. Adverte, quantum Deus ad id attendat quod se decet. O si et tu attenderes quid te, quid statum et vocationem tuam deceat!

2. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. IV). Non tantum peccatum non fuit in B. Virgine, sed neque fomes, neque concupiscentia, neque prava inclinatio; sed cum summa tranquillitate caro et sensus suberant rationi et spiritui. Sed *sentis*

aliam legem in membris tuis? Pacem habebis, si concupiscentias et inclinationes mortificas; si ratio et spiritus regnant, non caro et sensus. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (Rom. VIII).

3. *In me gratia omnis viae et veritatis* (Eccli. XLIV). In primo instanti contulit Deus B. Virgini gratiam habitualem supra omnes homines et angelos; intellectus plenum usum, et cognitionem Dei, voluntatem ipsum amantem supra omnes Seraphim; gratias efficaces, cum quibus statim secundum omnem intentionem operata est. Hinc vides, quantas congregare debuit spirituales divitias! Sed quando tu intellectum atque voluntatem Deo applicuisti, et quomodo? An cooperatus es gratiis? an cooperaberis? ut dicas cum Apostolo: *Gratia ejus in me vacua non fuit* (I. Cor. XV).

MEDITATIO XXIII.

XXV. Dec. *De Nativitate D. N. Jesu Christi.*

1. *Factum est autem cum essent ibi, impletum est tempus ut pareret* (Luc. II). Ubi? Considera vilitatem loci, tempestatem perfrigidam, tempus noctis, circum undique miseriam et paupertatem. Vis ut in te nascatur Christus? Esto tibi vilis, frigescant tuae passiones, ama latere, esto pauper et humilis. Amat et in te Filius Dei ea quae pro se elegit.

2. *Et peperit Filium suum primogenitum* (ibid.). Considera, quibus actibus reverentiae, humilitatis, adorationis, amoris B. Virgo Filium suum exceperit, et statim pro mundi salute Deo Patri obtulerit. Audi vagitum, vide lacrymas, quaere cur fleat. Audi respondentem, quod non habeat imitatorem, et statue tu eum sequi, ac plures inducere ad eum imitandum.

3. *Et pannis cum involvit.* Ecce paupertatem Matris et Filii. *Et reclinavit eum in praesepio.* Ecce quomodo a teneris Dei Filius amat quaeque duriora! Et tu sicne amas? *Quia non erat eis locus in diver-*

sorio. Qui creavit te in habitaculum sibi, non invenit locum apud te; et invenit forte qui te it perditum!

MEDITATIO XXIV.

Pro fine anni. *De bono usu temporis.*

Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus. *Ephes. V.*

1. Nihil plane restat *temporis praeteriti*. Quo abiere florentes anni? Quid horum superest, praeter memoriam illicitarum voluptatum quibus cor contaminasti? Heu! quasi torrens fluxit vita mea, es quasi somnium praeteriit. Poteram thesauros coelestes mihi comparare, nec comparavi! Ubi nunc amatores saeculi, quos vidisti divitiis et voluptatibus circumfluentes? *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (Job. XXI).

2. *Praesens tempus* est in manibus nostris. Eo itaque sanctius utamur, quam *praeterito*. Momentum quidem est tempus praesens; sed momentum grande a quo pendet aeternitas, aut summe beata, aut summe misera. Hoc momentum requirit Deus: an ipsi denegaturus es? Etiamsi forent diuturnissima toleranda ad Dei fruitionem, an jure conqueri posses? *Existimo enim*, inquit Apostolus, *quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (Rom. VIII).

3. *Futurum tempus* incertum est. Nescis plane numerum arenularum horologii vitae tuae. Non potes vel unicum momentum tibi polliceri. Infelix! quorsum tot vana consilia? Unum accipe consilium, ne perpetuo abutaris concesso tibi tempore: *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te praetereat* (Eccli. XIV). Hunc diem quasi supremum, hanc horam quasi ultimam transigas. Id si sedulo quotidie feceris, nec otio, nec peccatis indulgebis. *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

PARS OCTAVA.

CONTINENS RECTE VIVENDI NORMAM, METHODUM ORATIONIS MENTALIS EXERCITIUMQUE DIURNUM.

RECTE SANCTEQUE VIVENDI REGULA.

Si vis aliquid proficere, noli esse nimis liber, sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos[1]. — *Disciplina, dux itineris salutaris, magistra virtutis, facit in Christo manere, semper ac jugiter Deo vivere, et ad promissa coelestia, et ad divina praemia pervenire*[2]. *Ubi ea non viget,* ait s. Ephraem, *ibi magnum animarum naufragium. Ne igitur,* concludit ille, *hodie asperam ducas vitam, et cras mollem ac delicatam; sed canonem unum retine, sicut etiam sancti fecerunt patres, qui ad quinquaginta et ultra annos suum non mutarunt canonem ac regulam.*

Quae hic ponitur, certas praxes continet pro qualibet die et hebdomada, pro quolibet mense et anno, necnon pro fine vitae. *Rogo te, frater,* cum s. Bernardo, *sta in Domino sollicitus semper circa custodiam* hujus *ordinis, ut ordo* ille *te custodiat.*

PRO QUALIBET DIE.

Omnia honeste et secundum ordinem fiant *(I. Cor. XIV. 40).*
Omnia in gloriam Dei facite *(ibid. X. 31).*

1. Horam tum cubandi, tum surgendi habeas determinatam; hinc non minimus pendet totius diei profectus. Pro diversitate temporis, possunt diversae as-

---

[1]) De Imit. Chr. lib. I, cap. 21. — [2]) S. Cypr. de Hab. Virg.

signari horae. Tempore aestivo aptior surgendi hora est quarta vel quinta; hiberno vero, quinta vel sexta. Quovis tempore hora cubandi convenientior nona vel decima. Sex aut septem, ad summum octo horae sufficiunt ad quietem; quod excedit, plus officit quam proficit sanitati. Adde, cum s. Vincentio a Paulo, ex tali excessu *animum fieri enervem,* et non parum periclitari officia.

2. Statim atque experrectus fueris, mentem sursum eleva; Deum adora; *praebe* illi *cor tuum;* sanctissima Jesu, Mariae et Joseph profer nomina, et signo crucis muni te; deinde sedulus e lecto surgas, tamquam bonus et fidelis famulus, quem ad obsequium suus vocat dominus. Sic Domino primitias consecrabis diei, quae felicius ibit illo coepta auspice.

3. *Dum amictum indues, aliqua re spirituali mens occupetur. Puta,* inquit s. Carolus, *te gratia Dei in baptismo fuisse indutum; te veluti peregrinum in hac vita, et ut in patriam euntem debere gerere;* aut piam quamdam precationem recites, v. g. Psalmum *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*[1]; aut *Miserere mei, Deus*[2]; vel *Te Deum laudamus.*

4. Decenter vestibus indutus, orationi vocali et mentali, per semi-horam ad minus, vacabis, persuasus cum s. Joanne Chrysostomo[3], *simpliciter impossibile esse, absque orationis praesidio cum virtute degere, et hujus vitae cursum peragere.* Quod si aliqua de causa tempus illud definitum defflueret occupatione quae declinari non posset, interceptum, aliud pro illo sedulo repones, ad istud Prophetae attendens: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Ad faciliorem meditationis praxim uti poteris aliquo pio auctore, qui materiam et methodum orationis suppeditabit.

5. Peracta meditatione, ad Missam devote audiendam vel celebrandam procedendum; aut si hora non-

---

1) Ps. LXII. — 2) Ps. L. vel LVI. — 3) Lib. I. De orand. Deo.

dum advenerit, lectioni et studio incumbendum, aliisve proprii officii muneribus, recogitando sequentia: 1° *nihil esse tempore pretiosius;* 2° *breve illud esse et irrevocabile;* 3° *in tempore redditionis* a Deo stricte *postulandum esse;* 4° *clericum non ad inertiam atque ignaviam, sed ad spiritualis et ecclesiasticae militiae labores vocatum esse;* 5° Christum Dominum *in laboribus fuisse a juventute sua;* 6° *Deum solere negligentes deserere;* 7° *luxuriam cito decipere hominem otiosum, hominem vagantem;* 8° *otiositatem Deo et hominibus inutilem reddere, et solam inutilitatem sufficere ad damnationem.* Ita passim Scripturae, Concilia et sancti Patres.

6. Pro audienda Missa potior methodus ea est, qua tacite sequimur sacerdotis actionem et orationes, v. g. dum sacerdos, *in plano,* peccata sua confitetur, tu tua sincere detesteris. Dum *gloriam Deo in excelsis* peroptat, et *in terra pacem hominibus bonae voluntatis,* tu nomen Dei laudes, eique de acceptis beneficiis gratias referas. Dum ille epistolam et evangelium recitat, petas ut verbum Dei a corde tuo vacuum non revertatur. Dum offert dona, tu corpus, animam et passiones, eo quo voluerit modo, immolandas, offerre coneris; et sic ab initio usque ad finem, et sacerdotis et victimae oblatae spiritum ingrediaris.

7. Si sacerdotii munere donatus es, quidquid in ordine ad sanctam Missam tibi est peragendum, habes in uno ex sancti Caroli monitis ad clerum suum, his concepto verbis: *Qui sacerdotes estis, Missae sacrificium saepius facite sancte ac religiose. Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixi; et quo purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite. In sanctissimi sacrificii actione ab erroribus vel levissimis omnino cavete*[1]. *Quae de illo pie riteque celebrando*

[1]) Haec si feceris, ut profecto debes, longe aberis a perlu-

praescripta sunt, ea vos studiose diligenterque servate; et ea peracto, pro summi beneficii munere Deo gratias agite . . . . ad minus quadrantis horae spatio[1].

Concilium Turonense an. 1583 jubet, ut, *expleta Missa, calix cum patena, et corporalium theca cum vestibus sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondatur*. Haec igitur tibi neglectui non sint, et in sordibus ea jacere non patiaris.

8. Si choro addictus sis, quae hujus sunt officii, tradet tibi aliud s. Caroli monitum quod sic habet: *Qui canonici estis, singuli vos canonicalis muneris partes explete. Omnes in choro statutis horis assistite, et ad Deum pro fidelibus pias religiosasque fundite precationes. Dum eo loco estis, memores estote adesse Christum Jesum Dominum; cui servite cum timore et tremore. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote; non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu. Attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebrate:* et psallite Deo, in conspectu angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino.

In choro, nemo privatim, nemo tacite officium recitet, sed omnes pariter, quicumque adestis, senes cum junioribus, laudate nomen Domini in psalmis, hymnis et canticis. *A quibuscumque colloquiis, a litterarum aut librorum lectionibus, atque ab omni*

---

ctuosa illa celeritate, qua tot sacerdotes, rationis et fidei aeque egentes, dicto citius sacrum absolvunt. Benedictus XIV. (Institutione XXXIV, *parag. 6*) observat: 1° *Non semel improvisa morte aliquos sacerdotes oppressos fuisse, ob indignam festinationem qua rem divinam conficiebant.* 2° *Vix breviori spatio quam dimidiae circiter horae, posse omnia in communibus Missis peragi, cum debito decore ac devotione.* Et S. P. Benedictus XIII. edicto in omnibus Urbis sacrariis apposito vetuerat, ne paramenta sacerdotalia ministrarentur iis sacerdotibus qui in celebranda Missa minus quam tertiam horae partem insumerent.

1) Vide supra, p. 366 et 421, ubi gratiarum actionis post Missam commendatur necessitas, et modus hujus implendi officii traditur.

vagatione abstinete. Pro temporis autem et officii ratione, sedete, state, genua flectite, caput aperite et inclinate. Accurate demum omnia observate quae eo de genere vobis praescripta sunt; ita ut vestro exemplo aliis sacerdotibus, clericisque, et recte riteque psallendi, et sancte orandi, et pie agendi animum addatis. In psalmorum autem, canticorum et hymnorum intelligentiam studiose incumbite; ut dum psallitis, pro sensuum sanctissimorum quos mente concepistis ratione, vos ad omnem pietatis devotionisque affectum excitetis[1].

Non ordinariae distributionis lucro adducti, sed Dei caritate religionisque cultu commoti, divinis officiis adeste, ut vere et ex animo illa Psalmi verba concinatis: Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. *Divinis officiis absolutis, paululum omnes in choro pie orate; inde abeundi signo per praefectum dato, consurgentes, quo ordine ad chorum accessistis, eodem in sacristiam redite, ubi cappas, qui illis induti estis, et superpellicea sine strepitu ullo vel susurratione deponite.*

Canonicales vestros conventus statutis hebdomadae diebus capitulariter habete. Omnes, qui debetis, ad illos convenite. Inde ne discedite, nisi missione a capituli praefecto impetrata. Singuli ordine et loco sedete. Sententiam modeste dicite, et suo quisque loco, non praepostere. A verbis scurrilibus abstinete. In rebus consultandis rixas, jurgia et contumelias cavete. In initio et fine uniuscujusque capituli statutas orationes dicite. Priori loco tractanda proponite quae ad divinum cultum, ad spiritualis vitae progressionem, ad ecclesiasticam disciplinam tuendam spectant; tum quae ad rerum temporalium gubernationem pertinent, non negligite. Omnia inprimis agite

---

[1]) Hac de causa legi potest Comment. Bellarmini in Ps.

pace mutua et concordi voluntate. Caritate fraterna vos invicem diligite; canonici enim estis, qui sicut pro collegii ratione, ex antiquo instituto, una in collegiata ecclesia, unoque item in canonicali domicilio collocati fuistis; ita uno pacis et caritatis foedere, unaque animorum consensione conjunctissimi, sicut nascentis Ecclesiae ministri, quorum erat cor unum et anima una, *experiendo videte, sicut in Psalmo scriptum est:* Quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum.

9. Si choro minime addictus ad divinum teneris officium, parvas recitare horas poteris aliquando ante prandium; ut nempe, mane laudato et invocato in meditatione Dei nomine, occasio et facultas tibi sit idem faciendi versus meridiem, ad instar Prophetae[1].

Deinde non nihil dabis temporis *examini particulari,* in quo potissimum aut virtus comparanda, aut vitium extirpandum intenditur. Ex eo viri suae salutis studiosi, tum ad morum emendationem, tum ad devotionis augmentum, magnam percepere utilitatem. Huic autem exercitio praemittenda, nudo capite et flexis genibus, lectio unius Novi Testamenti capitis, quam recte inchoabis hac sancti Ephraem precatione: *Domine Jesu Christe, aperi aures et oculos cordis mei ad intelligendum sermonem tuum, faciendamque voluntatem tuam.* Veteres Christiani, ex s. Joanne Chrysostomo, secum religionis causa deferre solebant sanctum Evangelium; convenit profecto ut idem faciat clericus, et id ejus multum interest; nam ex eodem sancto doctore[2], *ubicumque evangelium est, illuc diabolus ingredi non audet; illinc omnis expellitur vis diabolica.*

10. Ad mensam parcam, frugalem et brevem (utinam pia aliqua lectione, saltem aliquot sacrae Scripturae versiculis conditam!) numquam sine benedictione accedes, nec sine gratiarum actione ab ea

---

[1]) Ps. LIV. 18. — [2]) Hom. XXXII. in Joan.

recedes: tum exemplo Domini, qui id in coena fecisse legitur, tum ad informationem laicorum qui, heu! saepe huic officio desunt; tum quia, ut ait s. Ambrosius, *id a nobis exspectat qui nos pascit Deus, ut pro praestitis ab eo escis illi gratiam referamus, et saturati donis ipsius laudes ei dicamus. Inter bibendum et edendum memineris te servum esse Dei, et ut servos ejus decet, comede et bibe*[1]. Quam laudanda in clero sobrietas, quantaque secum affert omnis generis bona; tam damnanda ebrietas, tantaque diversi generis importat mala. *Vae qui potentes estis ad bibendum*[2]. *Numquam ego ebrium, castum putabo*[3]. Si in laico ebrietas dedecus est ac ignominia, in clerico res est monstruosa et plane horrenda.

11. Post cibi sumptionem, aliquo sermocinationis et oblectationis genere par quidem est mentem animumque modice relaxari, sed non nisi colloquiis et oblectamentis licitis, quae loco, tempori et personae congruant, et in quibus honestum et decorum semper servetur. *Omnia honeste fiant*[4]. *In omni conversatione sancti sitis*[5]. *Quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, aleis, lusibus, copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem ut in posterum, sub iisdem poenis vel majoribus, arbitrio Ordinarii, observentur, statuit sancta Tridentina Synodus*[6]. Vide ne ab iis ullatenus devies; nam, ut ait s. Damasus Papa: *Violatores sacrorum canonum graviter a sanctis patribus judicantur, et a Spiritu sancto, cujus instinctu ac dono dictati sunt, damnantur.* Nec te moveat plurium clericorum contraria consuetudo; quia, ut notat s. Nicolaus I, *scimus ex sacris canonibus, quod non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela vitanda sit.*

---

1) De S. Doroth. — 2) Is. V. — 3) S. Hier. — 4) I. Cor. XIV. 40. — 5) I. Petr. I. 15. — 6) Sess. XXII. De Ref. c. 1.

12. Quae sint personae quibuscum expedit, necne, ut familiariter agas et converseris, accipe ex libro de Imit. Christi[1]. *Non omni,* inquit, *reveles cor tuum, sed cum sapiente et timente Deum age causam tuam. Cum juvenibus et extraneis rarus esto. Cum divitibus noli blandiri, et coram magnatibus non libenter appareas. Cum humilibus et simplicibus, cum devotis et morigeratis sociare, et quae aedificationis sunt, pertracta. Non sis familiaris alicui mulieri, sed in communi omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo et angelis ejus opta familiaris esse, et hominum notitiam devita.*

13. Transacto recreationis tempore, redi paulisper ad cor, et sacras dic Vesperas. Tum in ea incumbe studia et opera, quae status aut munus tuum requirunt, et sicut monet s. Carolus, *ne omittas quotidie aliquid ex sacris Bibliis studiose legere*[2]. Nam juxta s. Joannem Chrysostomum, *infinita exorta sunt mala ex sacrarum litterarum ignoratione; hinc,* inquit, *multa haereseon lues pullulavit; hinc vitae in multis neglectus; hinc inutiles et sine lucro labores. Disce* igitur *quod doceas, et obtine eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem*[3]. Sed in hunc finem opus est saltem uno vel altero ex probatis Commentariis.

14. Si decentiae et honestatis causa invisendi tibi quidam sint, id opportunius ages, si aliud non requirant circumstantiae, horis pomeridianis; sed memento

[1]) Lib. I. c. VIII. — [2]) *S. Hieronymus in epist. ad Laetam, hunc ejus filiae designabat ordinem pro lectione sacrorum librorum:* Discat primo *Psalterium;* his se canticis avocet, et in *Proverbiis* Salomonis erudiatur ad vitam. In *Ecclesiaste* consuescat quae mundi sunt calcare. In *Job* virtutis et patientiae exempla sectetur. Ad *Evangelia* transeat, numquam ea positura de manibus. Apostolorum *Acta* et *Epistolas* tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriae *Prophetas, Heptateuchum,* et *Regum* et *Paralipomenon* libros, *Esdrae* quoque et *Esther* volumina. Ad ultimum sine periculo discat *Canticum Canticorum,* ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis, spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur. — [3]) S. Hieron.

semper ejus quod de clericis in Tridentino scriptum est[1], scilicet eos sic debere *vitam moresque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.* Visitationes autem, quae pro Ecclesiae ministris strictioris sunt obligationis, sunt visitationes aegrotorum, afflictorum, pauperum etc. *Non te pigeat* istud tui muneris implere fideliter; *ex his enim in dilectione* firmaberis; et erit, ut aliquando cum electis audias: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum..... Infirmus eram, et visitastis me; in carcere, et venistis ad me.*

15. Sanctissimam Dei Matrem, Virginem Mariam praecipuo pietatis affectu prosequere; et in hujus testimonium Coronam illius quotidie, aut ante coenam, aut antequam dormitum eas, diligenter recites. Ecclesia testatur in Officio Rosarii, *cultum hunc eidem esse gratissimum;* et quantum in votis habeat pia mater, nostraque intersit, ut sic beatam Virginem *jugiter veneremur,* colligi facile potest ex magnis indulgentiis quas Coronis ac Rosariis tribuerunt Summi Pontifices. In ea autem precatione recitanda poteris, ad singulas decades, pia meditatione recolere, *vel* totidem reparationis nostrae mysteria, quorum per Mariam petes effectum; *vel* praecipuas hujus B. Virginis virtutes, de quibus Domino gratias ages, et quae tibi, ea qua valet apud illum gratia, communicari postulabis; *vel* gloriosos illos titulos *Reginae Angelorum, Reginae Patriarcharum* etc., qui ipsi tribuuntur in ejus Litaniis, orando ut tua cum coelitibus admittatur vox, et ut summi quos ab his Maria recipit honores, suppleant quod tuis deest laudibus.

16. Sub vesperam, si liceat, ad visitandum et orandum in sanctissimo Sacramento Dominum Jesum accede. *Ipse enim est sanctificatio nostra et redemptio; ipse consolatio viatorum, et sanctorum aeterna frui-*

---

[1]) Sess. XXII. De Ref. c. I.

tio[1]. Erubescendum sane nobis est, quod in hoc pietatis genere laici nos longe superent. Vix clerici, nisi qua necessitas adigat, in sacris locis se videndos praebent. Vide, ne ingratorum augeas numerum, et exemplum sume ex sancto presbytero Nepotiano, pretiosissima morte functo, de quo sic s. Hieronymus: *Ubicumque eum quaereres, in ecclesia invenires.*

17. Si horis adstrictus sis canonicis, operae pretium est, ut *Matutinum et Laudes* pro crastina die, et quidem, si fieri potest, ante coenam recites; quia si in posterum differas diem, valde periclitabitur oratio mentalis; quam si omittas, vel ex parte, ut probabilius, tunc facies, non melius ac felicius procedent res tuae. *Nisi quod lex tua meditatio mea est,* aiebat Propheta, *tunc forte periissem in humilitate mea*[2].

Munus *divini Officii* magni facias; nam *angelorum opus est, et coelestis hymnodiae praeludium*[3]. In eo *pro* Ecclesia *legatione fungeris* ad Deum, *tamquam ipsa* orante *per te.* Stude igitur illud digne et utiliter persolvere; et cogita frequenter, *maledictum* in sacris litteris eum vocari, *qui facit opus Dei negligenter.* Ante ejus recitationem *praepara animam tuam;* in aliquem locum orationi aptum secede; statue te in conspectu Dei et sanctissimorum angelorum; cor purifica contritionis actu; intentionem dirige, uni te Christo et Ecclesiae, nec non sanctis quorum est Officium. In hoc recitando *junge sensum verbis, affectum sensui, exsultationem affectui, gravitatem exsultationi*[4], ut nempe tibi non contingat quod plerisque clericis, qui indevotione ac nimia celeritate sua totum Officii fructum deperdunt, *et ibi plus peccant, ubi peccata sua emendare debebant*[4]. Attentionem initio cujusque psalmi, orationis, et aliarum divini Officii partium, renovare atque excitare satage; praesertim dum illa verba pronuntias: *Deus, in adjutorium meum intende;* in fine

1) De Imit. Christ. lib. IV. c. 1. — 2) Ps. CXVIII. 92. — 3) Ss. Basil. et Greg. Naz. — 4) s. Bernard. — 5) Idem.

etiam cujusque psalmi, ad haec verba: *Gloria Patri* etc., et in conclusione orationum, cum dicitur: *Per Dominum*[1]. Si quando autem te ad sedendum debilitas evidens aut nimia lassitudo compellat, saltem ad inceptionem Officii, ad Invitatorium, hymnos et ad orationem Dominicam, surgere non omittas. Etiam in lecto aegritudinis decumbens, reverenter nihilominus te habeas, prout poteris[2]. Nam, ut ait s. Cyprianus, *placendum est divinis oculis* etiam *habitu corporis*.

18. Orationem serotinam, et quidem in communi, si penes te sit, cum examine generali, cum actu contritionis, et cum pia lectione habeas. Illa communi oratione et pia lectione (quae quarta saltem horae parte durare debet) mirum in modum mens illuminatur, animus inflammatur, memoria reficitur, tentatio per noctem expellitur, et damna diei reparantur. Libri autem spirituales, quorum lectio inprimis commendatur, sunt *Imitatio Christi*, *Pugna spiritualis*, opera *S. Franc. Salesii*, *Rodriguez*, *Ludov. Granatensis;* liber de *Doloribus Christi* auct. P. Thoma de Jesu; Acta Martyrum; Vitae Sanctorum, praesertim s. Caroli, s. Francisci Xaverii, s. Vincentii a Paulo, s. Francisci Salesii etc.

19. Dum vestes exues, piam quamdam considerationem in animo versa, v. g., inquit s. Carolus, *mane sequenti te forsan in vivorum amplius non fore numero; peccati causa hominem gratia spoliari* etc., aut aliud ejusmodi, vel precatiunculam habebis. Stratum ascensurus, te et lectum tuum aqua asperge benedicta, dicens: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.* Decumbens commenda Domino, beatae Virgini et sanctis angelis spiritum tuum; et cura, ut *in pace Domini,* cum pia mentis affectione et cogitatione, requiescas. Quae enim cogitatio aut affectio te ante somnum occupaverit, eadem haud dubie post somnum tenebit. Si tibi per noctem con-

---

1) Concil. Mediolan. V. — 2) S. Bonavent.

contigerit expergisci, *memor sis Dei,* exemplo Prophetae, *super stratum tuum;* vel, ut monet s. Ambrosius, *psalmos,* aut *Pater noster*, cum devotione recites.

PRO QUALIBET HEBDOMADA.

1. Quandoquidem *poenitentiae et communionis sacramenta quasi duae columnae sunt,* quibus totum spirituale aedificium, ut conservertur, *fulcitur;* ideo, inquit s. Carolus, *saepius quo potueris ad illa accedas: ad confessionem singulis hebdomadis*[1], *aut saltem quindenis;* et ad communionem secundum consilium *patris spiritualis. qui doctus et pius debuit assumi, et cui te totum oportet committere. Ita* tamen *vive, ut quotidie merearis accipere.*

2. Aliquod mortificationis genus, vel internum vel externum, tibi propone, v. g. feria VI. jejunium, aut saltem abstinentiam majorem in memoriam passionis Christi, vel die sabbati in honorem ss. Dei Genitricis Mariae etc.

3. Fidelium pietas varios hebdomadae dies hoc modo distribuit et consecravit: *diem dominicam* adorationi sanctissimae Trinitatis, *feriam secundam* subsidio defunctorum, *tertiam* cultui angelorum, inprimis custodum; *quartam* ss. Josephi et Apostolorum Petri et Pauli, *quintam* sanctissimi Sacramenti, *sextam* memoriae passionis Domini et *sabbatum* venerationi beatae Virginis. Religiosae huic consuetudini stude te conformare, et nonnullas habe praxes aut preces quas, se-

---

[1]) Qui singulis hebdomadis, *nisi legitime impediantur,* confiteri *consueverunt*, hunc ex eo capiunt fructum, quod *omnes et quascumque indulgentias* (ea, quae jubilaei est, excepta) lucrari et *consequi possunt, sine actuali confessione,* si *nullius lethalis culpae conscii sibi sint.* Secus alii, qui *tam frequenti peccatorum confessione animam expiare* non solent; ii enim, quamvis mortalis peccati expertes, debent, quando in Brevibus pro indulgentiae consecutione confessio apponitur, saltem in vigilia festivitatis confiteri, si tanti velint boni participes esse. Ita Clemens XIII. in decreto dato 9. Dec. 1763.

cundum dictam designationem, quavis die peragas. Sic illam nutries pietatem, qua ex Tridentino *conspicui esse debent* omnes altaris ministri.

4. Qui curam habent animarum, efficient, ut diebus dominicis et festivis fideles ecclesiam frequentent; quod obtinebunt peragendo decenter ac religiose divina officia, praedicando, ut par est, verbum Dei[1], et aliis pietatis exercitiis, quae zelus et amor bene suggerunt; et hac ratione illos avocabunt a popinis, diversoriis, comessationibus, saltationibus et aliis peccati occasionibus. Unde, dictis diebus sancte transactis, haud erit difficile eos per totam hebdomadam servare insontes.

5. Qui divino applicantur ministerio, sapienter facient, si dominicis et festivis diebus paulo maturius quam caeteris e lecto surgant; ut nempe antequam se conferant in ecclesiam ad audiendas fidelium confessiones, solitum impendere possint orationi mentali tempus et suis necessitatibus, priusquam alienis, prospicere, sicut ordo caritatis exigit. *A te,* inquiebat sanctus Bernardus Eugenio Papae, *tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Quid enim prodest, si universum mundum lucreris, teipsum perdens? Sapiens sibi sapiens erit, et bibet de fonte putei sui primus ipse.* Qui aliter se gerunt

---

[1]) Conc. Trid. Sess. V. cap. 1. et 2. De Reform.: „Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere... verbique divini praedicatione pascere,... plebani et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime fuerint impediti, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis: docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere *et coelestem gloriam* consequi valeant." — Hinc Bonacina, theologus moralis minime rigidior, in Tract. de Legibus, disp. 5, sic habet: „Ego arbitror mortaliter peccare parochum, si uno continuo mense integro, aut etiam si duobus, vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur, quia haec videtur materia gravis."

et negligunt quod in isto monito praescribitur, communiter, praedictis diebus, nihil dant considerationi, nihilque praeparationi ad Missam; sed, his praetermissis, qua pietate possunt celebrare, quove zelo et fructu hortari fideles? Hinc patet, quanti sit momenti praesens monitum. Adverte autem quod, iisdem diebus, parvae horae non sunt remittendae ad tempus, de quo supra[1], sed (si fieri id potest) dicendae immediate post orationem mentalem; ne alias ad vesperam usque differantur, et secus quam par est exinde recitentur.

6. Diaconi, subdiaconi et clerici inferiorum ordinum duo in festis diebus habent munia implenda: quorum primum est ut, juxta praescriptum Conciliorum, divinis intersint officiis, omni qua par est modestia exemplari et angelica, et quae sui gradus sunt functiones ibi religiose obeant, summo id ducentes honori, et pensantes quod *sic* tantum *de inferiori gradu potiora capere* possunt *mereri;* alterum, ut catechizandis rudibus ac pueris vacent, in schola ipsis assignata. Quod praestare debent majori quo possunt zelo et affectu, quia munus istud 1° Christo Domino est acceptissimum; 2° animarum saluti plane necessarium; 3° maximi pro ipsis meriti, testante Ecclesia quod, *si fideliter et utiliter impleverint officium suum, habituri sint partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio*[2].

PRO QUOLIBET MENSE.

1. Initio mensis quempiam sanctorum qui in illo occurrunt, tibi in specialem patronum sortire; sub ejus tutela te et tua constitue; singulis diebus, mane scilicet et vespere, aliquam ad eum precem dirige pro tuis et aliorum quos intenderis necessitatibus. Vitam ejus lege, et in certa quam adnotaveris virtute te illi, per mensem, stude conformare; tandem in festo illius die, praemissa in pervigilio debita praeparatione, ad

[1]) Pag. 551. n. 9. — [2]) Pontificale in Ordinat. Lect.

sacram synaxim, si liceat, in ejus honore accede; gratulare illi de sua gloria et beatitudine, et gratiis Deo actis pro beneficiis seu ei, seu tibi per eum collatis, suppliciter illum ora, ut tibi favere pergat, non per mensis cursum tantum, sed et per totam tuam vitam. Atque haec est multorum piorum praxis, ad instar s. Francisci Borgiae qui ejus auctor perhibetur; et ea omnia quae complectitur, satis monstrant ejus utilitatem. Eam ergo amplectere; sed novum quovis mense assumendo protectorem, vide ne veterum obliviscaris. Omnium habe indicem, et exemplo s. Aloysii Gonzagae horum nomina identidem recites et invoces.

2. Versus finem mensis statue tibi diem in qua, salutis suae studiosorum exemplo, te speciali modo ad mortem disponas; nam a momento mortis pendet aeternitas, et in hoc totius felicitatis nostrae cardo vertitur, ut bene moriamur. Quod autem hac de causa peragendum tibi est, ad sequentia reducitur: 1° praestituta die subtrahe te, saltem per aliquod tempus, a solitis occupationibus et omnibus superfluis locutionibus, ut tibi et uni necessario vacare possis; 2° meditatio tua matutina de morte sit ejusque consectariis, et conscientiam tuam diligenter discutiens, vide quid te angeret et turbaret, si jamjam moriturus esses; et *fac nunc quod tunc facere velles;* 3° accede ad sacrum poenitentiae tribunal, et confessionem tuam perage velut pro ultima vice et mox ad Dei judicium citandus; tum, si concedatur, corpore Dominico, quasi coelesti viatico, agonem tuum munias; 4° die illo *sic te in omni facto et cogitatu teneas,* quasi modo cursum tuum consummaturus; 5° vespertinis horis siste te coram sanctissimo Sacramento, et ibi de novo *omnibus peccatis cum dolore et magna displicentia deploratis,* elice actus virtutum qui solent moribundis suggeri, fidei nimirum, spei, caritatis, resignationis divinae voluntati, et acceptationis omnium quae ei placuerint, et in fine pro te recita preces *Commendationis animae.* Eas longe ante exitum suum quotidie reci-

tabat s. Vincentius a Paulo. *Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea*[1].

3. Semel saltem per mensem cum patre tuo spirituali colloquere de animae tuae statu et de tua agendi ratione[2]. *Hoc enim modo fiet*, inquit s. Basilius in Regulis, *ut et quod laude dignum sit confirmetur, et quod minus probandum, congruo remedio sanetur.* Neque vero existimes, nulla tibi, utpote satis erudito, *opus esse consiliario;* quia, ut ait s. Joannes Chrysostomus, *solius Dei est nullo opus habere consilio;* et juxta s. Joannem Climacum, *qui sibi ipsis confidentes* ita opinati sunt, misere *seducti sunt. Ne innitaris prudentiae tuae*[3], sed *consilium semper a sapiente perquire*[4]. Nam ut legitur apud s. Bernar-

---

1) Joan. XIII. 17. — 2) *Summarium capitum rationis conscientiae et quaerendorum a reddente*, ex Reg. Soc. Jesu:

1. An vivat contentus juxta suam vocationem?

2. Quomodo se habeat circa obedientiam, paupertatem, castitatem, aliasque virtutes, et quarum praecipue studio intentus sit?

3. An sentiat aliquas animi perturbationes aut tentationes molestas; et de facilitate seu difficultate, ac modo eis resistendi; et ad quos affectus vel peccata sit magis propensus et incitatus?

4. Quem experiatur in se zelum animarum?

5. Quomodo spiritualibus rebus sit affectus? De oratione mentali et vocali; an illi vacet, et quem modum in ea teneat?

6. Num in usu rerum spiritualium consolationem et devotionem habeat, an vero contra desolationem, ariditatem et vagationem animi patiatur; quomodo in eis se gerat?

7. De fructu quem ex communione, confessione, examine particulari et aliis exercitiis spiritualibus percipiat?

8. Num post ultimam rationem conscientiae quam reddidit, majorem an minorem fructum fecerit; quem animum experiatur ad perfectionem consequendam?

9. Quomodo observet regulam sibi praescriptam, et quae sui sunt officii?

10. De mortificationibus, poenitentiis et aliis exercitationibus quae faciunt ad spiritus profectum; et in specie de praeparatione ad injurias et ad alia quae ad Christi crucem pertinent ferenda, atque de eorum desiderio?

11. De sociis, et quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino, et an alicui plus sit familiaris quam aliis?

12. An aversionem animi sentiat ab aliquo et quomodo sit affectus erga superiores et socios?

3) Prov. III. 5. — 4) Tob. IV. 19.

dum, *hoc vult Deus, ut homo per hominem doceatur; nec aliter,* ex s. Dorotheo, *licet salvari.*

4. Qui ecclesiarum regimini praefecti sunt, debent singulis octo diebus, aut saltem quindecim[1], sacras renovare species, et examinare statum tum sacrae aedis tum ejus supellectilium, an nempe omnia sint, ut par est, munda et ordinata; nam in collatione primi ex minoribus ordinibus *fidelissima* horum *cura* ipsis injuncta est, et sine gravi culpa eam nequeunt negligere[2]. Et semper memineris hujus Ecclesiae moniti ad Ostiarios: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quae his clavibus recluduntur.*

5. Si in ea, qua manes, dioecesi instituti sunt et vigent coetus illi ecclesiastici, in quibus de pietate, doctrina, moribus, conscientiae casibus collationes habentur, frequens iis et assiduus adesto; quia nihil aptius et utilius ad fidei et morum quaestiones elucidandas, ad unitatem doctrinae comparandam, ad conformitatem regiminis servandam, ad animorum consensionem fovendam. Ut optatum tamen pariant fructum, oportet 1° ut imparatus nullus accedat, sed ut quisque praeviderit quae tractanda sunt, et ad ea suum adhibuerit studium; 2° ut procul amendentur contentiones, aemulationes, clamores, aliive excessus qui in tali circumstantia contingere possunt. Quod ut tu et alii praestetis, cogitate et conveniendi causam, et convenientium qualitates et characterem.

6. Concilia volunt, ut *clerici comam et tonsuram, patentibus auribus, habeant congruentes.* Ita concilia Lateranensia II. et IV. Ad morem gerendum tam gravi auctoritati, cura frequenter *renovari coronam* tuam *(singulis hebdomadibus, aut saltem quindenis,* aiunt plures synodi), et capillos tibi resecari circiter quovis bimestri. Quoad eorum *cultum*

---

[1]) Cf. Gardellin. in decret. S. Rit. C. d. 16. Dec. 1826. in u. Gandav.; Maier, de Cultu Ss. Sacram. p. 554. sqq. — [2]) Vide sup. p. 548. n° 7; et p. 26.

seu componendi modum, eadem concilia jubent, ut non *studiosus*, sed *simplex* sit[1]: et quam jure merito, judicare potes 1° ex iis quae, jam ab apostolicis temporibus, contra foeminas torti et compti capilli dicta sunt; 2° ex modo quo Christus Dominus inter homines apparuit, *humilis* nempe *et modestus*, ut ait s. Bernardus; 3° ex *coronae illius similitudine*, quam clerici *gestant in capite*, quaeque profecto non bene congruit cum *crinibus mundano more* ordinatis. *Audi haec, fili, et ne dimittas legem matris tuae*[2], ut huic *conformeris saeculo cui renuntiasti*, aut illis pseudoclericis de quibus sic s. Hieronymus[3]: *Tales cum videris, sponsos magis aestimato quam clericos.*

7, Quatuor anni temporibus recurrentibus, preces et pia opera pro remissione peccatorum proxime commissorum, pro fructuum conservatione, pro Christi ministrorum vocatione et missione ferventius instaura. Haec est enim Ecclesiae mens et voluntas; haec sunt institutionis quatuor temporum motiva, quibus eo promptius ac libentius oportet te cedere, quo magis illam piam matrem diligere, et istorum gravitatem ac pondus melius debes percipere.

PRO QUOLIBET ANNO.

1. *Cum diuturna experientia compertum sit* (ut aiebat S. P. Clemens XI. in epist. encyclica anni 1710), *ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam maximopere conducere, ut ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum comtemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel confirmatur;* ideo noli hanc utilitatem tibi propo-

---

[1]) Verba sunt Conc. Mediol. I. sub. s. Carolo. — [2]) Prov. I. 8. — [3]) Epist. ad Eustoch.

sitam praetermittere, sed magna cum alacritate eam suscipe, et quotannis, aut saltem biennio, sex aut octo die sin pio aliquo secessu dictis exercitiis operam da. Perage generalem ab ultima recollectione confessionem, in qua *recogitans* in *amaritudine animae tuae* omnia peccata, omnesque defectus, securius *novissima providebis,* gaudium in coelo, et tuae conscientiae pacem ac serenitatem paries. Si unde testamentum condas, habes, sapienter facies, si illud tunc conficias aut confirmes.

2. *Diem* anniversariam regenerationis tuae, conversionis et ad ordines promotionis *habe solemnem,* et *celebra eam cultu* congruo. *Si enim*, inquit Micrologus[1], *quilibet suum natalem, quo ad aeternam mortem natus, observat, quanto magis illum observare debet, quo ad aeternam vitam est regeneratus!* S. Carolus in tertio Concilio Mediolanensi sanxit, ut *sacerdotes, quo die eorum quisque sacerdotio initiatus est, illum etiam quotannis recolant Missae sacrificio et precibus.* Religioni tibi sit, a tam sancto instituto numquam deviare.

3. Lege quotannis ritus et rubricas, simul et canones ac statuta quae ad te spectant, ut ea semper accurate valeas custodire; item praecipuos theologiae seu moralis, seu dogmaticae tractatus, qui paulatim excidunt, nisi identidem horum refricetur memoria; praeterea Novum Testamentum integrum, et Vetus saltem biennio. *Divinas scripturas,* ait s. Hieronymus, *saepius lege; imo numquam de manibus sacra lectio deponatur... Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* O utinam, te e vivis sublato, sic tuum inscribi possit sepulcrum:

Te, veniente die, te decedente legebat,
Lex sacra; aeterno, lector, nunc lumine gaudet!

4. Praefige tibi unum particulare et radicale vitium, cui, utpote infensissimo tuae perfectionis hosti, bellum

[1]) De eccles. observ. c. 50.

per totum annum inferas; nec convertaris donec deficiat. Eodem zelo virtutem huic vitio contrariam exerce; et huc spectet quotidianum examen, de quo supra [1]. *Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur* [2].

5. Indulgentias quae identidem per annum lucrandae sese offerunt, tibi et aliis procurato, eoque diligentius quo his magis indigetis, et majora sunt vestra erga Deum debita. Tanti boni negligentia non argueret certe magnam fidem, nec magnum zelum [3].

6. Si pastor sis animarum, semel saltem quotannis totam lustra et visita parochiam, vicario tuo aut ludi magistro comite. *Bonus pastor cognoscit* omnes *oves suas, et vocat eas nominatim.* Habeas catalogum omnium familiarum in particulari: et pro virili parte scias omnium eorum membrorum necessitates, tam spirituales quam temporales; quibus subvenire, eo meliori quo poteris modo, studeas, iisdem permotus sensibus quibus Apostolus, dum dicebat: *Libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus.*

PRO QUOLIBET TEMPORE.

1. Memor *semper sis vocationis tuae, eoque nomine saepe Deo gratias agas, conerisque maxime vitam, ut ministrum Christi decet, instituere, cum tam multae utilitates ex boni, tot detrimenta ex mali vita sacerdotis proficiscantur* [4].

2. *Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum; et cave ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini Dei tui.*

3. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum,*

---

1) Pag. 551. n. 9. — 2) De Imit. Christi, lib. I. c. I. n. 5. — 3) Vide in Tractatu de Indulgentiis Rmi D. Bouvier, aut P. Ant. Maurel, aut in Collectione precum etc. cl. Dni Al. Prinzivalli, a P. Mich. Haringer in germanicam linquam authentice translata, indulgentias omnibus fidelibus communes, et eas quae certis rebus, puta coronis, crucibus, numismatibus etc., affixae sunt; intelliges quam facile sit, hujus beneficii fieri saepe participem. — 4) s. Carolus.

etiam exiguum libenter impertiri stude, quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat.

4. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

5. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.*

6, *Omni tempore benedic Deum; et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant* [1].

7. Quia, ut observant sancti Patres, et constans docet experientia, *a minimis incipiunt qui in maxima proruunt;* ideo nec parva peccata, nec parva officia umquam negligas; sed semper illa sedulo devita, et haec fideliter imple. *Qui timet Deum,* ait Scriptura, *nihil negligit.* Et s. Hieronymus: *Mens Christo dedita aeque in majoribus et in minoribus intenta est.*

8. Quotidiana exercitia, et solitas ac ordinarias actiones, etiam naturales, stude semper bene facere: 1° exemplo Christi, qui *bene omnia fecit;* 2° quia his continuo recurrentibus, facilius et citius assequeris perfectionem, et *fies in Deum dives,* si illa recte feceris; facies autem sic, si in statu gratiae, propter Dei gloriam, et debita cum attentione ac fervore.

9. Cum *mundus totus in maligno positus sit,* et longe *facilius sit domi latere,* quam foras se posse sufficienter custodire; ideo cellam tuam dilige, nec ab ea exeas, nisi necessitate compulsus et tui officii implendi causa. *In cella invenies quod deforis saepius amittes.* Dixit quidam: *Quoties inter homines fui, minor homo redii.*

10. *Obsecro te, et repetens iterumque monebo,* cave inprimis a sexu muliebri, qui (Eccl. VII. 27.) consuetus *est* daemonum *laques;* et ut numquam tibi sit, sicut fuit innumeris, *perdendae vitae et famae*

---

[1]) **Tobias, in admon. ad filium, c. IV.**

causa, has accipe regulas a s. Hieronymo olim traditas Nepotiano suo, et ab illis ne latum quidem unguem recede:

Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige. Ne sub eodem tecto mansites; nec in praeterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit,

Aegrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, et germana vel mater, aut probatae quaelibet apud omnes fidei. Quod si hujusmodi non fuerit consanguinitatis castimoniaeque persona, multas anus nutrit Ecclesia quae et officium praebeant, et beneficium accipiant ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynae. Scio quosdam convaluisse corpore, et animo aegrotare cepisse. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis.

Si propter officium clericatus aut vidua a te visitatur, aut virgo, numquam domum solus introeas.... Solus cum sola absque arbitro vel teste non sedeas.... Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita.

Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes auro applicatas, ac degustatos cibos, blandasque et dulces litterulas sanctus amor non habet. „Mel meum,“ „lumen meum,“ „meum desiderium,“ omnes delicias et lepores, et risu dignas urbanitates, et caeteras ineptias amatorum in comoediis erubescimus, in saeculi hominibus detestamur; quanto magis in monachis et in clericis; quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio!

11. In sacramentorum administratione, si ad te spectet, bonum et fidelem dispensatorem te semper praebe; nec cujusquam gratia, aut metu, aut quavis spe temporalis commodi ab officio tuo tantillum declines.

Ad praecipua quinque capita serio attende: ad Deum, ut glorificetur; ad sacramentum, ut rite perficiatur; ad subjectum, ut sanctificetur; ad adstantes, ut pie excitentur; ad ministrum, ut crescat in gratia, utque, dum alios a peccati vinculo solvere intendit, seipsum peccati ligamine et catena non constringat.

12. Quidquid temporis a divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habes, non in otio, nec in rerum novarum curiositatibus illud contere; sed, cum in sortem Domini vocatus sis, impende in operibus tuo ordini ac statui congruis (s. Carol.). Quae sint autem illa, disce ex concilio Lingonensi, anno 1404 celebrato. *Assidue et devote orare,* inquit, *sicut et lectioni perfecte intendere, sint opera clericorum.*

13. Si in morbum incideris, cave ne simul cum corpore anima aegrotet. Non plus quam par est, arti medicorum confidas, sed magis divinae voluntati obtempera. *Cum infirmor,* aiebat sanctus Paulus, *tunc potens sum; . . . virtus in infirmitate perficitur.* Custodi te a murmuratione, et *exhibe te sicut Dei ministrum in multa patientia.* Valetudine nova sese confirmante, ad tua implenda officia novos animos concipe. Quae retro sunt obliviscens et quasi incipiens, ad bravium assequendum, exemplo Apostoli, quotidie contende.

PRO FINE VITAE.

Si, Deo dante, non praecipiti morte, ut heu! saepe evenit, abripiaris; sed si contigerit te mentis et rationis compotem mortem (quamvis saepissime citius quam putatur, adveniat) venientem videre, sacramenta Ecclesiae tempore opportuno postula, et summa cum devotione, adstantiumque aedificatione recipe. Ad instar sacrificii Christi pro te in cruce oblati, te totum et tua omnia, in sacrificium boni odoris, sanctissimae Trinitati in aeternum vove, offer, consecra, immola. Variarum virtutum actus, praecipue fidei, spei, cari-

tatis, contritionis, patientiae, divinae voluntati subjectionis, tentationibus renuntiationis, frequenter elicies. Prava daemonum arte in duos salutis scopulos saepe impellimur et inducimur, scilicet in praesumptionem et desperationem. Per vitam nimis confisi, de salute male praesumimus; at in morte nimis abjecti, de salute pene desperamus. Contra hos daemonum suggestus, per vitam cum metu et tremore salutem operare; sed in extremis positus, per infinita Christi merita in bona salutis spe roboreris et confirmeris. *Ille solum diffidat*, inquit s. Bernardus, *qui tantum peccare potuit quantum Deus bonus est.*

Felix et omni dignus beatitudine, quem extrema dies invenerit sic militantem (s. Hieron. Ep. ad Julian.).

CANON.

Ex Conc. Aquisg. ann. 816, L. I, c. 145.

Qui divinis se manciparunt officiis, studeant haec breviter collecta sedula meditatione perlegere, et memoriae commendare, et, divina adjuvante gratia, juxta vires adimplere. Vocatione ergo qua vocati sunt, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, ambulent; quatenus divinis jussionibus obtemperantes, ad Christum, de cujus sorte esse noscuntur, qui via, veritas et vita est, eo opitulante, pervenire mereantur. Amen.

DE ORATIONE MENTALI.

In septima hujusce Manualis parte[1] ostensum est, quanto zelo viri ecclesiastici debeant orationis mentalis exercitio incumbere. Hic trademus methodum, et quidem probatum illud peragendi. *Est enim oratio medicamentum*, ut notat s. Joannes Chrysostomus[2], *sed*

---

[1]) Pag. 491 sqq. — [2]) In Ps. VII.

si nesciamus quomodo adhibendum sit medicamentum, utilitatem ex eo non capiemus. Insuper ad fovendum augendumque in unoquoque orationis studium et amorem, referemus Breve Indulgentiarum a Benedicto XIV. concessarum tam docentibus et addiscentibus orationis mentalis exercitium, quam ipsam orationem mentalem peragentibus; et hinc intelligent qui haec negligunt, quantis frustrentur bonis, et quam sibi sint inimici.

INDULGENTIAE,

tam docentibus et addiscentibus methodum orationis mentalis, quam ipsam orationem mentalem peragentibus concessae.

Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et praesulibus locorum ordinariis universis, gratiam et communionem sanctae Sedis habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

1. Exordium ab excellentia orationis.

Quemadmodum nihil est hominibus, a familiari Dei consortio et consuetudine avulsis et ejectis, ad divinos hauriendos fulgores et ad aeternam salutem procurandam, et ad Deum quasi manu facta coëundum, magis opportunum, salutare ac necessarium oratione, quae est veluti ascensio animae de terrestribus ad coelestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui sancto, et ad Deum locutio; ita, ne desolatione desoletur universa terra, ex eo quod nullus recogitet corde, omnes et singuli ubique et semper monendi sunt, quod oporteat semper orare et numquam deficere; ut in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas

a nobis amoveat miserationes. Ea propter praedecessores nostri Romani Pontifices, divina institutione formati, ut Christi fideles ad orationis, sive vocalis, sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, et sine intermissione frequentandum incitarent, eosdem tum cohortationibus inflammare, tum coelestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crediderat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones et de injunctis eis quomodolibet debitis poenitentiis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditarentur.

2. Pontifex confirmat indulgentias concessas vocaliter orantibus.

Nos autem, laudatissimis eorumdem praedecessorum nostrorum exemplis incensi, non solum omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes per eosdem nostros praedecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo numquam revocatae fuerint), aut quomodolibet orantibus, quocumque modo sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, sub iisdem prorsus modo ac forma confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus; verum etiam alias insuper, iis praesertim qui mentalis orationis seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur.

3. Iis vero qui orationis mentalis exercitium docent, concedit novas indulgentias.

Primum itaque omnibus et singulis, sive qui tam in ecclesia quam alibi, et ubicumque locorum, publice et private, quoscumque homines orandi seu meditandi rudes, quomodocumque orare et meditari docuerint, sive qui piae orandi et meditandi institutioni hujusmodi, ut praemittitur, interfuerint, dummodo vere poenitentes ac sacra Communione refecti, qua vice

id egerint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus quam addiscentibus, qui assidue praemissa peregerint, ac similiter vere poenitentes ac sacra Communione refecti, pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in mense, pro uniuscuiusque commodo et arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christi fidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

4. Illam quoque peragentibus alias elargitur indulgentias.

Insuper iis qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae, singulis diebus, et per totum mensem, orationi mentali dabunt operam, et vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christifidelium quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate et tenore similibus misericorditer in Domino elargimur.

5. Adhortatio pro exercitio orationis in communi.

Etsi autem, juxta divinum Domini nostri Jesu Christi praeceptum, oportet ut quisque oraturus, ne ad instar hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum et clauso ostio oret coelestem Patrem in abscondito; tamen cum ipse Dominus dixerit, quod *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* et sanctus Joannes Chryso-

stomus praedicet esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, et caritatis clamorem, ex qua felici societate orationes infirmiores se simul complexas validiores in coelum evehi; optimum esset, ubi commode fieri posset, ut quemadmodum in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus et singulis dioecesibus in more poneretur: nimirum ut singulis diebus, dato certo campanarum signo, sive in ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis a feminis seorsim collocatis, convenire facile possit, et nulla suboriatur confusio et inordinatio; sive in propria domo patresfamilias eo, aut alio opportuniori tempore, ante imaginem sacram cum tota familia convenientes orent.

Ea propter vos, venerabiles fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut in omnibus et singulis ecclesiarum piorumque locorum, in civitatibus quidem cathedralis aliarumque praecipuarum ecclesiarum, in oppidis vero parochialium ecclesiarum superioribus ac rectoribus injungatis, ut praemisso campanae sonitu iis diebus, iisque horis, quibus vobis opportunius in Domino visum fuerit, dando decernendoque, omnes Christifideles uniuscujusque curae commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accendere, necessitatem utilitatemque proponere, indulgentiarum thesauros quos de benignitate apostolica elargimur, explicare, et ad ipsos, ea qua decet pietate ac reverentia, lucrandos inflammare studeant et enitantur; atque etiam, si commode, ut praemittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practice, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant et curent. Praesentibus perpetuo futuris temporibus valituris . . . .

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, die 16. Dec. 1746, Pontificatus Nostri anno septimo.

METHODUS ORATIONIS MENTALIS.

Oratio mentalis est elevatio et applicatio mentis nostrae nostrique cordis ad Deum, ut debitam nostram reverentiam ac submissionem ei exhibeamus; ei exponamus nostras necessitates, et ita ad majorem ejus gloriam meliores sanctioresque evadamus.

Oratio mentalis tribus constat partibus: ingressu scilicet seu praeparatione, medio seu corpore orationis, et conclusione.

I. *De orationis initio.*

Initio orationis tria sunt praestanda.

1. Ante omnia enim opus est, ut actu fidei Deum menti nostrae exhibeamus praesentem, firmiter credendo, eum esse ubique, esse etiam eo in loco, quo sumus nos, esse in nostro corde. Quae consideratio nos movebit ad adorandam venerandamque divinam Majestatem.

2. Propter peccata porro nostra debemus nos agnoscere indignos, qui compareamus ante conspectum Dei, ab eo actu sincerae contritionis veniam petere, ac nos unire cum Domino nostro Jesu Christo, ut ad ejus Patrem coelestem accedere, in ejusdemque nomine preces fundere valeamus.

3. Debemus denique agnoscere, nos non esse ex nobismetipsis capaces, ut oremus sicut oportet et expedit, atque idcirco a Domino assistentiam Spiritus sancti instanter efflagitare tenemur.

II. *De orationis corpore.*

Medium seu corpus orationis tria continet puncta.

1. Inprimis considerare oportet orationis materiam relate ad *Dominum nostrum:* quid scilicet ipse dixerit, fecerit aut hac de re cogitaverit. Haec vero sensa, haec verba, has actiones revereri, laudare atque amare pro posse debemus, pro iisque ei ex intimo corde gratias agere. Quibus actibus nonnumquam adjungi

alii possunt, uti admirationis, gaudii aut compassionis, secundum scilicet materiae naturam.

Si meditatio de perfectionibus divinis, vel de Personis sanctissimae Trinitatis instituitur, hisce cultum adorationis, aliaque religionis nostrae officia praestare convenit.

2. In secundo puncto considerare oportet orationis materiam relate ad *nos ipsos*. Examinandum enim sedulo est, quid ad nostram sanctificationem aut agere aut evitare debeamus. Ut vero efficacius etiam moveamur ad amplectendam virtutem, vitiumque fugiendum, strenua consideratione rationum motivorumque ad nos exstimulandos aptissimorum, mentem de officio nostro omnino persuadere debemus.

Comparemus oportet deinde nostram vivendi agendique rationem cum nostris circa hanc materiam obligationibus, serioque reflectamus, num semper fuerimus legi divinae fideles. Quum vero plures invenerimus defectus, humiliemus nos et eliciamus actus contritionis de peccatis commissis, confusionis de statu nostro praesenti, ac vivi desiderii, in posterum officio nostro melius satisfaciendi; aliosque excitemus affectus considerationi quam instituimus convenientes.

Considerata denique et agnita magnitudine peccatorum nostrorum nostraeque praesentis debilitatis, recurramus ad Deum, enixeque efflagitemus gratiam perfectae nostrae conversionis. Quam ut obtineamus, confugiamus ad merita Domini nostri Jesu Christi, ad intercessionem Deiparae Virginis Mariae, omniumque Sanctorum.

3. Ut vero gratiae divinae, quam expostulare intendimus, etiam cooperemur, salutaria — in tertio puncto — debemus facere praeposita, orationis nostrae objecto, nostrae indoli ac conditioni, nostrisque necessitatibus apprime convenientia. Haec autem proposita non solummodo generalia, sed omnino particularia sint, ita ut tempus et occasiones praesentes respiciant; sint efficacia, ita ut cuncta obstacula removeamus, vinca-

musque, et omnia media tam necessaria quam opportuna adhibeamus; sint denique cum magna diffidentia de nobismetipsis, firma vero confidentia in Deo conjuncta.

III. *De orationis fine.*

Conclusio orationis tria complectitur.

1. Inprimis gratiae agendae sunt Deo pro donis concessis.

2. Tum de defectibus commissis venia petenda.

3. Deus denique rogandus, ut propositis nostris, diei incepto, vitae mortique nostrae benedicat.

Quo facto inter cogitationes, sanctosque affectus eos seligamus, qui cor nostrum magis moverunt, ut interdiu quandoque eorum recordemur, sintque nobis ad instar fasciculi spiritualium florum, quibus in Domino delectemur.

Tandem omnia nostra proposita, totiusque nostrae orationis fructum ponamus sub protectione beatissimae Virginis Mariae, ad quem finem dici potest: *Sub tuum praesidium confugimus* etc. (p. 450).

MONITA.

I. *Quid agendum ante orationem.*

1. Disponatur oportet animus fuga horroreque peccati, cordis munditie, interiore atque exteriore spiritus recollectione, pura denique intentione nihil aliud quaerendi, quam Dei gloriam nostrumque in virtute profectum.

2. Praeparanda insuper est orationis materia, quem in finem opus erit, ut vespere aliquem librum spiritualem legas, quaeque legeris, mane in mentem revoces.

II. *Quid agendum inter orationem.*

1. Non est necesse, ut in una eademque oratione multae fiant considerationes, neque ut omnes quos supra indicavimus actus eliciantur. Si quem haec illave consideratio, hic illeve affectus e. g. contritionis, amoris erga Deum etc., satis occupat, non est dimittendus sub praetextu transeundi ad alias considerationes.

Longius tamen indulgendum est affectibus, postulationibus et propositis, quibus praecipuus orationis finis continetur.

Ordini vero in „Methodo“ praescripto non ita adhaereas velim, ut tunc solum affectus elicere, tunc solum gratias flagitare, aut tunc solum proposita facere satagas, quando ordinis ratio id postulat; sed quandocumque, sive initio orationis, sive alio tempore, illis cor tuum moveri senseris, hunc divini Spiritus afflatum sequere, quin te alio vertas. Quodsi te ad aliam orationis methodum propensum senseris, hanc animae tuae directori expone, ejusque consilia sectare.

2. Si tibi inter orationem distractiones accidunt, animi ariditas, ac vero etiam tentationes, ne statim animum deponas, neve orationem relinquas, sed persevera, et fac ut distractiones abigas, tentationibus resistas, et cum patientia desolationem animi cordisque ariditatem sustineas.

3. Precibus pro te tuisque necessitatibus fusis, sub finem orationis alias quoque adjunge pro Ecclesiae necessitatibus, pro parentibus tuis, pro amicis etc.

III. *Quid agendum post orationem.*

1. Curandum est inprimis, ut iidem sensus et affectus, qui orationem comitabantur, etiam per diem conserventur, magnaque adhibenda cura, ne eosdem nimio studio et ardore negotia tua aggrediendo perdas.

2. Juvat maxime, ea quae inter orationem tibi magis arriserint, nec non proposita, praesertim inter sacra exercitia facta, quaeque animae moderator opportuna judicaverit, litteris mandare, eademque identidem legendo in memoriam revocare.

3. Tandem bona tua, eaque particularia proposita saepius per diem in mentem reducere stude, sedulo attendens, ut illa, quotiescumque occasio se praebuerit, prompto animo exequaris.

EXERCITIA DIURNA.

PRECES MATUTINAE.

In nomine Patris, et Filii † et Spiritus sancti. Amen.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper, et per infinita saecula saeculorum. Amen.

ACTUS ADORATIONIS.

Adoro te, o sanctissima Trinitas, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, tres Personae, unus et solus Deus: ac opitulante gratia tua, quam supplex imploro, dejicio me in abysso mei nihili, sub conspectu Divinae Majestatis tuae.

ACTUS FIDEI [1].

Credo firmissime, paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quae nobis in sacra Scriptura revelasti et per Ecclesiam tuam credenda proposuisti. Tu es enim ipsa una et aeterna Veritas. Adauge, Domine, fidem meam.

ACTUS SPEI.

Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni sive spiritualis, sive corporalis,

1) S. P. Benedictus XIV., probe noscens quam utile, imo necessarium ad salutem sit virtutum theologicarum, fidei, spei et caritatis, exercitium, d. 28. Jan. 1756, confirmans indulgentias a S. P. Benedicto XIII. d. 15. Jan. 1728 jam concessas, novas pro eodem exercitio largitus est. Omnibus itaque Christifidelibus concessit indulgentiam 7 annorum, totidemque quadragenarum, quoties actus fidei, spei et caritatis pio corde eliciunt et ore devote promunt; illis vero qui quotidie eosdem actus elicere et ore promere satagunt, semel in mense indulgentiam plenariam, quo die vere contriti et confessi et sacra Communione refecti pro sancta matre ecclesia pias preces fuderint. Quae indulgentiae etiam animabus in purgatorio detentis per modum suffragii applicari possunt. Denique indulgentiam plenariam in articulo mortis eosdem actus animo contrito elicientibus concessit.

tam in hac, quam in altera vita, id totum desidero, spero, et volo solum consequi de manu tua, Deus meus, vita mea, et unica spes mea! Tu es enim solus potens, solus misericors, solus verax. Adauge, Domine, spem et fiduciam meam, per merita passionis et mortis Salvatoris mei Filii tui Jesu Christi.

ACTUS CARITATIS.

Amo tuam infinitam Bonitatem propter se ipsam, ex toto affectu cordis et animae meae, et vellem, si possem, te amare eo amore, quo te amant B. Virgo, Angeli, et homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum. Amo te super omnia, Deus meus, omnesque proximos meos propter te. Adauge, Domine, mihi caritatem et opus perfectum.

ACTUS GAUDII.

Gaudeo summe de tua aeterna felicitate, et exulto de tua tam magna gloria in coelo et in terra.

ACTUS DOLORIS ET PROPOSITI.

Deus meus, cum tu sis infinite dignus omni amore et servitio, siquidem tu es, qui es: doleo ex toto corde de omnibus meis peccatis, illaque detestor super omnia alia mala, quia tibi Deo meo quem super omnia amo, summopere displicent; peto humillime veniam, facioque firmissimum propositum, numquam offendendi tuam Bonitatem in aeternum.

GRATIARUM ACTIO.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quae mihi et toti mundo, B. Virgini ac Ss. Humanitati Christi collata sunt, et in dies incessanter a benignissima tua Providentia conferuntur.

ACTUS PROTESTATIONIS.

Consigno tibi hodie, et in perpetuum, corpus et animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, et omnes sensus meos.

Propono firmissime impendere omne esse meum, facultates, ac vires meas ad servitium, et gloriam tuam.

Paratus sum suscipere quascumque adversitates, quas mihi paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo Cordi tuo.

Vellem me totum, quantus sum, tibi impendere, et procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atque omnes homines te glorificent, et ament Deum Creatorem suum.

Protestor me non consentire, neque consensurum umquam, quantum in me est, in ullam rem, quae fiat vel cum minima offensa tuae Divinae Majestatis.

ACTUS OBLATIONIS.

Offero Divinae Majestati tuae, in unione meritorum Passionis, Vitae, et Mortis Christi, B. semper Virginis, et omnium Sanctorum, ex nunc pro semper, omnia opera mea pretiosissimo Sanguine Jesu Redemptoris nostri lota et sanctificata.

Statuo omnium participem me facere, quantum possibile est, indulgentiarum per preces, et actiones hujus diei, et illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in poenitentiam, et satisfactionem meorum peccatorum.

ACTUS UNIONIS CUM DEO.

In tua vulnera me projicio, o Jesu! ibi me absconde, et defende hodie, et semper, donec mihi largiaris gratiam videndi te, et amandi in aeternum.

Jesus, Maria et Joseph. Vobis dono meum cor, et animam meam, nunc et in perpetuum. Amen.

ALIUS ORATIONIS MATUTINAE MODUS.

Pater. Ave. Credo.

Oratio. Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute,

ut in hac die ad nullum declinemus peccatum: sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Deus virtutum, cujus et totum quod est optimum: insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et praesta in nobis fidei, spei et caritatis augmentum; et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod praecipis. Per Christum Dominum nostrum.

Offer te totum Christo Domino. Cf. p. 408.

Invoca B. Mariam Virginem. Cf. p. 387, 402, 450 sqq.

Commenda te Angelo tuo custodi. Cf. p. 434.

Invoca omnes Sanctos (cf. p. 374), praesertim sanctum tuum patronum. Cf. p. 465.

Ora pro Summo Pontifice et Episcopo proprio (cf. p. 466), pro pastoribus et ministris ecclesiae (cf. p. 467), pro parentibus, benefactoribus et amicis, et pro omnibus, pro quibus orare teneris. Cf. p. 469 sqq.

Conclude hoc exercitium sequenti oratione:

℣. Dignare, Domine, die isto.

℟. Sine peccato nos custodire.

Oremus.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

AD ORATIONEM MENTALEM.

Post primos praeparationis actus dic Confiteor etc., *et deinde* Veni sancte Spiritus etc. *ut supra p. 204.*

In fine orationis dic Sub tuum praesidium *(p.*

450), vel Antiphonam Salve Regina *(ut in Breviario), invoca s. Angelum custodem* *(p. 434)**; et concludo exercitium sequente adspiratione:*

O Jesu vivens in Maria! veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in perfectione viarum tuarum, in veritate virtutum tuarum, in communione mysteriorum tuorum. Dominare omni adversae potestati, vivifica nos in Spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen.

AD RECOLENDUM INCARNATIONIS MYSTERIUM.

Angelus Domini nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu sancto [1]. *Ave Maria* etc.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Ave Maria.*

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. *Ave Maria.*

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

---

1) S. P. Benedictus XIII. die 14. Sept. 1724 omnibus Christifidelibus, qui quotidie mane, meridie et vespere ad campanae sonitum *flexis genibus* precationem „Angelus Domini" etc. cum tribus „Ave Maria" devote recitaverint, quoties id corde vere contrito fecerint, 100 dierum indulgentiam; plenariam vero indulgentiam semel in mense, quo die vere poenitentes confessi et sacra Communione refecti pro sancta matre Ecclesia pias ad Deum preces fuderint. Benedictus XIV. die 20. April. 1742 easdem indulgentias confirmavit declarans, quod omnibus diebus dominicis, incipiendo a primis Vesperis, praedictae preces a *stantibus* persolvi, tempore vero paschali loco earumdem Antiphona *„Regina coeli"* cum versiculis et oratione (ut in Breviario) recitari debeat.

PRECES VESPERTINAE.

In nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.

Veni sancte Spiritus, et emitte caelitus lucis tuae radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium.

In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

ACTUS FIDEI, SPEI ET CARITATIS.

Dominus meus, et Deus meus! adoro te hic et ubique praesentem, cum profundissimae humilitatis affectu, et in conspectu divinae Majestatis tuae indignus servus procumbo. Credo in Te, credo omnia et singula verba tua, quia tu es ipsa Veritas, quae fallere aut falli numquam potest. Spero in Te, spero a tua gratia omnia bona quae promittere nobis dignatus es, quia tu es infinite misericors et fidelis. Amo Te ex toto corde meo, amo te super omnia, quia tu es Amor infinitus et infinite amabilis, et quia prior amasti me.

GRATIARUM ACTIO.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis. Qui vivis et regnas etc.

Gratias tibi ago, omnipotens Deus, qui me per tuam misericordiam in hac die custodire dignatus es: deprecor immensam clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem sine ullo peccato, aut impedimento satanae, cum dulci et pudica requie pertransire, ut matutino veniente tempore, pure et strenue surgens tibi Deo meo laudes referre valeam. Amen.

EXAMEN CONSCIENTIAE.

Petitio superni luminis.

Domine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quaeso, splendore gratiae tuae cor meum, ut sufficienter cognoscam defectus et peccata mea, eaque cum vero cordis dolore et contritione confitear, sicut oportet, coram te, ac plene pro iisdem satisfaciam, eademque emendem, ad laudem et gloriam tuam, et benedictae Matris tuae, ac Sanctorum omnium, et ad salutem animae meae. Amen.

Scrutare nunc conscientiam tuam, omniaque in amaritudine animae tuae recogita peccata, quae hoc die cogitatione, verbo aut opere commisisti.

Actus contritionis.

Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, Creator ac Redemptor meus. Poenitet me ex toto corde, quod offenderim te Dominum et Deum meum, quem amo super omnia. Et propono firmiter, amplius non peccare, omnesque peccandi occasiones devitare, confiteri, et implere poenitentiam, quae mihi fuerit injuncta. Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, passionem, ac mortem tuam, totumque pretium sanguinis tui pro nobis effusi, merita quoque B. Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum, atque omnia opera mea, et totam vitam meam. Et confido in bonitate et misericordia tua infinita, quod per merita pretiosi Sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea, et gratiam uberem largiturus, qua vitam sancte instituere, tibique perfecte usque in finem ser-

vire valeam. Qui cum Patre sanctoque Spiritu vivis et regnas Deus in saecula benedictus. Amen.

Deus propitius esto mihi peccatori. Jesu fili David miserere mei.

ALIUS CONTRITIONIS ACTUS.

Quare te offendi, quare te contristavi tot peccatis et offensis in tota vita mea, o Bonitas, o Amabilitas infinita, Deus meus, Amor meus! Ignosce, bone Pater, ignosce filio poenitenti et veniam precanti, per sanguinem divini Redemptoris. In posterum de peccatis poenitentiam agere, ac potius mori, quam te offendere, mihi firmissime propositum est.

LITANIAE LAURETANAE B. MARIAE V.

Pro die Dominica, feria III. et V., et Sabbato. Vide supra pag. 449. sqq.; easque conclude sequente Oratione:

Oremus.

Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam; et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum.

LITANIAE DE SS. NOMINE JESU.

Pro feria II, IV. et VI.
Vide supra pag. 445. sq., cum sequente Oratione:

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua numquam laude cessemus. Qui vivis etc.

COMMENDATIO.

In tuam maternam fidelitatem ac singularem custodiam commendo me hac nocte, o beatissima Virgo Ma-

ria, rogans, ut me ab insidiis inimici tuearis. O dilectissime Angele Custos, o vos sancti Patroni mei: hac nocte defendite et incolumem servate me. Et pro me dormiente incessanter Deum meum laudate: mihique vestram benedictionem, quam humiliter peto, conferre dignemini. Amen.

Adjunge preces pro variis intentionibus et necessitatibus, ut supra pag. 466 sqq.

PRECES PRO DEFUNCTIS.

Psalm. CXXIX. De profundis etc. *ut supra p. 190.*

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.

℟. Ex lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleison etc. Pater noster etc. *cum Versiculis et Orationibus ut supra p. 430 sq.*

ORATIO PRO FELICI MORTE.

Pater aeterne, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, perque viscera misericordiae tuae, rogo te, concede, ut in bono perseverem, et moriar in gratia tua.

Bone Jesu, per caritatem aeterni Patris, et ultima in cruce verba quibus Patri spiritum tuum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitae meae.

Spiritus sancte Deus, miserere mei, et sancta inspiratione tua me semper, et potissimum in hora mortis meae corrobora.

Sanctissima Trinitas unus Deus, miserere mei nunc et in hora mortis meae. Amen.

POSTREMA SUPPLICATIO.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Qui plasmasti, redemisti, et sanctificasti me, miserere mei, o Deus meus, et Dominus meus, Amor meus, et Omnia.

Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: praevalui adversus eum.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

℣. Dignare, Domine, nocte ista.

℟. Sine peccato nos custodire.

Oremus.

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Nos cum Prole pia benedicat Virgo Maria.

In nomine Jesu dormitum eo. Ille me custodiat, regat et benedicat in aeternum. Amen.

HYMNUS PRO GRATIARUM ACTIONE.

Te Deum laudamus etc. *ut supra p. 129.*

℣. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis et gloriosus in saecula.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento coeli.

℟. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

℣. Benedic anima mea Dominum.

℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor meus etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

NOTA.

Decretis S. Rit. Congregationis ad Rubricas Missalis spectantibus addenda sunt sequentia:

Pag. 290, ad § I., n. 8. *Non potest* loco Missae solemnis cum cantu, ad evitandam diuturniorem moram, celebrari Missa *lecta* eidem inservientibus diacono et subdiacono, dalmatica et tunica indutis. 21. Juli 1855 in u. Constantinopolit. ad 1.

Pag. 349, ad § XVII. n. 2. *Stola latior*, qua utitur diaconus, dum tempore Adventus et Quadragesimae deponit planetam plicatam, *non debet* [sed potest] habere intextas tres cruces, sicuti habentur in stola communi. 25. Sept. 1852 in u. Venet. ad 7.

O. A. M. D. G.

